Centro de Cultura Hebráica

BIBLIOTECA

Núm. 12

2011 Ministério da Cultura

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

SC-E-5-12

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura .

DE NVMIS

HEBRAEO-SAMARITANIS.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

FRANC. PEREZII BAYERII

ARCHIDIACONI VALENTINI

SER. HISP. INFANTVM

CAROLI III. REGIS FILIORVM

INSTITVTORIS PRIMARII

DE NVMIS

HEBRAEO-SAMARITANIS

MUSEO DEL GRECO
TOLEDO



VALENTIAE EDETANORVM

EX OFFICINA BENEDICTI MONFORT
M DCC LXXXI.

R.361
1780
HEBRAICO-ESPAÑOLA-CENTRO DE CULTURA
MUSEO
SEFARDI
TOLEDO
2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

CAROLO TERTIO

HISPANIARVM ET INDIARVM REGI



VOD multo antè praestitum vellem, REX AVGVSTISSIME, *sisto Tibi numorum Hebraeo-Samaritanorum syllogen in itinere olim Italico mihi comparatam, quam cum ultro Nomini Maiestatique Tuae consecrassem devovissemque, denuo abs Te fiduciariam accepi. Et vero maturius reddidissem, nisi subpuduisset numos inexplicatos è manibus elabi sinere, cum non parum lucis affundi à me iis posse sperarem. AEquum praeterea fore existimabam, ut eorum ectypa editis exemplis*

vul-

2011 Ministerio de Cultura

vulgarentur doctorum per Europam virorum iudicium subitura, quaeque nostris hominibus ad Linguarum Orientalium, et maxime ad veterum numorum Hispaniensium, quos Incognitos *vocant, studium, atque inde ad patrias quae sub ipsis latent origines eruendas incitamento essent. Etenim cum diu ego multumque in eo argumento versarer, illud fixum immotumque animo insedit, veterum Hispaniae populorum atque urbium notitiam ex vera eorumdem numorum lectione et interpretatione pendêre, hanc autem lectionem et interpretationem ex Hebraicis fontibus, id est è Samariticis numis hauriendam; cum Phoenices Graecique, quos per utramque mediterranei maris oram in Hispaniam appulisse constat, litteras ac dialectum ab Hebraeis mutuati fuerint. Ac me quidem molem istam iam dudum mente agitantem gravia vixque intermissa cùm Tuo ac*

FER-

2011 Ministerio de Cultura

FERDINANDI *Fratris iussu suscepta negotia, tum praecipue iniuncti muneris honestissimi rationes diversum abduxere; sed à quo incoepto studioque deflexeram, eòdem, ubi primùm licuit, regressus, statui de Phoenicum et Graecorum in Hispania numis agere, initio à Samariticis ducto, atque ab iis maxime quos olim proprio labore quaesitos, dein fidei meae concreditos diligentius observavi, nunc autem tertia minimum parte auctos et explicatos Maiestati Tuae libens volensque offero ac restituo.*

Cui autem dicatum hunc laborem velim, qui Nomini sim Tuo dicatissimus? Aut cui magis Samariticorum numorum expositio cunctaque studia mea debeantur quam Tibi, cuius et numi et ipse ego nexu et mancipio sum?

Accipias igitur, REX AVGVSTISSIME, *conatus hosce meos, meque porro benigno vultu et favore complectere, qui conceptis pro*

Tua

2011 Ministerio de Cultura

Tua incolumitate votis assidue DEVM *veneror ut longum Tibi aevum proroget, cunctaque fausta felicia fortunata eveniant, publicae rei et Catholicae Religionis incremento.*

REX AVGVSTISSIME

N. M. Q. T

devotissimus

FRANC. PEREZIVS BAYERIVS.

2011 Ministerio de Cultura

PROLOGVS

Quod vetus olim Comoediarum auctor qui in prologis scribundis operam se abuti professus est, id quidem ego in praefationis huius limine facturus mihi videor, non qui operis argumentum narrem, sed qui novissimi Scriptoris Germani, Samariticorum numorum fidem elevantis, argumentis respondeam. Etenim quum edito iam typis volumine et propediem evulgando redditus tandem mihi fuisset Cl. Olavi Gerhardi Tychsen (1) Germanicus *De numis Hebraeorum* liber, cuius sub finem Capitis I. memini, et quidem qua parte de Samariticis numis agit Hispanico iure donatus (2): haesi profecto dubius ignarusque quo tandem loci, cum nihil iam vacui superesset spatii, sententiam de illo meam insererem; nam peculiarem in eo temporis articulo tractationem instituere, rationibus meis perincommodum accidisset. Decrevi igitur, quod unicum restabat, hoc loco praecipua D. Tychsenii capita percurrere, strictimque ut possem ad singula respondere, ne vadimonium deseruisse dicerer.

Primum autem omnium, quod ante R. Mosem Nachmanidem, id est ante XIII. Salutis saeculum, nullam siclorum Samariticorum mentionem se reperisse, nullam certe apud Beniaminum ὁ δοιπόρον, Salomonem Iarchium, neque apud vetustiores Rabbinos aut Ecclesiae Patres exstare D. Tychsenius asserit: videat quaeso num ea in re fucum sibi ultro factum voluerit. Ego vero illam in Iosepho, immo et apud Philonem et Iarchium deprehendisse mihi videor. *Siclus* (inquit Iosephus) *Hebraeorum numisma quatuor drachmas Atticas continet* (3). De siclo igitur *numismate*, non de siclo *pondere* Iosephum egisse liquet. Iam vero quem siclum intellexisse credendus Iosephus est, nisi Samariticis litteris inscriptum, quem unum atque unice semunciam Atticam sive quatuor solidas argenti drachmas pependisse, non Nachmanides modo, sed et ipsi quos laudavimus Philo (4) et Iarchius

(1) *Consiliarii Aulici Mecklemburgensis, Linguarum Orientalium Professoris, et Bibliothecarii Academiae Butzowiensis.*

(2) *Beneficio docti atque amici Viri D. Danielis Scheindenburg Legationi Suecicae ap. Cathol. Hispan Regem à sacris.*

(3) Ὁ δὲ Σίκλος, νόμισμα Ἑβραίων ὂν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. III. *Antiq.* VIII. (*al.* IX.) *n.* 2.

(4) *De spec.legg. ad* 3. 4. 5. *Dec. praec.* quo loco pro *L. siclis argenti* de quibus *Lev.* XXVII. 3. substituit *CC. drachmas.*

**

2011 Ministerio de Cultura

chius (1) docuere, postque eos Montanus (2), Masius (3), Villalpandus (4), Eisenschmidius (5), et quotquot de Hebraeorum numis et ponderibus scripsere, tetradrachmum esse pluribus experimentis comprobarunt? An non iniurius Iosepho futurus esset si quis Scriptorem gravissimum de iis siclorum Assyriacorum larvis cogitasse crediderit, quos varia magnitudine, vario item pondere, non tamen lege aliqua definito, fusos conflatosve, rarissime autem mallei ictu percussos, in triviis et tonstrinis, immo nullibi non obvios prostantesque passim offendimus?

Praeterea exstant hodieque in Eruditorum scriniis argentei Traiani numi, tum Latini tum etiam Graeci, quibus et typus, et Iudaica symbola, et Samaritica epigraphe 𐤑𐤌𐤏𐤍:: 𐤔𐤋𐤌𐤉𐤄 𐤉𐤓𐤔𐤋𐤌 id est, *Simon*:: *Libertatis Ierusalem*, hinc inde superinsculpta sunt: quos, ceu Simone Machabaeo recentiores, Viri docti ad cognominem *Barcocebam*, qui sub Hadriano maximas in Iudaea turbas excitavit, atque adeo ad secundum Salutis saeculum referunt, atque ad veterum similitudinem recusos fuisse existimant: de quibus Soucietus (6), Henrionus (7), et Cl. Guil. Hunteri numorum Samaritanorum catalogus (8). Immo et Basnagius, quamquam alienissimo in numos Samaritanos animo, complures ex iis secundo Ecclesiae saeculo à Iudaeis confictos fuisse asserit (9).

Alterum, atque ut videtur palmarium, D. Tychsenii argumentum tria continet. I. Machabaeorum locum (I. xv. 6.) in quo Graece legitur: Καὶ ἐπέτρεψά σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σου, id est, *Permisi tibi* (nimirum Simoni) *facere percussuram proprii numismatis in regione tua*, ansam Impostoribus praebuisse ut Samariticos numos confingerent, atque in vulgus emitterent: II. Neque eo magis tutam Graecam versionem fore; cum Syrus Interpres pro *percussuram proprii numismatis*, transtulerit *facultatem decidendi sententias* (10): III. Immo hanc versionem reliquis praeferendam; cum nec Iudaei peculiares numos habuerint, et Iosephus Christianique atque Hebraeorum Doctores altum sileant de attributa Simoni ab Antiocho cudendi proprii numismatis potestate.

Pri-

(1) *Ap. Montan.* in Ephron.
(2) *De Siclo.* (3) *Comm. in Iosue c.7.*
(4) *T. III. Appar.de pond.et mens.c. XXII.*
(5) *De pond. et mens. sect. I. c. IV.*
(6) *Dissert. de num. Samar. pag. 15.*
(7) *T.III. Reg.Acad. Inscr.cet. p.184.*
(8) *Infrà, pag. XIII. nn. 4. 5.*
(9) Iacobus, *Hist. des Juifs Lib. VI. c. 24. n. 28. et Lib. II. c. 10. n. 5. fin.*
(10) *Polygl. Paris. et Londin.*

2011 Ministerio de Cultura

Primum quod spectat, D. Tychsenius nullum pro se sponsorem affert, neque afferre si velit potest. Immo falsam eius assumtionem esse, numi ipsi de quibus agimus apertissime convincunt. Antiochi litterae exeunte Seleucidarum anno CLXXIII. et fortasse sub sequentis initium obsignatae, atque ab Insulis maris Ierosolymas ad Simonem transmissae fuerunt; ac proinde qui ab Impostoribus secundûm eas literas percutiendi essent numi, eumdem aut sequentes principatûs Simonis annos exhibere omnino debuissent. Atqui econtrario quotquot exstant Hebraeo-Samaritani numi cum expressa epoche, Seleucidarum annum CLXXIII. et Antiochi litteras antevertunt; inque iis annus *primus*, *secundus*, *tertius* cet. *liberae Ierusalem*, et *redemtae Sionis* legitur: qui Seleucidarum anno CLXX. et binis sequentibus respondent.

Sed vel admisso quod numorum artifices è Graecis Libri primi Machabaeorum exemplaribus didicissent Simoni ab Antiocho cudendae monetae potestatem factam: quis quaeso eos iustum praeterea siclorum pondus, aptissima symbola, exactam Historiae et Chronologiae rationem: quis statas Hebraeorum sollemnitates earumque ritus: quis veteres Samariticarum litterarum formas, permultaque demum alia quae in siclis numisque expressa aut non obscure indicata exstant, penitius edocuisset, unde tam claram hausissent eorum ideam? Mitto quae ex numorum fabrica, genio, atque in orbem conformatione peti ulterius possunt pro eorumdem fide atque ingenuitate coniecturas.

De Syriaca autem Machabaeorum textûs versione, quod alterum erat è D. Tychsenii placitis, vix scio cur tantum auctoritatis pondus ipsi tributum velit, cum adespota, et multum prae Graeca recentior, et praeterea singularis sit. Ego contrà Graecam versionem, ex qua vetus Latina fluxit, omnium antiquissimam, ipsique archetypo Hebraeo textui, quem Hieronymus ab se repertum perhibet (1), coaevam, et fortassis eodem atque ille parente prognatam (2), atque adeo reliquis anteferendam existimo. Iuvatur praeterea Arabici Interpretis testimonio, nimirum: وعانن لك ان تصنع ضرب الدراهم المختصة لك في بلدك id est: *Et permitto tibi ut facias percussuram numismatum propriorum* (peculiarium) *tibi in regione tua.* Et notanda hìc ἐνέργεια verbi ضرب, quod proprie *mallei ictum* seu *percussionem* significat, ut Cl. Michaëlis animadvertit (3). Quid quod nihil prorsus aut actum egisset Antiochus Simoni tribuens *fa-*

(1) *Prol. Gal.* (2) *Io. Drusius Comm. in I. Machab. in expos. tit.* (3) *Not. ad Praelect. Cel. Roberti Lowth de Poësi Hebraeor. praelect.* 1. *n.* 8.

2011 Ministerio de Cultura

facultatem decidendi sententias, quae ipsi proprio iure competebat ex quo Summus Sacerdos et Princeps Israëlis à populo salutatus fuit; neque satis tunc apte cohaereret Sacri textûs eo loco sententia. Ac si divinationi locus esset, putaverim Syro Interpreti errorem ex ambigua vocabuli νομίσματος significatione enatum. Namque id interdum pro Edictali *lege*, seu pro *eo quod lege sancitum* est à Graecis usurpatur; sive quòd νόμισμα, ut Aristoteles ait, ὃ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστί (1): de quibus videndi H. Stephanus, Vossius, et apud eum Festus et alii.

Iosephi demum et aliorum silentium, quod tertio loco D. Tychsenius urget, neminem movere debet; cum ille ne litterarum quidem Antiochi ad Simonem, quibus cudendae monetae potestas continebatur, meminerit (2); horum autem parum è re esset, an concessa fuerit inquirere aut litteris consignare. Quod autem Iudaei Machabaeorum aevo nullos habuerint peculiares numos, gratis à D. Tychsenio asseritur, ut mox ostendam.

Pergit namque, nullos primitus siclos percussos fuisse inquiens; immo *sicli* vocabulum apud Hebraeos pondus tantum et imaginarium monetae genus significasse. Fateor, si ad Reipublicae aut Monarchiae Hebraeorum tempora, et vel usque ad eorum è Babylone reditum thesim suam contrahat. Verum auctis postea Iudaeorum opibus, et sublato Gentium iugo ex Israël, ut populus peculiarem sibi Eram constituit *sub Simone Summo Sacerdote*, *magno duce et principe Iudaeorum*: ita Simon de edendis vulgandisque numis cogitavit, et solido quadriennio, nimirum ab anno Graecorum CLXX. siclos primum semisiclosque Samariticis litteris inscriptos cum nominibus *Israëlis* et *Ierusalem*, dein peculiares sub proprio nomine numos percussit, idque inexspectata Regum Syriae venia. Atque ex eo tempore *siclus*, quod eatenus ponderis nomen erat, ad siclos numosque de quibus nunc agimus significandos translatum ab Hebraeis fuit. Ὁ δὲ σίκλος, inquit Iosephus, νόμισμα Ἑβραῖον ὤν cet. (3) *Siclus*, *Hebraeorum numisma* cet. Philo, δραχμὰς διακοσίας νομίσματος ὁλαργύρου :: *CC. drachmas numismatis* (monetae) *è solido argento* (4): ad quem fere modum disputant etiam Suidas, Pollux, Hesychius et alii (5). At-

(1) *V. Ethic.* 8.

(2) *Antiq. XIII. c.VII. (al.XII.) n.2.*

(3) *III. Ant. VIII. (al. IX.) n. 2.*

(4) *De Spec. legg. quae referuntur ad tertium, quartum et quintum Decal. praec. Ed. Londin. T. II. p. 276.*

(5) *Et notandum, cum Iudas Simonis frater ad annum Graecorum CXLVIII. (quo nimirum tempore nondum percussi erant numi in Israël) argentum Ierosolymam misisset,*

2011 Ministerio de Cultura

Atque hos esse germanos et antiquissimos Hebraeorum numos, cum usque ad Simonis Machabaei tempora populus numis ἀσήμοις, pondere solo et probitate metalli constantibus usus fuisset, communis iam post Conringium Eruditorum consensio est; vulgares autem quadratis sive Assyriacis litteris inscriptos, queïs non Salomonis modo ac Davidis, sed Mosis, Abrahami, Sarae ipsorumque etiam Protoplastorum effigies insculptas cernimus, quosque nihilominus D. Tychsenius Veteribus non incognitos fuisse ait, putidas esse nugas et stultum ineptiarum laborem.

Reliqua quae in sui patrocinium D. Tychsenius advocat, leviora meo iudicio sunt, quam ut singillatim refelli debeant. Neque enim I.° Esdras primigenias Hebraeorum litteras à Sacris Libris exsulare iussit Samaritanorum odio, ut nonnullis placuisse video, aut ne Iudaei Samaritanis commiscerentur; sed ideo factum, quia eae litterae sensim obsolescere atque ex Hebraeorum memoria elabi coeperunt, ex quo primum populus in Babylonem traductus fuit, quem post LXX. annos reducem et Chaldaeorum litteris assuetum non adeo facile erat ad patriam scripturam revocare. II.° Nachmanidi autem, Bartenorae, Alasckero, et si qui tum Rabbinorum, tum etiam Christianorum hodieque in ea perstant sententia ut siclos numosque ante captivitatem Babylonicam cusos tueantur, nihil profore quod ii Samariticis litteris inscripti sint; obesse autem plurimum si Chaldaeorum sive Assyriacos characteres exhibeant. III.° Samariticis litteris, vel si cognati numi numquam exstarent, plurima aliunde inesse quibus τὴν πρωτείαν prae Assyriacis tueantur, videnda sub extremum nostri operis, atque hoc etiam loco obiter (1). IV.° Numos demum siclosque Samariticos crebro Hierosolymis in maceriis et ruderibus profundissimis erui, praeter alios, testis locuples et tantum non αὐτόπτης Postellus asserit (2).

De

set, offerri pro peccatis in acie caesorum sacrificium, non δραχμὰς νομίσματος, *sive* monetae, *sed* ἀργυρίῳ argenti: ἀσήμου *videlicet, id est* non signati, Ierosolymam misisse, *ut habetur II. Mach. XII. 43.*

(1) *Potestas arithmetica litterarum Samariticarum, si binas excipias* ℵ Aleph, ב Beth, *ad hanc diem inexplorata est; Assyriacarum contrà constans et nemini non nota. Nec tantum XXII. litterarum quibus vulgare hodiernum Hebraeorum alphabetum constat, sed quinque etiam finalium quas prisci Hebraei penitus non novere. Has autem XXVII. litteras in unum coniunctas Rabbini in tres enneades dispertiunt: è quibus* prima *monades*, secunda *decades*, tertia *hecatontades continet: quae tanta in iis accuratio atque artis lenocinium priscis rudibusque Hebraeorum saeculis parum videtur congruere.*

(2) *Alphab. XII. Linguarum in de Ling. Samar.*

***

2011 Ministerio de Cultura

De siclis autem aureis, quod D. Tychsenius addit, cum litteris א *Aleph*, aut etiam ד ש *Scin Dáleth* supra calicem, ἐυφήμει. Siclum aureum, binisve iis litteris calici insidentibus inscriptum nuspiam locorum aut gentium exstare aut umquam exstitisse existimo. Valeat cum somniis suis Waserus.

Cur autem Simon postremis quatuor principatûs annis numos non cuderit, quod D. Tychsenius rogat, nolim inquirendo se maceret. Froëlichium causam divinasse existimo, *ne* videlicet *alienatum Regis praepotentis animum amplius irritaret, et spem aliquam interea foveret restituendae pacis* (1). Constat enim Antiochum anno Graecorum CLXXIV. compulso ad Doram Tryphone, rupisse omnia quae paulo ante pactus cum Simone fuerat (2).

Plura persequi otiosum est, et nonnulla suis infra locis tractantur. Interea tamen praesagit animus, liberalius à DD. Tychsenio et Schloëgero (3) cum numis Samariticis agendum, si binos supra triginta, quos possideo et praesens contemplor, archetypos propius Ipsis inspicere, atque eruditis oculis lustrare liceret. Mihi certe, qui in hoc mercimonio vafris crumenarum emunctoribus non semel ludibrium debui atque inde aliquanto cautior effectus sum, omnis iam pridem de illorum ingenuitate scrupulus ademtus est. Immo etiam existimo numum illum unde fluxit ectypum quod D. Tychsenius in fronte operis exhibet, utut ipse adulterinus sit, ex puris atque incorruptis Samaritanorum fontibus derivari.

NVNC iam ut paucis ac vere prologum agam, hoc primùm Lectores moneo, de iis mihi tantum Samaritanorum siclis numisque propositum esse agere, quos hactenus in apricum aetas protulit, quosque in Eruditorum scriniis exstare comperi. Neque enim ambigo quin si novi in dies Hebraeorum numi in lucem proferantur, et novas fortassis inde theses Eruditi eliciant, quibus praeiacta de iisdem asserta et coniecturae aut illustriora fiant, aut ultro veritati cedant.

De litteris ט *Theth*, et ת *Tau*, quarum priorem, auctore Vossio (4) et magno etiam Hieronymo (5), tenuem, posteriorem olim adspiratam existimaveram (6), cogor errorem meum agnoscere, reque diligentius explorata sententiam mutare. Itaque תה ט *Theth*, sicubi in Co-

(1) *Ann. Reg. Syr. Prol. p.* 83.
(2) *I. Mach. xv.* 27.
(3) *Numophylacii Gothani Praefecto.*
(4) *I. de Art. Gram. c. xxvii.*
(5) *Apud quem passim* רמתה RámaTHa:: ביתאל BéTHel:: שת SeTH, *atque his similia.*
(6) *Dissert. de litt. et serm. Phoenic.*

2011 Ministerio de Cultura

Codicibus occurrit (à numis enim Samariticis exsulat), per Latinorum TH; ת *Tau* vero per simplicem T. deinceps reddere curavi.

Litteram ש *Scin* lego per SC, ac si punctulo dextro instructa sit, leniore tamen sono, vel cum praeponitur litteris A, O: nimirum quemadmodum Itali binas illas efferunt in vocibus *SCégliere*, *SCemáre*, Galli τὰ CH in *branCHe*, *gauCHe*, atque Angli τὰ SH. Hispanis ignota haec prolatio est.

Siclos numosque fide optima atque ad verum expressos sisto, ut quodammodo pro archetypis habeantur.

Samariticos characteres ex aere fusili, nec tantum è Simonis, sed è Ioannis etiam Hyrcani numis, in quibus Chaldaica forma eminet, conflari iussi, quod vix scio an alibi aut alias uspiam praestitum sit: chartam denique nitidam, firmam, vixque ulli aevo cessuram delegi.

Menda ne irreperent, oprandum potius quam sperandum in opere praesertim longo, quodque me absente typis permissum fuit. Perpauca nihilominus deprehendi, eaque, si excipias τὸ *annum*, quod pag. 152. l. 18. pro *annuum* Typographo in textu excidit, levissima et facile corrigenda, nimirum:

Pag. 94. lin. 12. *luláb*, l. *lulá-v*.

.. 185. in n. col. 2. χοιρωνοὸν, l. χοιρωνὸν.

.. 195. in n. col. 2. *es*, l. *et*.

.. 214. in n. col. 1. ἓλθη, l. ἓλθε.

ELEN-

2011 Ministerio de Cultura

ELENCHVS CAPITVM.

CAPVT I. *Scriptionis occasio. Samaritanorum in Occidente litterarum initia. Scriptores de numis Hebraeo-Samaritanis. OEconomia Operis. Numorum Hebraeo-Samaritanorum fides.* Pag. 1.

CAP. II. *De siclis, semisiclis et numis Hebraeo-Samaritanis in universum praenotanda; deque iis qui primo principatûs Simonis Machabaei anno percussi fuere.* . . . . . Pag. 62.

CAP. III. *De siclis et numis secundo principatûs Simonis anno percussis.* . . . . . Pag. 95.

CAP. IV. *De numis tertio principatûs Simonis anno percussis.* Pag. 114.

CAP. V. *De numis quarto principatûs Simonis anno percussis.* Pag. 122.

CAP. VI. *De Simonis numis qui epochen adscriptam non habent.* . . . . . Pag. 141.

CAP. VII. *De binis Simonis numis arcanam, ut videtur, scripturam exhibentibus.* . . . . . Pag. 155.

CAP. VIII. *De Ieochannahanis, seu Ioannis Hyrcani numo, deque iis qui sub Ionathanis nomine circumferuntur.* . . . . Pag. 176.

CAP. IX. *De numis Alexandro Iannaeo, aut Aristobulo Iuniori per coniecturam adscriptis; deque vite aurea Templi Ierosolymitani.* . . . . . Pag. 202.

CAP. X. *Consensus numorum Hebraeo-Samaritanorum cum Sacris Libris. Veteres Hebraicarum litterarum formae. Alphabetum Hebraeo-Samaritanum ex numis.* . . . . . Pag. 216.

CAP. XI. *Samariticarum litterarum numerus, earumque apud Hebraeos usus, et prae Assyriacis antiquitas.* . . . . Pag. 225.

DE

2011 Ministerio de Cultura



DE NVMIS HEBRAEO-SAMARITANIS

DISSERTATIO ISAGOGICA

AD TRACTATVM

De Phoenicum et Graecorum in Hispania numis quos INCOGNITOS vocant.

CAPVT PRIMVM.

Scriptionis occasio. Samariticarum in Occidente litterarum initia. Scriptores de numis Hebraeo-Samaritanis. OEconomia operis. Numorum Hebraeo-Samaritanorum fides.

ANIMVS non fuit cum primum de Phoenicum et Graecorum in Hispania numis agere decrevi, de iis etiam quos Samaritanos passim appellant, cum ab Hebraeis percussos fuisse constet, quidquam disserere aut praefari; quippe quum id mihi unicè propositum fuisset, ut quae longo

2011 Ministerio de Cultura

et assiduo utriusque illius Gentis numorum usu, non in ectypis modò quae vulgo circumferuntur, sed in archetypis ipsis, ex eorum praecipue inter se collatione et conflictu, pridem observaveram, quaeque de hoc argumento è Veterum et Recentiorum commentariis hauseram raptimque in deletitias schedas conieceram, colligere et in unius scriptionis speciem conformare, ne videlicet interciderent.

Nec aliam Amicorum mentem fuisse existimo qui mihi prioris illius consilii auctores exstitere. Atque hi quidem cum me ab arduis et molestissimis curis, quibuscum solido ferme decennio conflictandum omnino fuit, emersisse tandem, atque ad intermissa studia revocatum de edendis quos pridem Regio iussu confeceram manuscriptorum Escurialensium codicum Latinorum Graecorum Hebraeorum catalogis cogitare animadverterent: consilium quidem meum probavere; sed ea tamen lege, ut quae de priscis Hispaniae numis, quos INCOGNITOS vocant, olim collegisse me noverant in ordinem antea redigerem. Id autem mihi in familiaribus colloquiis atque identidem obtestati, paucorum mensium, ut ipsis quidem videbatur, laborem fore dictitabant, quique schedas et observationes meas ab interitu vindicaturus esset: provinciam integram frustraque hactenus ab Eruditis tentatam: numorum de quibus agendum erat Hispanam prorsus messem et Hispanici soli peculiarem, neque exteris colonis permittendam. Atque hi ita disserebant, quin verbum interea de numis Hebraeo-Samaritanis adderent, ac de iis ne cogitarent quidem.

Mihi

2011 Ministerio de Cultura

Mihi vero ubi rem propius inspicio, atque ad primaevas Phoenicum et Graecorum origines ascendo, pronum initio fuit coniicere, quantum Hebraicarum, quas Samariticas vocant, litterarum praenotio sit allatura praesidii iis qui de Hispano-Phoenicum et Hispano-Graecorum numis serio agere, atque in huius studii adyta penetrare cupiunt. Cum enim non dialectus modo, sed utriusque eius Gentis alphabeta è priscis Hebraeorum litteris et sermone descendant, quod suo demum loco planum fiet: aegrè et vix quidem seiungi haec studia patiuntur aut possunt. Ac de Hebraica Graecarum in Hispania litterarum origine, cum eae peregrino atque insolenti habitu ad nos devenerint, erunt fortasse qui dubitent; Phoenicum vero Hispaniensium litteras, ubivis in Gaditanorum, Canacensium, Abderitanorum numis conspicuas, si quis cum Phoenicum propriè dictorum, quas Tyri et Sidonis numi exhibent, atque adeo cum priscis Hebraeorum seu Samariticis litteris (1) singulatim contulerit, non similes tantum sed easdem plane deprehendet, unamque in universum esse agnoscet utriusque scripturae indolem: prorsus ut, quod olim in dissimili argumento Comicus,

Qui utramvis recte nórit, ambas noverit.

Quae

(1) Liceat mihi tantisper in his qui litterarum Samariticarum πρωτοστασίαν, easque primaevas Hebraeorum litteras fuisse existimant, nomen profiteri, dum eam sententiam, quae mihi semper visa probabilior, certe omnium communior est, ex indubia numorum Hebraeo-Samaritanorum fide, atque ex aliis locis, quae intrinseca vocant, utcumque fulciendam et comprobandam ad me recipio. Non enim me latet Ioann. Buxtorfium F. Ioann. Franciscum Buddeum, Lightfootum, Wasmuthum, Steph. Morinum, Calovium, aliosque magni in Rep. litteraria nominis viros in alia ivisse omnia.

2011 Ministerio de Cultura

Quae cum ita se habere, ac, si propositum tandem assequi vellem, de numis Hebraeo-Samaritanis omnino mihi atque ex professo agendum esse intelligerem: non fuit consilium tritam hactenus pro iisdem explicandis viam ingredi; sed planiore et expeditiore alia, quaeque universae tractationis summam contineat, tutum facilemque in haec studia legentibus aditum praemunire.

Etenim Iudaeorum Sapientes, qui primi omnium nobis siclorum Israëlis notitiam ingenuerunt, de reliquis Hebraeo-Samaritanis numis, qui nunc teruntur Eruditorum manibus suoque demum loco explicandi venient, ne meminere quidem. Immo cum illorum vel maximè interesset Hebraicae gentis gloriam, ritus, veterem scribendi rationem aliaque id genus in iis numis obvia aut non obscurè indicata penitius nôsse et serae posteritati consecrare; cumque in iisdem ipsis numis non parum praesidii Iudaeis esset adversus Apionis et aliorum calumnias queïs passim impetebantur: omnem nihilominus de iis explicandis ac describendis curam et cogitationem abiecisse videntur: tantum ipsis malorum aut longa rerum suarum oblivio, aut insitum in Samaritanos odium suadere potuit! In toto certè, quam late patet, corpore Mischnico et Gemarico (2), in veterum et recentium Rabbinorum commentariis, atque apud Iosephum et Philonem, nulla prorsus numorum Hebraeo-Sa-

(2) Habetur quidem in Codice Mischnico מסכת שקלים *massécet scekalim*, seu *Tractatus de siclis* cum Gemaricorum commentariis apud Guilielmum Surenhusium Part. II. pag. 176. Exstant quoque eiusdem Codicis *Tosaphta* sive *additamenta*, quae

2011 Ministerio de Cultura

Samaritanorum, ac ne sicli quidem, quod ad scripturam et litterarum formas attinet, nisi perlevis mentio, nedum explicatio exstat.

quae unà cum Gemara Ierosolymitana primus omnium Hebraice et Latine vulgavit amicus olim noster Cl. Blasius Vgolinus *Thesaur. antiquit. sacr.* Tom. XVIII. in ipso statim limine; neutrubi tamen de siclorum formis, typo, litterarum quibus inscripti erant figuris agitur; sed de tempore quo dimidium sicli, à Iudaeis pro Templi fabrica et Tabernaculi instauratione viritim quotannis pendi solitum, *proclamari*, id est colligi debuit; item quinam ex Iudaeis illud solvere, qui recipere tenerentur, quosque in usus converti oportuit. In Codice מגילה *megilláh*, seu *De volumine Esteris* Cap. I. num. 8. et Cap. II. num. 2. apud eundem Surenhusium Part. II. pagg. 390. et 392. nonnulla leguntur de ordine sive ratione conscribendi libros *Tephillín*, *Mezúzae*, *et Megíllae* (quos aut secum Iudaei perpetuo gestant, aut praecipuas eorum sententias aedium postibus affigunt); ea tamen ad linguam in qua eos scribi oporteat, potius quam ad litterarum formas Assyriacamque aut Samariticam scripturam referenda. Demum in Codice ידים *Iadáim*, seu *De lotione manuum* Cap. IV. num. 5. apud Surenhus. Part. VI. pag. 490. meminit *R. Maimonides* duplicis scripturae Assyriacae, nimirum eius *in qua Hebraei Legem conscribunt* (quae proprie Assyriaca est), *et in qua Deus Legem conscripsit*, quae proinde אשורית *Assurít*, sive *Assyriaca* etiam, id est *beata* dicta fuit, propter Auctoris excellentiam.

De siclis Hebraeorum et Samariticarum litterarum formis, è Veteribus Iudaeis egêre *R. Salomon Iarchi*, *Rascí* vulgo à popularibus suis dictus (quem saeculo XI. exeunte et sub initium sequentis floruisse perhibent Hebraeorum Bibliographi) in Commentariis ad Cap. I. *Megillae*, et II. *Sanhedrin*: *R. Moses Ben Maiemonis* Cordubensis, *Rambám* communi vocabulo appellatus, ipsique saeculari anno Chr. MCC. aut sequenti immortuus (quamvis nonnulli ad annum usque MCCV. vitam eius protrahant) in expositione Mischnae Cod. *Iadáim* loco paulo ante citato: *R. Moses Ben Nachman* Gerundensis, *Rambán* ab Hebraeis passim nominatus, qui sub idem ferme tempus, id est circa annum Chr. MCCX. vixit, et unus omnium siclum Israëlis et Samariticas litteras descripsit exposuitque; et fortassis alii apud Buxtorfium Patrem, Plantavitium, Bartoloccium, Ioann. Christophor. Wolfium videndi: quibus adnumerandum censeo *R. Mosem Kimchium*, Iosephi filium, Davidis fratrem, qui eodem Bartoloccio teste (*Biblioth. Rabbin. Part. IV. p.* 237.) circa annum Chr. MCXC. opusculum scripsit: שקל הקדש *Scékel hakodésc*, seu *Siclus Sanctuarii*, Venetiis apud Danielem Bombergum 1546. et alibi saepius editum. E Recentioribus vero *R. Moses Básula* seu *Bésola*, quem circa annum Chr. MDLX. Samaritanorum alphabetum sive Cuthaeorum litteras è numis desumtas ordinasse tradit *R. Azarias de Rubeis* apud Montfauconium (*Palaeo-*

2011 Ministerio de Cultura

Christiani Doctores ad annum usque salutis MD. Hebraeorum numos omnino non noverant, ac ne de iis quidquam fando audiverant. Enimvero siclorum notitiam, exiguam illam quidem, qualis apud Salomonem Iarchium et in Mose Nachmanide legitur, ex horum in Mischnam et in Pentateuchum commentariis hausisse poterant; sed cui parum aut vix fiderent, ob insitam Hebraeorum genti levitatem et res suas in maius extollendi studium. Itaque quidquid ad eam diem de Hebraicis numis circumferebatur, meras putabant praestigias et otiosorum hominum commenta. Quin etiam, illum ipsum Hebraicum siclum, quem ante annos fere DC. Accone se vidisse narrat Nachmanides, quamvis semuncialem, id est iusti ac legitimi ponderis, ac Samaritïcis seu transfluvialibus litteris inscri-

laeograph. Gr. Lib. II. Cap. 2.) tum ipse *R. Azarias*, qui paucis pòst annis opus evulgavit inscriptum: מאור עינים *Meór henáim*, id est *Fons oculorum*, in cuius tertia parte, cui titulus: ימרי בינה *Imré bináh*, seu *Verba intelligentiae*, cap. 56. de litteris transfluvialibus accurate disputat, et quem archetypum viderat Israëlis siclum describit. Item *R. Moses Alasker* AEgyptius, cuius aetas Bartoloccio non satis explorata fuit, numorum Hebraeo-Samaritanorum epochas invenisse (ap. Souciet. *Diss. sur les med. Hebr. pag.* 28.), idemque siclos in quos inciderat descripsisse dicitur, atque in iis legisse: *anno tali consolationis Sion: anno tali talis Regis.* Locum Alaskeri integrum adducunt Villalpandus, et utroque sermone Ioannes Morinus Exercit. II. cap. 10.

Iosephus *III. Antiquit. VIII.* 2. Hebraici sicli pondus quatuor drachmarum Atticarum esse ait; sed nihil praeterea de eiusdem typo, aut de litterarum formis subdit. Neque apud Philonem numorum Hebraeo-Samaritanorum, ac ne sicli quidem, nec drachmarum mentionem aliquam exstare arbitror; in eam saltem non incidi, nisi in *De specialibus legg. quae referuntur ad tertium quartum et quintum Decalogi capita*, quo loco pretium redemtionis voti in viris statuitur *ducentarum drachmarum argenti puri* (δραχμὰς διακοσίας νομίσματος ἀλαργύρου): quae si conferantur cum Sacro Textu *Levit. XXVII. vers.* 3. ubi idem redemtionis voti pretium dicitur esse *quinquaginta siclorum argenti*: ostendunt quatuor drachmas á Philone singulis siclis attribui.

2011 Ministerio de Cultura

scriptum, non desunt hodiedum qui subditítium et recentis commatis existiment (3).

Saeculo dein sequente, cum et ingenuae artes excoli, et rei numariae studium ubivis per Europam frequentari coepisset, fuere qui germanos Hebraeorum numos internoscerent et ab adulterinis secernerent, prioresque illos nativâ quam prae se ferebant specie et simplicitate satis commendatos in vulgus emitterent, quum tamen eorum sententiam nondum plene assecuti essent. Atque è nostratibus Benedictus Arias Montanus et Antonius Augustinus, eodem XVI. saeculo inclinante, binos qui ipsis obtigerant Israëlis siclos protulere, primique omnium ex archetypis ad verum expressos atque ad iustam trutinam exactos, non tamen integrè explicatos, aeneis tabulis incîdi curavere: de quibus nos alias. Alfonsus postea Ciaconius, Ioannes Vincentius Lastanosa, et nuperrime omnium Cl. Blasius Antonius Nassarrius Regiae Bibliothecae Matritensis Praefectus, quos possidebant siclos semisiclosve aut vulgavere ipsi (4), aut aliis edendos permisere (5), quin verbum interea de suo pro iis explicandis adderent.

Atque hi quos postremo loco nominavimus potuissent qui-

(3) Bartoloccius Biblioth. Rabb. Part. IV. pag. 161. col. 2.

(4) Nimirum *Lastanosa*, et *Nassarrius*: ille quidem in Hispano Opere *Museo de las medallas desconocidas Españolas*, Oscae 1645. Tab. XLIV. num. 134. hic in alio itidem Hispano *Bibliotheca universal de la Polygraphia Española compuesta por Don Christoval Rodriguez*, Matriti 1738. in Prolog. fol. VII. pag. 2. et fol. IX. quo tamen loco pauca pro siclo quem vulgaverat explicando subdit.

(5) Ciaconius quem possidebat semisiclum edendum permisit Ioanni Baptistae Villalpando Cordubensi; exstatque in huius *Apparatu Vrbis ac Templi Ierosolymitani* Part. II. T. III. in tabula Hebraeorum numismatum, post pag. 378. num. IV.

2011 Ministerio de Cultura

quidem si vellent accuratam siclorum expositionem dare; quum quo tempore lucubrationes suas ediderunt illorum aetas et sententia ex aliis, quos aevum protulerat, Hebraeorum numis definita iam atque explorata esset. Priores non item; necdum enim eorum tempore detecti aut pro Samaritanis habiti fuerant ii numi, in quibus *Simonis* Machabaei nomen, aut nudum, aut cum epitheto *Princeps Israëlis* legitur; neque qui *primum*, *secundum*, et *sequentes principatûs eius annos*, cum epigraphe *libertatis Ierusalem*, et *redemtionis Sion* insculptos exhibent. Cumque alias crebram in Veteris Testamenti libris sicli Israëlis eiusque partium mentionem exstare animadverterent, numorum vero prope nullam (6): pronum ipsis erat existimare in solis siclis semisiclisve, quorum ectypa vulgaverant, universam rem numariam Hebraeorum constitisse.

Hunc autem toto XVI. saeculo, et usque ad initium sequentis, litterarum Samariticarum apud Christianos renascentium statum fuisse non in Hispania modo sed per Europam universam, inde licet colligere, quod nullum ad eam

(6) Numorum Hebraicorum in Vulgatis nostris singularis tantum mentio exstat *I. Reg.* 2. *vers.* 36. Sicli eiusque partium varia et multiplex, eaque cum adiunctis: *probatae monetae publicae*: *ponderis publici*: *Sanctuarii*: *iuxta mensuram Templi*, et fortasse aliis. שקל *scékel* autem et שקלים *scekalim*, seu שקלי כסף *sciklé céseph*, quemadmodum saepissime in textu Hebraeo legitur, Vulgatus Interpres, Pagninus, et Arias Montanus *siclum*, et *siclos argenti* perpetuo reddunt: pro qua voce Hispana Ferrariensis 1553. habet *pessos de plata*, Cassiod. Reyna et Cypr. Valera *siclos de plata*. Quo autem loco non de siclis, sed de numis sermo est, nimirum *I. Reg.* 2. *vers.* 36. Hebraeus textus utitur voce אגורת כסף *agorát céseph*, quae proprie *concisum argenti* sonat, à radice גרר *garár*; aliis *collectum*, ab אגר *agár*. Vulgatus Interpres pro ea *numum argenteum*, Pagninus et Montanus *minutum* reddunt, Ferrariensis *meaja*, Cassiod. et Cypr. *dinero de plata*.

2011 Ministerio de Cultura

eam diem, sive ad annum Christi MDC. in Italia, Gallia, Germania, Anglia aut alibi de eo argumento scriptum prodierit. Quod ut fiat dilucidius, Auctorum qui de numis Hebraeo-Samaritanis tractavere, eorum saltem qui ad manus nostras pervenerunt, seriem attexere hoc loco visum fuit: quae plane nos edoceat, quid singuli ad hanc ornandam Spartam contulerint, quid in unoquoque probandum quid reiiciendum sit; tum denique quibus gradibus ad eam numorum Hebraeo-Samaritanorum cognitionem perventum, quam novae Eruditorum de hoc argumento lucubrationes exhibent, quamque Ipsis labor tandem improbus et multorum annorum vigiliae peperere.

Primus igitur, quem ego sciam, omnium Guilielmus Postellus, cum alicubi apud Iudaeos diversatus in siclum Israëlis incidisset, neque ullo eum pretio à possessoribus potuisset redimere, utcumque sibi describendum curavit, et ad annum MDXXXVIII. Parisiis buxo incisum in lucem emisit, adiecta levi ac simplici epigraphes eiusdem lectione et interpretatione, nimirum hinc: ירושלים הקדושה *Ierusca-láim hakedóscah*, *Ierusalem sancta*; inde vero: שקל ישראל scékel Israël, *pondus*, seu *numisma Israëlis*: quam ego, quod ad litterarum formas earumque ordinem et numerum spectat, optima fide descriptam et Latinè redditam comperi; symbola tamen, quae utrimque numus exhibet, vix ullam siclorum ideam ingenerare possunt spectantium animis: usque adeo rudia sunt atque informia; ut appareat, qui primus siclum descripsit, de iis non aequè ac

2011 Ministerio de Cultura

de litteris ad amussim exprimendis sollicitum fuisse.

Nec Postellus binas itidem, quae in media sicli area calici insident, litteras שב *Scin Beth*, secundum principatûs Simonis annum indicantes, legit aut interpretatus fuit, quamvis non minore quam reliquas sollertiâ eas exprimi curaverit; neque sicli pondus, modulum, conformationem edixit: contentus *antiquum*, ut Ipse ait; *Hebraeorum, nunc Samaritanorum alphabetum* praemisisse, totidem atque hodiernum, sive Assyriacum, litteris constans; cum tamen vix dimidia earum pars in siclo, cuius ectypum protulit, reperiatur. Postelli locum integrum ex Alphabeto XII. Linguarum, quoniam is liber insigniter rarus apud nos est, extra ordinem adiicere placuit (7). Atque haec fuere Samariticarum litterarum, et universae rei numariae Hebraeorum apud Christianos Doctores incunabula, primaque ut putamus in Occidente huius studii lineamenta.

Eodem saeculo inclinante, nimirum anno MDLXXI. Benedictus Arias Montanus siclum Israëlis Ipsi, dum Tridenti in Concilio ageret, ab Archiepiscopo Lestrigoniae do-

(7) Alphabetum XII. Linguarum Parisiis anno MDXXXVIII. in *De Lingua Samaritana*: *Esse autem huiusmodi* (litterarum) *formas antiquas argumento mihi fuere numismata argentea magnam admodum antiquitatem repraesentantia, quae excusa vidi apud ipsos Iudaeos, qui ea usque adeo magni thesauri loco ducunt, ut unum* (*quod alioqui quincunce non aestimes*) *non potuerim mihi duobus aureis redimere; asseruntque esse à temporibus Salomonis ::: Iungebantque, nihil aliud esse causae* (*quum alioquin ipsos Samaritanos cane peius et angue oderint, quos vix colloquio dignos putant*) *cur ita cara illa numismata habeant, nisi quia illi characteres illic exsculpti olim sibi in usu familiari fuissent, quasi naturâ quadam illos ad pristina revocante. Asserunt etiam in dies Hierosolymis, quae hodie* Chus, *aut* Chussembarich *dicuntur, in maceriis et ruderibus profundissimis haec crebro ab effossoribus reperiri ::: Exsculpendum illud numisma mihi curavi, et hìc adscribendum*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

dono oblatum, explicandum sibi proposuit, instituta in eam rem peculiari tractatione *De siclo eiusque partibus* (8). Is autem siclus, quod ad typum et sententiam spectat, nihil aut perparum à Postelli siclo differebat, inscriptio tamen non erat utrobique eadem. Etenim in Postelliano, qua parte trifidum ramum exhibet, τὸ *Ierusalem sancta* tredecim Samariticis litteris constat, cum in Montani siclo eadem omnino sententia decem non amplius litteris contineatur. Praeterea Postelli siclum binas supra calicem litteras שב, *Scin Beth*, exhibere non ita pridem dicebamus; Montani, singularem, ut in ectypo visitur, et plane diversam in eadem sede, nimirum Samariticum א *Aleph*: cuius utriusque diversitatis rationem suo loco dabimus.

Montanus, ut coniicio, Postellum non viderat, quem alioqui silentio minime praeteriisset, sed sicli lectionem et interpretationem à Mose Nachmanide Gerundensi, ut ipse ingenue profitetur, mutuatus, eam protulit nonnihil emendatam. Etenim cum in Nachmanidis siclo Cuthaei legerent *siclus siclorum* (9), Montanus *siclus Israëlis* optimo iure re-

(8) Exstat in Ariae Montani Apparatu sacro in *Thubal-Cain*, sive *De mensuris sacris* sub titulo *Ephron*, sive *De siclo*: quod opus quamquam anno MDLXXII. typis editum appareat, subscriptum ab Auctore fuit IV. Calendas Augusti anni praecedentis, seu septuagesimi primi.

(9) Ita à Cuthaeis legi testatur Nachmanides, ex versione Benedicti Blancutii, cuius haec sunt verba apud Villalpandum (*Appar. part. II. disp. IV. num. 21.*) *Et ostendit dictus senex scripturam* (sicli) *Cuthaeis, qui illam legerunt* (*scriptum enim erat litteris* Héber, *quae remanserunt dictis Cuthaeis, ut habetur in Sanhedrin*) *ex uno latere*, שקל השקלים, sékel hasekalím, *siclus siclorum*; *et ex alio legerunt*, ירושלים הקדושה Ierusaláim hakedósah, *Ierusalem sancta* cet. Consonat Montfauconii versio apud Eumdem (*Palaeogr. Gr. lib. II. cap. 2.*): *Illam vero scripturam noverant et facile legebant Cuthaei: quia erat scri-*

2011 Ministerio de Cultura

restituit, ignarus eadem Postellum praesensisse. Praeterea Montanus siclum qui ipsi obtigit affabre aeri incisum repraesentavit, pondus ad iustam trutinam exegit atque edixit, modulum sive orbitam et crassitudinem expressit, nihil denique eorum praetermisit quae ad sicli eiusque partium illustrationem conferre posse animadvertit; quamvis ubi ad singularem illam quae calici incumbit litteram accessit, inexplicatam relinquere, et ἀπέχειν, quam de re non satis sibi explorata iudicium ferre maluerit (10).

Triennio post Montanum Andreas Masius in absolutissimo quem Antuerpiae anno MDLXXIV. vulgavit commentario in Iosuae Imperatoris historiam, siclum descripsit Libanicis seu Samariticis litteris insculptum, in cuius, ut ipse ait, facie, quae virgam Aaronis ostendit, legebatur, itidem atque in Postelliano, ירושלים הקדושה *Ierusaláim hakedóscah*, seu *Ierusalem sancta*, tredecim omnino litteris; in altera vero facie in qua vasculum illud quo manna servabatur, שקל ישראל *scékel Israél*, id est *siclus Israëlis*; supra vasculum vero binae

scriptura Ibrí, *seu transfluvialis, quae apud Cuthaeos residua erat, quemadmodum memoratur in Sanhedrin. Ex una vero facie legebant* siclus siclorum; *ex altera* Ierusalem sancta, cet.

(10) Scio Villalpandum existimasse eam litteram à Montano intellectam quasi esset *unitatis* nota, quâ sicli adversa sive anterior facies significaretur: quam etiam dicam summo Viro Waltonus atque etiam Conringius appinxere; sed gratis omnino, cum nihil tale in loco ad quem Villalpandus provocat, mox describendo, nec uspiam alibi apud Montanum legatur. Villalpandi verba haec sunt (*Appar. Vrb. Part. II. lib. II. disp. IV. cap. 26.*) *Eam namque litteram* (יהי א Aleph nimirum calici insidentem) *Benedictus Arias Montanus ita videtur interpretari, ut sit unitatis nota, priorem* (sicli) *faciem significans.* Quo loco ad oram è regione additur: *B. Arias Montanus in apparatu Biblico, in figura sicli*; Waltoni vero (*Appar. Polygl. Londin. in supplem. de siclor. formis et inscript.*) haec: *Per* ℵ Aleph *vero* (urnae) *inscriptum indicari vult Arias Montanus priorem sicli faciem.* Eadem ferme Conringius in Paradox. cap. IX. circa fin.

2011 Ministerio de Cultura

nae visebantur litterae ש מ *Scin Mem*, quarum Ipse, primus opinor omnium, enodationem tentavit, sed parum feliciter; cum eas principes putaverit Hebraicarum vocum שלמה מלך, *Scelomóh mélec*, Salomon Rex (11). In eo autem summum alioqui Virum non semel à vero deflexisse, notius esse existimo quam ut probatione egeat; cum iam constet eo litterarum compendio sicli epochen, seu secundum principatûs Simonis annum designari; et praeterea littera מ *Mem*, quam sibi Masius in siclo vidisse visus fuerat, non *Mem*, sed ב *Beth* omnino esse debuerit, ut in aliis eiusdem commatis siclis et semisiclis perpetuò ab Eruditis observatum: qua de re nonnulla nos extra ordinem (12).

An-

(11) Habetur haec sicli descriptio apud Eumdem cap. VII. pag. 135. Edit. Antuerp.

(12) Sicli et semisicli proprie dicti, nimirum in quibus τὸ שקל ישראל *scékel Israél*, siclus Israëlis, aut חצי השקל *chatsí hascékel*, dimidium sicli expresse legitur, ad primum vel secundum *principatûs Simonis*, seu, quod eodem redit, *libertatis Ierusalem*, et *redemtionis Sionis* annum referendi omnino sunt. Qui tertium quartumve eiusdem principatûs annum exhibeant, seu, quod idem valet, qui litteras ג *Ghímel*, aut ד *Dáleth* supra urnam conspicuas gerant, hactenus ab Eruditis observati non sunt, ac proinde suspicioni multum obnoxii, nec sine superstitioso examine probandi: quidquid Montfauconius (*Palaeogr. Gr. lib. II. cap. 2. pag. 124.*) Waserus (*de antiq. num. Hebr. in Tab. numor. nn. 8. et 9.*) Villalpandus (*Tab. numor. n. 3.*) et alii contra sentiant. Qui vero eam epochen praetergressi sextum Simonis annum prae se ferunt, quorum Spanhemius meminit (*de praest. et usu numism. Dissert. II. pag. 68.*) omnino repudiandi. Sicli autem et semisicli, quos ad primum vel secundum Simonis annum pertinere diximus, praeter numeralem quae urnae seu calici insidet litteram א *Aleph*, aut ב *Beth* praeëunte ש *Scin*, quae eos invicem discernit, aliam habent inter se διάκρισιν, quae vix scio an hactenus ab Eruditis observata sit. Etenim in iis qui ad primum annum pertinent inscriptio *Ierusalem sancta* decem, non amplius Samariticas litteras continet, nimirum ירושלם קדשה; in iis autem qui ad secundum, eaedem voces et sententia tredecim omnino litteris exprimitur, scilicet ירושלים הקדושה: quod nos in siclis et semisiclis quos archetypos vidimus, et in ectypis quae vulgo circumferuntur perpetuum esse periculo fa-

2011 Ministerio de Cultura

Anno dein eiusdem saeculi LXXXVII. prodiere Ill. Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis *Dialogi de numis* Tarracone apud Philippum Mey, eaque princeps creditur eximii operis editio. In his Cl. Auctor nonnulla de Hebraeorum numismatis edisserit, et quem possidebat siclum aeri insculptum exhibet, adiecta Rabbini cuiusdam Gerundensis expositione, quae tamen non integra (nam binas quae calici incumbunt litteras שׁב, *Scin Beth* indictas praeterit) et ex parte falsa est; cum pro *siclus Israëlis*, uti lectum oportebat, *siclus sanctuarii* Rabbinus reddiderit (13). Mirari autem subit Virum eruditissimum Graecarumque et Romanarum antiquitatum peritiâ insignem, vel post editas à Postello, Montano et Masio lucubrationes, in tanta circa Hebraeorum numos haesisse caligine: unde primum mihi sufacto didicimus; ac proinde si numeralis littera urnae insidens in aliquo eorum *erasa* aut *exesa* fuerit, atque hinc emergat dubium ad primumne an ad secundum Simonis annum siclus semisiclusve referri debeat: ex litterarum numero lis aestimanda, et secundûm eum pronuntiandum omnino sit. Atque hinc descendit, in Masii siclo, quem tredecim Samariticas litteras exhibere praenotavimus, numeralem illam quae calici incumbit, non מ *Mem*, ut Vir doctus existimabat, sed ב *Beth* omnino esse debuisse, qua secundus principatûs Simonis annus designaretur. Consulto autem *erasam* aut *exesam* numeralem supra urnam litteram dixi; nullum enim hactenus siclum semisiclumve ab Eruditis observatum scio, cui numeralis littera insculpta non sit; ac proinde quarta illa siclorum epoche carentium classis, quam Soucietus (*Dissert. sur les medailles Hebraïq. pag.* 24.) et Bonifacius Finettus (*Trattato della Lingua Ebraïca e sue affini pag.* 112. *in not.*) inducunt; et quae falsae huic thesi prior Ille superstruxit, solido fundamento destituta sunt.

(13) Antonii Augustini verba sunt (*Dial.* II. *num.* 2.): *De la una parte tiene el siclo un vaso, como un caliz, y de la otra un ramo con tres flores ò almendras, con unas letras antiguas, que segun entiendo por relacion de personas dotas, son de las que escrivian los Samaritanos; y refiere un Rabi natural de Girona* (nimirum ut puto Nachmanides), *que en la una parte decia*: Hierusalem Ciudad santa; *y en la otra*: Siclo del Santuario, *cet.*

2011 Ministerio de Cultura

suspicio enata, Dialogorum opus, utut anno demum MDLXXXVII. in lucem prodierit, multo ante id tempus à Cl. Auctore conscriptum, aut saltem exasciatum fuisse. Rem autem ita se habere facilè comperi, Auctoremque dum Dialogos prelo pararet, ab Amico et populari (14) opportunè admonitum, exinde omnem de iis emendandis atque edendis cogitationem abiecisse: quo factum ut non nisi post eius mortem prodierint (15). Sed ut ad rem redeam.

Ineunte saeculo XVII. id est ad annum MDCII. Ioannes Baptista Villalpandus Cordubensis non modò siclorum et semisiclorum quos archetypos viderat, sed et numorum qui Simonis Machabaei nomen cum epigraphe *libertatis Ierusalem*, et *redemtionis Sion* insculptum gerunt, lectionem atque expositionem aggressus fuit, laudando quidem conatu, neque prorsus irrito; cum vel errores in quos passim la-

(14) Is fuit Hieronymus Surita rerum Aragoniae Historicus, acris iudicii et admirandae doctrinae Vir, in litteris ad Antonium Augustinum datis Caesaraugustae XIII. Ianuarii MDLXXIX. quae apud Didacum Iosephum Dormerium (*Progressos de la Historia de Aragon pag.* 424.) et apud eumdem Ant. Augustinum (*Tom. VII. Collectionis Lucensis pag.* 224.) videri possunt. Ex iis autem elicitur Dialogorum opus multo ante annum MDLXXIX. conscriptum fuisse; tum quid Surita non de opere (quod ipse numquam vidit), sed de eius editione sentiret. Putabat enim vir prudens et ab assentatione longe alienus non satis prospici Ill. Auctoris famae atque existimationi, si post tot tamque egregia ab eo edita et severioribus Musis consecrata doctrinae atque ingenii monumenta, Dialogi de numis sub Eiusdem nomine vulgarentur; ea praesertim qua tunc erat aetate, et postquam amplissimis in Rep. Christiana muneribus et honoribus defunctus fuisset. Quod autem Nicolaus Antonius (*Bibl. Hisp. nov. Tom.I. in Antonio Augustino*) subdit: *Dialogorum opus Tarracone anno* 1587. *sive etiam prius, anno nimirum* 1575. *prodiisse*, nescio cui fundamento nitatur. Ex Suritae certe litteris elicitur ad annum 1579. id opus prelo maturescere, et eatenus evulgatum non fuisse.

(15) Decessit Ill. Antonius Augustinus MDLXXXVI. prid. Cal. Iunii, ut in eius epitaphio legitur.

2011 Ministerio de Cultura

labitur numorum qui ipsi obtigerant vitio, veniâ digni et iis maxime salutares fuerint, qui idem postea studium cum laude professi sunt. Itaque quidquid de Hebraeorum numis Villalpandus edixit, summo cum plausu ab omnibus exceptum fuit, totoque ferme saeculo XVII. apud Eruditos obtinuit (16); atque existimo iisdem nos hodieque obducendos tenebris, nisi qui postea detecti sunt Hebraeorum numi lucem aliquam prioribus foenerassent.

Et quidem, quod ad siclos spectat, Villalpandus ternos accuratissime aeri insculptos repraesentavit, semisiclum primus omnium protulit, legit, atque optime interpretatus fuit, indicato singulorum pondere modulo et crassitudine; quamquam ubi ad numerales, quas urnae impendêre dicebamus, litteras ventum est, ad eundem ac priores reliqui scopulum alliserit, inque iis bina Dei nomina, nimirum אדוני *Adonâi*, שדי *Sadâi*, id est *Dominus*, *Omnipotens* contineri falsò sibi persuaserit; ternos verò quos praeterea vulgavit numos, quantumvis *sicli* titulo destitutos, in Hebraeo-Samaritanorum censum retulit; cumque bona ex parte mutili ac plurimum detriti essent, ut ex eorum ectypis apparet: in altero *Samuelis* nomen deprehendisse sibi visus fuit, non multum à vera lectione abludens, in alio ternas radicales ττ *Simonis* litteras invênit, tertii demum veram lectionem et Hebraicam sententiam

(16) *Ita quidem* (inquit Hotting. Dissert. II. de numis Orientalium num. XI. apud Vgolinum, Thes. T. XXVIII. col. 1352.) *haec aenigmata* (circa Samaritanorum numos) *solvuntur à Villalpando, quem magno applausu hactenus reliqui fere omnes sunt secuti.*

2011 Ministerio de Cultura

tiam protulit: quae non usque adeo erant posita in proclivi. Sed de his nos singulatim aliàs (17).

Villalpandum excepit Gaspar Waserus Tigurinus qui ad annum MDCV. opus evulgavit inscriptum *De antiquis numis Hebraeorum Chaldaeorum et Syrorum* (18) in binos libros distributum, cui tabulam praefixit varia numorum tum Samariticorum, tum etiam Assyriacorum, Graecorum, Latinorum atque Arabicorum ectypa exhibentem. In eo autem opere, si libere philosophari licet, magno molimine non magnum operae pretium fecisse dicendus est. Etenim cum in priore libro totus sit multusque in explicandis vocibus quibus Hebraei Chaldaei ac Syri *peculium* atque omne genus divitias exprimebant; item *auri*, *argenti*,

(17) Per haec, ut coniicio, tempora *Eduardus Brerevood* doctum et laboriosum opusculum conscripsit *De ponderibus et pretiis veterum numorum*: in quo de siclo, semisiclo, triente, et quadrante sicli agit, neque tamen eorum icones exhibet, sed tantum Scripturae loca indicat in quibus habetur ipsorum mentio, adscriptis unicuique numo pretiis. Citat autem Ariam Montanum, Antonium Augustinum, Andream Masium; non item Recentiores, neque Waserum, ut eum tempore praecessisse verisimile sit. *Le-Longius* (*Biblioth. Sacr. Tom. II. pag.* 650. *col.* 2.) eum anno 1613. obiisse tradit. Habetur integrum apud Waltonum in apparatu Polyglottorum Londinensium *De ponderibus et mensuris à pag.* 30. Item in Criticis sacris in fine Tomi quinti. Sed et paulo ante Brerevoodum *Stanislaus Grsepsius* Polonus Cracoviensis tractatum scripserat *De multiplici siclo et talento Hebraico*, cuius non uno in loco Villalpandus cum laude meminit. Prodiisse autem primum Antuerpiae 1568. tradit Le-Longius (*Biblioth. Sacr. pag.* 755. *col.* 1.) et saepius alibi recusum; nos eum legimus apud Vgolinum (*Thesaur. Antiq. sacrar. Tom. XXVIII. col.* 585.) in quo etiam siclorum icones omittuntur, uti et apud *Willebrordum Snellium*, qui paulo post Grsepsium singularem *De re numaria* librum conscripsit, et in eo de siclo, semisiclo, et sicli triente agit. Habetur in Thesauro Antiquitatum Graecarum Gronovii Tom. IX. à col. 1555.

(18) Prodiit primum Tiguri MDCV. teste Le-Longio *Biblioth. sacr. Tom. II. pag.* 1013. nos id legimus in Criticis sacris Tom. V. sub fin. cui Editioni *figurae numorum aere eleganter expressae*, additae dicuntur.

2011 Ministerio de Cultura

ti, *aeris*, eorumque synonymis et origine, adiecta peculiari tractatione de *Quaestorum*, *Mensariorum*, *Argentariorum*, *Mercatorum*, *Publicanorumque* apud eas Gentes nominibus, in quibus sunt bona (neque enim inficior), sunt quaedam mediocria, sunt etiam inutilia plurima et longissime à scopo deerrantia: ubi ad rei summam in posteriore libro ventum est, usque adeo leviter ac perfunctorie de Hebraeorum praesertim numis agit, quasi aliud ei propositum fuisset.

Ac primum quidem omnium Montanum expilat (19), eiusque sicli ectypum regerit, nihil de suo addens, atque itidem insalutata numerali supra urnam litterâ, *Lib. II. cap.* 3 : eiusdem sicli, qua parte trifidum ramum exhibet, epigraphen miserè vexat et in duodecim litteras distorquet, quae in archetypo decem non amplius continetur, *Ibidem*: siclos quos vidit (vidisse autem affirmat plurimos) omnes litteram א *Aleph* supra calicem procusam habere ait, II. 5; cum ii, seu qui ad primum Simonis annum pertinent, longe rariores prae illis sint qui binas ea sede litteras ש ב *Scin Beth*, secundi anni indices exhibent : Davidis et Salomonis siclum cum expressis eorum nominibus sistit ac multis explicat, adiecta utriusque vocabuli origine, *Ibidem*: ternas Samaritanorum litteras novo prorsus atque insolenti habitu depictas profert in numorum Tabula num. VII. et IX. (20); ac

(19) Notaverat id multo ante nos Hermannus Conringius (*Paradox. cap. IV. num.* 5.) inquiens: *Idem approbavit Waserus, et quidem ut sua videatur ex Aria Montano transcripsisse, iisdem prope retentis verbis* : quod et alibi, et saepius à Wasero factum nos item observavimus.

(20) Nimirum ב. ח. צ. *Beth*, *Cheth*, *Tsá-*

2011 Ministerio de Cultura

ac demum, ut mittamus alia, sicli partes pro arbitrio sibi confingit, imposita calici sive urnae quam ii insculptam exhibent singulari litterâ, non quidem anni quo siclus percussus fuit indice, uti factum oportuit, sed quae eiusdem partem, quota demum sit, denotet, nimirum semissem, trientem, quadrantem; earumque partium sive sectionum conficta itidem edit specimina, ut multo antè in eo Ioannes Morinus observavit (21).

At-

Tsáde. Quid autem ad hoc Waserum impulerit, quia non illepidum est, iuvat hoc loco exponere. Habebat ille in animo, quantum subit coniicere, siclum in partes, id est in semissem, trientem, quadrantem dividere, et singularum partium nova in vulgus specimina edere, quae proprium cuiusque partis nomen Samariticis litteris expressum gererent. A semisiclo autem exorsus, cum proprium eius nomen חצי *Chatsí*, id est, *dimidium*, seu *dimidius siclus* omnino inscribendum ipsi esset: illico sese impeditum sensit. Etenim è tribus quas ea vox continet litteris, postremam tantum, seu י *Iod*, in Montani siclo Samaritico habitu depictam viderat; binas vero priores ח צ *Cheth Tsáde*, qua figurâ à Samaritanis depingerentur, nimirum 𐤇. 𐤑, penitus ignorabat, cum eae in siclis non exstent; semisiclos autem, in quibus integra vox חצי *Chatsí* Samariticis litteris expressa legitur, non viderat, neque Villalpandi ectypum; alias ad eam vocem inscribendam non exoticos ac peregrinos, sed proprios Samaritanorum characteres adhibuisset. In ea ergo rerum difficultate nihil erat Wasero reliquum, nisi novas litterarum formas confingere. Atque hinc factum ut quod in Tab. n. 7. protulit semisicli ectypum, τὸ חצי *Chatsí* postremam omnium litteram י *Iod* optime ad Samaritanorum leges conformatam exhibeat, hac scilicet figura 𐤉; binae autem priores eiusdem vocis litterae ח צ, *Cheth Tsáde* insolenti habitu depingantur: quod etiam in ectypo *quadrantis sicli* à Wasero itidem conficto et in Tabulam num. 9. relato observare licet. In eo enim littera ב *Beth*, quae media est vocis רבע Rebiáh, *Quartus*, seu *Quadrans*, nihil commune habet cum Samaritanorum ב *Beth*, quod in siclis et semisiclis, atque etiam in numis Hebraeorum hac figurâ depingi solet 𐤁 aut 𐤂. Suboluerat id Ioanni Morino qui in Exercitat. in Pentateuchum II. cap. x. num. 5. ait: *In semisiclo Waseri priores duae litterae dictionis* חצי *Chatsí, nullam habent cum Samaritanorum litteris affinitatem.*

(21) *Waseri siclorum partes* (inquit Ioannes Morinus Exercit. in Pentateuch. II. cap. x. n. 6.) *non videntur sincerae, sed ad repraesentandas fractiones de quibus in Sacris Litteris mentio fit effictae.* Brianus tamen Waltonus adduci vix potest ut hoc

2011 Ministerio de Cultura

Atque is ipse Morinus anno MDCXXXI. Parisiis evulgavit *Exercitationes in utrumque Samaritanorum Pentateuchum*, in quarum secunda, quae est *De Hebraeo-Samaritanorum charactere*, cap. x. nonnulla protulit numorum Hebraeo-Samaritanorum ectypa ex sinceris atque incorruptis fontibus, quantum ex eorum typo coniicere licet, hausta, quaeque secum à Cl. Hieronymo Aleandro communicata fuisse affirmat. Dum autem ex litteris quas numi exhibent veteris Hebraeorum alphabeti fidem adstruere nititur, id primum Viro docto et in his studiis exercitatissimo videtur excidisse, quod ex septem quos Villalpandus, et quatuor quos Waserus protulit numos, Samaritanorum alphabeta sincera esse evidenter demonstrari existimet (22); cum paulo pòst asserat siclorum Waseri partes sibi minime sinceras videri (23), bi-

de Wasero credat; sic enim ait in Supplemento de siclorum formis et inscriptionibus (*Tom. I. Polyglottor. Londin. apparat. pag.* 37. *col.* 1.): *Waseri has sicli partes dimidiam, trientem, et quadrantem, haud sinceras esse putat Ioannes Morinus, sed ad partes siclorum in Scripturis repraesentandas effictas; sed cum rationem nullam proferat, hoc de Wasero non facile crediderim; unicuique tamen liberum sit iudicium.* Videndi Soucietus (*Dissert. sur les médailles Hebraïq. pag.* 21. *Edit. Paris.* 1715.) Conringius (*Paradox. cap.* IV. *num.* 1. *et cap.* IX. *circa fin.*) qui in hoc Ioanni Morino adstipulantur; neque id Waserus diffitetur (*Lib.* II. *cap.* 7. quod est *De sicli triente*) inquiens: *Probabile vero est, neque huius numi* (scilicet trientis) *notas vel symbola alia fuisse, quam quae fuerunt sicli integri tetradrachmi. Quare libet etiam eisdem eum figuratum hic exhibere, cum hac tamen altera parte diversa inscriptione* שלישית השקל ישראל sceliscít hascékel Israél, TRIENS SICLI ISRAELIS: *sicli videlicet sacri vel ecclesiastici.*

(22) *Morinus*, Exercit. II. cap. x. num. 2. *Ἔκτυπα praeterea siclorum septem cudi curavit Villalpandus, quatuor Waserus in libro de numis Iudaeorum, quibus alphabeta ista* (nempe Samaritanorum) *sincera esse evidenter demonstratur.*

(23) *Morinus*, Exercit. II. cap. x. num. 6. *Waseri siclorum partes non videntur sincerae, sed ad repraesentandas fractiones, de quibus in sacris Litteris mentio fit, effictae.*

2011 Ministerio de Cultura

binasque Waseriani semisicli litteras nullam habere cum Samariticis affinitatem (24).

Et illud Morino condonandum, quod cum sexti à Villalpando prolati numi interpretatio, seu vocum לחרות ירושלם *lecherút Ierusalém*, pro quibus Villalpandus Latinè reddidit *ad scripturam Ierusalem*, parum ipsi arrisisset (25), non aliam continuo è penu propria substituerit. Melior certe non est quam Christophorus Schraderus Eloquentiae Professor Helmstadiensis anno demum MDCLIV. (quo nimirum tempore ex variis doctorum Virorum lucubrationibus, et maxime ex detecto in Hebraeo-Samaritanorum numis *Simonis* Machabaei nomine cum epitheto *Principis Israëlis*, plurimum iam lucis his studiis affulserat) edidit et putavit sibi palmariam. Consultus enim à Ferdinando Alberto Brunsvicensium et Luneburgensium Duce de eadem numi Hebraici epigraphe, ut Hottingerus narrat (26), nihil habuit quod Latinè redderet nisi *ad descriptum Ierusalem*, id est, ut mea fert suspicio, *ad descriptum Villalpandi*, qui totis ante eum quinquaginta annis eadem in vulgus emiserat.

Et

(24) *Morinus*, Exercit. II. cap. x. num. 5. *In semisiclo Waseri priores duae litterae dictionis* חצי chatsí, *nullam habent cum litteris Samaritanis affinitatem. Vnde efformatae fuerint, ipse viderit.*

(25) *Morinus*, Exercit. II. cap. x. num. 5. *Legendum existimat Villalpandus* לחורות ירושלם lecherút Ierusalém, *litterae* מ Mem *ad finem repositione, id est, ut interpretatur*, ad scripturam Ierusalem; *ab altera vero parte* שמן עת, scémen hét, unctionis tempus. *Quid haec ad rem faciant* (pergit) *non video.*

(26) *Hottingerus*, (Diss. II. de numis Oriental. num. XI. ap. Vgolin. Thesauri Tom. XXVIII. col. 1355.) *Atque hunc numum::: Cl. Vir D. Christophorus Schraderus Professor Helmstadiensis anno huius saeculi 54. interpretatus est. Exstat interpretatio publice, cum numi utraque expressa facie, cuius exemplar doctissimo Auctori grato hoc loco acceptum fero animo. Placet eruditissimo Viro lectio* לחרות ירושלם lecherút Ierusalém, ad descriptum Ierusalem, *cet.*

2011 Ministerio de Cultura

Et sane si litteram atque Hebraicae Linguae genium spectamus, non aptius, neque Scriptoris sacri verbis, aut etymologicae rationi congruentius, quam de *scriptura*, *sculpturave*, vocem חרות *cherút* Latinè reddere Villalpandus potuit; quippe cum ea semel in Sacris Bibliis occurrat, et in eadem *scripturae* seu *sculpturae* significatione perpetuo ab Interpretibus usurpetur (27); nec nisi à Iudaeis posteriorum tem-

(27) Nimirum Exodi XXXII. vers. 16. והמכתב מכתב אלהים הוא חרות על-הלחת: *vehamictáb mictáb elohím hú charút hal-haluchót*: pro quibus Pagninus reddit: *Et scriptura, scriptura Dei, ipsa* sculpta *super tabulis*. Vulgata versio: *Scriptura quoque Dei erat* sculpta *in tabulis*. Hispana Ferrariensis 1553: *Y la escritura escritura del Dio, ella* esculpida *sobre las tablas*. Cassiodorus Reyna et Cyprianus Valera: *Y la escritura era escritura de Dios* gravada *sobre las tablas*. Vetus Italica Nicolai Malermi ex Edit. Veneta Vindelini de Spira ann. 1471: *Et la scriptura del Signore era* sculpita *nelle tavole*. Helvetica *in Lingua Rumanscha d' Engadina Bassa ex Edit.* SCVOL 1679: *E la scrittura eir scrittura da Deis* intalgada *in las tablas*. Atque ita veteres tum editi tum MSS. Codices et Polyglotta omnia. Consonat Arabicum حرث *harát*, id est, *fodit*, *effodit*, *exaravit*. Ex quibus descendere puto Graecas voces χαράσσω, Atticè χαράττω, item χάραγμα, χαραχτὴρ, cet. necnon Latinum atque Hispanicum *character*, et *caractéres*, pro *scriptura*, et *litteris*; immo et quos Hispani *quilates* dicimus, pro qua voce Itali, *caratti* reddunt; quamvis Arias Montanus in *Ephron* sive *De siclo*, ἀπὸ τοῦ גרה *geráh*, *miscere*, aut à גרר *garár*, *secare*, eam vocem deductam velit. Et sane quoties Hebraeus textus habet גרה *geráh*, vulgatus noster *obolos* reddit, quos non improprie *quilates* dixeris.

Scio esse qui ut τὸ חרות *cherút* ad libertatem significandam detorqueant, non ἀπὸ τοῦ חרת *charát*, sed à חרר *charár* eam vocem deductam velint: quasi τὸ חרר *charár* Hebraeis significet *liberum esse*, *libertate donare*. Videndus de hoc Petrus Guarinus (*Gramm. Hebraicae et Chald. Tom. II. lib. III. cap. 8. not. 3. in numos Hebraicos*) qui se huius sententiae patronum profitetur. Verum quicumque τὸ חרות *cherút* aliunde quam à חרת *charát*, *exaravit*, *sculpsit* deducere velit, is meo quidem iudicio Hebraicae Linguae cardines amovere, Pagninumque et Lexicographos omnes, praecipue vero R. Davidem Kimchium, qui eximium opus השרשים *hascarascím*, sive *Radicum* Hebraicarum conscripsit, convellere in animo habet. Neque Hebraeis (ut apud Chaldaeos, Syros, atque Arabes) τὸ חרר *charár* valet *liberum esse*, *aut efficere*; sed *ardere*, *comburere*, *arescere*, *exsiccari*, quae nihil cum *libertate* commune habent; nec demum alicubi in Lexicis Bibliisve Hebraicis eam vocem ad *libertatem* significandam usurpatam fuisse existimo.

Oc-

2011 Ministerio de Cultura

temporum ad *libertatem* significandam traductam fuisse sciamus (28). Praeterea numus in quo ea inscriptio legebatur Vil-

Occurrit quidem in Sacris Bibliis vox חורים *chorím*, atque in statu constructo, חורי *choré*, qua nonnulli *liberos*, id est *libertate donatos* sive *in libertatem assertos* significari existimant: nimirum Ecclesiastae x. vers. 17. quo loco legitur בן חורים, *Ben chorím*, id est: *Filius* (pro *filii*) *heroum*, ut est apud Pagninum, pro quibus Vulgatus interpres habet: *principes*, ut et recentiores Hispanicae versiones. Item Nehemiae IV. vers. 19. ואמר אל החורים *Vaomár el-hachorím*, quae Pagninus vertit: *Et dixi ad heroas*; Vulgatus: *ad optimates*; Ferrariensis Hispana: *à los Señores*; Reyna et Valera: *à los principales*. Item Nehemiae VI. vers. 17. חרי יהודה *choré iehudáh*, pro quibus Pagninus: INGENVI *Iudá*; Vulgatus: *Optimates Iudaeorum*; Ferrariensis: *Señores de Jehudá*; Reyna et Valera: *principales de Judá*. Ac denique Isaïae XXXIV. vers. 12. חריה *choréah*, quam vocem Pagninus reddit: *Heroes eius*; Vulgatus: *Nobiles eius*; Ferrariensis, Reyna et Valera: *Sus principes*. Ex quibus elicitur vocem חורים *chorím* semel tantum atque ab uno Pagnino per INGENVOS Latinè converti, nimirum Nehem. VI. 17. quo tamen loco INGENVVS, non *hominem liberum*, sed *virum principem* aut *primarium* denotat; atque adeo nihil commune cum libertate habere; quod et Buxtorfius Pater (*Lex Hebr. et Chald. in* חרר.) confirmat, inquiens: *Huc revocamus* (vocem scilicet חורים *chorím*, cuius origo non satis explorata est) *quia* חרר *charár Chaldaeis et Syris est* Liberum efficere, libertate donare, cet.

Quae cum ita sint, colligimus, ut Villalpandus τὸ חרות *cherút* ad INGENVITATEM seu LIBERTATEM significandam transferret, opus ei fuisse, relicto Hebraeorum sermone, atque expresso Exodi textu, in quo ea vox pro *sculptura* seu *scriptura* accipitur, ad Chaldaeorum et Syrorum fontes accedere, aut etiam ad Arabicos; nam et Arabibus τὸ حرّ *hárra*, geminato RR pro *harira*, valet, *liber evasit*; et حرّ *húrron*, *liber*, *ingenuus* ap. Golium col. 590. unde Hispanicae voces *horro*, id est *liber*: *ahorrar*, *libertate donare*: *ahorramiento*, *manumissio*, atque inde deducta. Ioann. Bapt. Ottius, cuius ego doctrinae plurimum tribuo, vocem חירות *cherút* Hebraeo-Chaldaeam vocat (*Litt. ad Reland. prid. Cal. Mart.* 1704.); pervellem tamen eius rei praedem nobis dedisset.

(28) Relandus (*Diss. v. de numis Samarit. pag.* 156.) bina huius significationis exempla profert è Mischnicorum libris: alterum ex tractatu *Pesachím*, sive *De Paschate* cap.x. §.5. ibi: הוציאנו מעבדות לחרות, *hotsianú mihabdút lecherút*, id est: *Eduxit nos è servitute in* LIBERTATEM, ut Surenhusius vertit (*Tom. II. Misch. pag.* 274. *col.* 2.): alterum è Liturgia Hebraeorum Paschali, in qua festum Paschatis vocari ait: זמן חרותנו *zemán cherutnú*, seu: *Tempus* LIBERTATIS *nostrae*. Nos eam vocem pro *magnificentia* seu *regali sumtu* aut *more*, à Iudaeis usurpatam invenimus apud Buxtorfium Filium (*Synag. Iudaic. cap. XIII. sub init.*) quo loco דרך חירות *dérec cherút* idem valet ac *magnifice*, *regaliter*: ad litteram: *viâ*, seu *mo-*

2011 Ministerio de Cultura

Villalpandi aetate singularis fuit ; nec lucem eatenus viderant, certe lecti non fuerant, qui יאת ציון גאולת *geulát tsión*, seu *redemtionem*, *liberationemve Sionis* inscriptam gerunt (29), ex quorum cum Villalpandino conflictu coniectum divinatumque ab Eruditis fuit, magis quam ex Hebraicis fontibus haustum deductumque, quid demum vocabulo חרות *cherút* Simon Machabaeus intellexerit, quidque in eodem numis inscribendo sibi voluerit.

Verum, ut ad rem redeam, quod Morinus de eodem Villalpandi numo subdit : *Existimarem amuletum aliquod fuisse Samaritanicum*, *non siclum* (30) : merum vigilantis somnium est, et fortassis ex sono rhythmico et praepropera Villalpandi lectione ipsi enatum. Cum enim Villalpandus in adversa eiusdem numi facie legisset שמן עת *scémen-hét*, id est, *tempus unctionis* ; et in eo qui proxime praecesserat, seu numeri quinti, מול-עת *mul-hét*, quas voces ad *circumcisionis tempus* referebat: utriusque huius vocabuli coniunctio, et cum *amuletis*, quod ad sonum attinet, affinitas, *amuleti* ideam Morini animo ingenerare potuit, quasi id verbum Hebraicae esset originis ; cum ab *amoliendo* dictum, atque adeo in medio Latio natum esse constet.

Fallitur quoque Morinus cum in eo, quem sub nume-

more Regio, quod Hispani diceremus: *à lo grande*. Praeterea Hottingerus (*Diss.11. de num. Oriental. num. x1.*) vocem חרות *cherút* pro LIBERTATE in Oriente usitatissimam esse ait ; et Golio (*col.* 591.) حرية *hurriaton*, LIBERTAS, *ingenuitas* est. Demum τὸ חרות *cherút* à Rabbinis pro *ramo palmae* usurpari tradunt Marius de Calasio (*Concord. Hebr.*) et Buxtorfius Pater (*Lexic. Chald. Talm. et Rabb. in* חרות).

(29) Vnicum Villalpandus evulgaverat è promtuario Laelii Pasqualini sed multum detritum, quem propterea legere non potuit. Est autem in Eius tabula ordine septimus, et postremus omnium.

(30) Exercit. II. cap. x. num. 5.

2011 Ministerio de Cultura

mero I. exponit Nicolai Crassi siclo, binas, quae urnae insident, litteras pro Samariticis שד *Schin Daleth* usurpat, iisque *siclum Davidis* significari ait (31). Item, cum easdem litteras in omnibus siclis, quibus inest inscriptio ירושלימה קדושה *Ierusalímah kedósah*, supra urnam exstare affirmat (32); et maximè, cum siclos qui vocem ירושלימה *Ierusalímah* gravi seu plena scripturâ exhibent, Ierosolymis; qui vero ירושלם *Ierusalem*, duabus litteris decurtatam, alibi percussos fuisse existimat; et אשׁת א *Aleph*, quae in iis numis supra urnam visitur, principem esse eius urbis litteram in qua siclus percussus fuit, aut vocis אחרת *achéret*, quae *aliam* urbem, id est ab Ierosolyma diversam significet (33): quorum nonnulla confutavimus, de reliquis mox dicendum (34).

Morino successit Athanasius Kircherus, qui anno MDCLIII. OEdi-

(31) Exercit. II. cap. x. num. 6. *Ab uno* (inquit) *latere figura est virgae Aaronicae, ab altero urnae Manna conservantis, cui imminent litterae Schin et Daleth, quae compendio hìc significare existimantur* siclum Davidis, cet. Et num. 8. *Schin Daleth scribuntur urnae imminentia, quae* siclum Davidis *significant.*

(32) Ibid. circa medium: *In omnibus* (inquit) *siclis in quibus videre est haec verba insculpta* ירושלימה קדושה, *Ierusalímah kedósah, Schin et Daleth inscribuntur urnae imminentia*, cet.

(33) Ibid. *Aliud coniecturae istius argumentum ducitur ex eo, quod in omnibus siclis quibus insunt haec verba insculpta* ירושלימה קדושה, *Ierusalímah kedósah, Schin et Daleth scribuntur urnae imminentia, quae* siclum Davidis κατ' ἐξοχὴν *significant, hoc est*, in urbe Davidis *percussum. In quibus autem scribitur* ירושלם קדשה *Ierusálem kedósah, litterae illae absunt, et illarum vicem tenet* א Aleph *urnae imminens, qua vel urbis nomen ab ista littera incipiens indicatur; vel* אחרת, achéret, *generalius significat, urbem scilicet à Hierosolyma diversam. Sic enim videmus numismata nomen* (loci) *in quo cuduntur per litterarum compendia exprimere*, cet.

(34) Morinum quo tempore *Exercitationes in utrumque Pentateuchum* conscripsit Samaritanorum litteras ב *Beth*, et נ *Nun*, qua figurâ in siclis et numis Hebraeorum depinguntur, nimirum ꠁ, et ꠑ, penitus ignorasse, elicitur ex Eiusdem verbis (*Exercit. II. cap. x. num.* 3.). Postquam enim enumeravit tredecim litteras quas deprehendit in siclis, quorum ectypa viderat, pergit in hunc modum. *Quidam praeterea litteras quatuor ex siclis efformant:*

2011 Ministério de Cultura

OEdipum AEgyptiacum Romae edidit, et in eius operis Tomo II. disquisitionem instituit de numis Hebraeo-Samaritanis, quae ordine tertia est. In ea Villalpandi numos buxo incisos exhibet, Waseri tantum describit: utriusque errores plene haurit ac recoquit, iisque longe plures et crassiores accumulat; hoc tamen plurimùm atque unice laudandus, quòd in altero ex Hebraïcis Francisci Gottifredi Romani numis, *Simonis* Machabaei nomen cum elogio *Principis Israëlis* primus omnino omnium detexerit, legerit, eximiique et plane singularis numi ectypum ad posteros transmiserit, ex quo uno certa et constans numorum Hebraeo-Samaritanorum epoche atque universa numariae Machabaeorum Historiae et Chronologiae ratio effluxit, ut suo loco videbimus. Eum numum, qualis apud Kircherum exstat, repraesentare placuit, ne quid Lector desideret (35).



E Kircheri OEdip. AEgypt. T. II. pag. 102.

Beth : Nun : Ain : Tau. *In duabus postremis probabile est eos non esse hallucinatos* ::: *de* Beth *autem et* Nun *dubium est. Nam in siclis quos exhibent, litterae admodum sunt detritae, et quaedam penitus deletae, ita ut de sensu vix aliquid sani coniici possit.* Immo ex Ipsius ad Hieronymum Aleàndrum litteris, atque ex huius ad Morinum ἀμοιβαίοις, quae exstant in *Antiquitatibus Ecclesiae Orientalis* Londini 1682. Quaeditis, apparet Morinum, quo tempore *Exercitationes* in lucem emisit, ne numum quidem Hebraeo-Samaritanum archetypum vidisse, sed tantum ectypa quae ad eum ex Vrbe mittebat Aleander: ut taceam quid de *Exercitationum* opere Viri Eruditi senserint, quae videri possunt in Morini vita iisdem *Antiquitatibus* praefixa.

(35) Habetur is numus in OEdipo AEgyptiaco Tom. II. class. II. pag. 102. init.

2011 Ministerio de Cultura

Quadriennio post Kircherum, nimirum anno MDCLVII. Brianus Waltonus egregio Polyglottorum Londinensium operi praelusit, et sacro eiusdem apparatui intexuit *Supplementum de siclorum formis et inscriptionibus*, tredecimque numorum Hebraeo-Samaritanorum icones exhibuit è Postelli, Ariae Montani, Bezae, Waseri, Villalpandi, et Ioannis Morini scriptis, ut ipse profitetur, collectas. In eo autem opusculo mirum in quot errores pertrahi passus sit vir ceteroquin doctissimus, dum plus nimio praeiudicatis aliorum opinionibus tribuit. Primùm enim è numis, quos prolata ab eo ectypa repraesentant, nonnullos ab Hebraeis ante Babylonicae captivitatis tempora percussos fuisse existimat: litteram א *Aleph*, quae in priore omnium numo urnae insidet, urbem in qua cusus fuit designare ait; quae autem in reliquis eadem sede visuntur litteras, nimirum תל ג *Ghimel*, et ד *Dáleth*, sicli partes seu fractiones, id est trientem et quadrantem: pro binis illis Samaritícis litteris שב *Scin Beth*, quas in Postelli siclo supra urnam exstare diximus, substitui debere ait שד *Scin Daleth*, quibus *siclus Davidis* significetur; ac demum ex diversa vocis *Ierusalem* in

init. in cuius adversa exstat שמעון נשיא ישראל: *Simhón nasí Israél*, id est, *Simon princeps Israëlis*, quam epigraphen Kircherus optimè legit atque interpretatus fuit; in aversa vero שנת אחת לגאלת ישראל, *Scenát achát legeulát Israél*, seu, *anno primo redemtionis Israël*, pro quibus legit תשירו לשבאות אלוהינו, *tesciriú liscebaót elohenú*, et Latinè reddidit, *psallite Deo Sabaoth Deo nostro*. Mirari autem subit virum acri, ut Kircherus erat, ingenio et ad coniiciendum nato, post detectum in eo numo *Simonis* nomen, et *principatûs Israëlis* titulum, continere sese in tam angustis finibus potuisse, quin quis demum is *Simon* fuerit, quaque aetate vixerit ulterius inquireret ac testatum posteris relinqueret; et maximè quod cum in priore numi facie τὸ *Israél* sine offensione legisset, eandem vocem, quae itidem in aversa iisdemque ferme characteribus expressa visitur, penitus ignoraverit.

2011 Ministerio de Cultura

in siclis orthographia, aliam atque aliam Ierosolymitanorum ac reliquarum Iudaeae urbium dialectum fuisse arguit: prorsus ut in his quae *de siclorum formis et inscriptionibus* disputat videatur ex Waseri et Morini ore pependisse (36).

Felicior multò qui Waltonum excepit Henricus Hottingerus, quippe qui ex aliis, qui eius aevo detecti fuerant, Hebraeorum numis *Simonis* nomen prae se ferentibus, optimè coniecit iis etiam quos Villalpandus protulit idem nomen inscriptum fuisse; quique vocem חרות *cherút* non ut eatenus de *scriptura*, *sculpturave*, sed de *libertate Ierusalem et Sionis* à Graecis accipiendam esse primus omnium edixit. Verùm in harum thesium priore non Kircherum modo, ut paulo ante dicebamus, sed et Ioannem Buxtorfium F. et Theophilum Spizelium praeeuntes habuit (37), atque ipsum quo-

(36) Waltonus *De siclorum formis et inscript. in Polyglottor. Londin. appar. Tom. I. pag.* 36. *col.* 1. *Formam* (siclorum) *ex insculptis figuris videmus, quòd antiquiores una ex parte habuerint urnam cum Manna Exodi* XVI. ::: *posteriorum vero siclorum, qui post reditum è captivitate cusi sunt, forma à prioribus differt*, cet. *Per* ℵ Aleph *urnae insculptum indicari vult Arias Montanus priorem sicli faciem, Rabbini quidam siclum unum, vel integrum* ::: *probabilius alii urbis nomen ubi cusus est ab* Aleph *incipiens denotari volunt*, cet. Et pag. 37. col. 1. *Septima et octava sicli formae sunt Waseri, quae sicli partes, trientem, et quadrantem repraesentant*, cet. Et pag. 36. col. 2. *Pro* Schin *et* Daleth *legit Masius* Schin *et* Mem ::: *sed littera illa* (nimirum urnae insidens) *potius* Daleth *Samariticum quam* Mem *repraesentat* ::: *unde probabilius Morinus binis illis litteris*, ד ש Schin Daleth, siclum Davidis *exprimi existimat*, cet. Ibidem: *Scribere vero* Ierusalem *per* Ierusulaimah *cum* Iod *et* He, *proprium fuisse dialecto Hierosolymitanae, probat D. Morinus loco citato ex Talmud*, cet.

(37) Citat Hottingerus Kircherum, et hunc ipsum numum in quo legebatur *Simon Princeps Israëlis*. Diss. II. de numis Orientalium num. XI. in Thesauro Vgolini Tom. XXVIII. col. 1354. atque item alium à Ioanne Buxtorfio F. secum communicatum, in quo etiam *Simonis* nomen expressum erat, quamvis postremis eius litteris exesis. *Ibidem*. Et in opere inscripto *Bibliothecarius* (*ap. Herm. Conringium Paradox. cap.* IX. *circa med.*) Spizelianum seu Theophili Spizelii Ecclesiastae Augustani numum in quo, ut ipse ait, *litterae clarè satis ac distinctè vocem* שמעון Simhón *exprimunt.*

2011 Ministerio de Cultura

quodammodo quem tantopere exagitat Villalpandum, qui in altero ex prolatis ab se numis ternas radicales nominis *Simonis* litteras ש, מ, נ, *Scin*, *Mem*, *Nun* praeviderat, è quibus Hottingero proclivis ad *Simonem* transitus fuit; in posteriore autem, vocem חרות *cherút* ex Chaldaicis atque Arabum fontibus, sententiâ id exigente, ad *libertatem* etiam apud Hebraeos significandam transtulit, retenta tamen et probata Villalpandi lectione. Quod monere visum non ut ullo pacto Hottingeri laudem imminuamus, sed quia mitiùs Ipsi cum Villalpando agendum erat, cum per eum non parum profecisset (38).

Quid quòd nec Hottingerus à culpa vacuus, immo in eodem quod decurrit stadio plurimum humani passus est.

(38) Res ordine explicanda est, et quidem prolato numi ad quem Villalpandus haesit ectypo, ut Lectores causâ demum cognita iudicium ferre possint. Id autem tale est.

E Villalp. Appar. Urb. Tom. III. pag. 381.

In eo numo Villalpandus *Simonis* nomen in adversa non animadvertit ob litterarum eius vocis in posteriore syllaba metathesin, lecturus illud proculdubio si litterae naturalem situm atque ordinem servassent, qualem in aversa servant, quae proinde optimè ab eo lecta fuit. Itaque pro שמעון *Simhón*, utì lectum oportuit, legit שמן *scémen*, et Latinè *oleum*, seu affine numo, eoque multùm detrito, in quo tamen fugientes litteras שמוא sibi videre visus fuit, *Samuelis* nomen legi posse coniecit. Haec ad annum MDCII. Post haec Kircherus anno MDCLIII. Romae numum evulgavit cum epigraphe שמעון נשיא ישראל *Simhón nasí Israél*, id est, *Simon Princeps Israëlis*, cuius nos ectypum dedimus non ita pridem. Anno dein sequente, seu MDCLIV. Christophorus Schraderus Helmstadiensis numum hunc ipsum de quo agimus, in cuius adversa nominis *Simonis* litterae non suo ordine collocatae exstant, explicandum assumsit, in quo, itidem ut Villalpandus, aut *Simonis* nomen non deprehendit, aut primus omnium et sine exemplo illud evulgare ausus non fuit: nimirum, ut coniicio, quia nondum id nomen alicubi in Hebraeorum numis exstare noverat, neque eatenus Kirche-

2011 Ministerio de Cultura

est. Primùm enim omnium ex una Assyriaca scriptura male concludi ait nuperam numorum Hebraicorum originem ; cum tamen nihil ea thesi certius sit aut magis perpetuum (39). II. Salomonis numum Assyriaco charactere inscriptum cum eius effigie et porticu γνήσιον et verè antiquum agnoscit, eique multum se tribuere ait (40), quod sa-

cheri opus Româ Helmstadium delatum fuerat. Itaque pro *Simhón* (utì legendum erat), quo loco Villalpandus שמן עת *scémen hét* , id est *unctionis tempus* , ac proinde tres litteras ש, מ, ג, detexerat, Schraderus legit שם טוב *scám thób*, reddiditque Latinè, *ibi bonum*: libenter , opinor , ac facilè *Simonis* nomen lecturus atque admissurus, si Kircheri opus vidisset, ut vidit Hottingerus , qui integro post Schraderum quinquennio scripsit , nimirum anno MDCLIX. et numum ipsum Kircherianum citat, binosque alios , Buxtorfii scilicet et Spizelii, in quibus *Simonis* nomen legebatur , ut paulo antè dicebamus: id quod fecisset proculdubio Villalpandus, si eius aetate numus aliquis detectus esset *Simonis* nomine inscriptus. At Stephanus Morinus , qui circa annum MDCC. scripsit *Explànationes in aliquot Vet. et Nov. Test. loca* , pro *Simhón*, שמין *samín*, id est, *minutum* legit, teste Salomone Deylingio *observ. de re numar. vett.Hebr.* ap. Vgolin. Thesaur. Tom. XXVIII. col. 704. Et haec de priore numi de quo agimus facie. Ad aversam quod attinet, in qua Villalpandus legerat לחרות ירושלם *lecherút Ierusalém* , Hottingerus eam quidem lectionem probavit; cum autem in aliis numis observasset vocem גאלת *geulát* , quam ad *redemtionem* seu *liberationem* significandam minimè ambiguam esse noverat, facilè coniecit Vir sagax et Linguarum Orientalium peritissimus, in voce חרות *cherút* affinem quoque sententiam contineri; ac proinde eam non de *scriptura* , ut Villalpandus , sed de *libertate* aut *liberatione* , omnino apud Hebraeos , quemadmodum apud Chaldaeos, Syrosque et Arabas, usurpandam censuit. Relandus (*Diss. v. de num. Samar. fin.*) hunc numum è cimeliis Harlaeanis vulgavit , et in eo *Simonis* nomen exstare credidit , neque tamen id affirmare ausus fuit, parum transmissae sibi iconi fidens, *nullamque causam fingi posse asserens, cur in tam paucis litteris verus* (earum) *ordo non servaretur.*

(39) Hottingerus Diss. II. de numis Orientalium num. 11. *Quemadmodum igitur non omnes numi characteribus Samaritanorum notati ultimae sunt antiquitatis , et aevi Christo prioris : ita malè ex Assyriaca scriptura omnium numorum nupera origo concluditur.* In quo tamen egregiè à Conringio confutatur in Paradoxis , cap. VII. cui titulus : *Nullum numum Assyriis aut Hebraicis* (hodiernis) *litteris inscriptum esse bonae notae , aut multum vetustum.*

(40) Hottingerus Diss. II. de numis Oriental. num. 8. postquam Conringii dubia super eius numi ἀξιοπιστία retulit, quid de eo sentiat his verbis declarat: *Ego de numo*

2011 Ministerio de Cultura

sanè ridiculum est. III. Expeditam siclorum epigraphen ירושלם קדשה *Ierusalém kedósah* antiquiorem putat prae gravi illa ירושלים הקדושה *Ierusaláim hakedósah*, atque hanc tunc demum usurpatam fuisse, cum urbs in superiorem et inferiorem divideretur; cum utraque scriptio, atque eodem tempore in promiscuo usu apud Hebraeos fuerit, ut modo videbimus; urbisque in superiorem et inferiorem divisio ipsi fortassis coaeva sit, certè captivitate Babylonica non recentior (41). IV. Τῆ ℵ *Aleph* in siclis et semisiclis urnae insidente Aaronis nomen significari posse existimat; cum ea, ut pridem dicebamus, numeralis sit littera, primum-

mo hoc argenteo sentio nullum me hactenus vidisse Hebraicis (id est Assyriacis) *notatum litteris, qui certiorem prae se ferat et verosimiliorem antiquitatis speciem. Non est, fateor,* ἐπιγραφὴ *Samaritana; sed nullam eius videmus absolutam necessitatem, in numis praesertim sacris et symbolicis.* Ponderis *ratio* (pergit) *ut diversa fuit, ita nihil antiquitati detrahit*, cet. Idem in litteris ad Conringium, quas hic in Paradoxa retulit, cap. II. num. 3. *Nullum vero numum characteribus Hebraicis* (hodiernis) *ornatum esse bonae notae aut multum vetustum* (quae Conringii thesis erat), *hactenus animadvertere non potui. Quin potius ex variorum didici collatione, neque scripturâ Hebraica notatos omnes fuisse* χθὲς ἢ πρόχθες *cusos: non certè Salomonicos illos, de quibus paulo prolixiùs suprà* pag. 120., cet. Et in iisdem litteris num. 5. *Ipsae nonnullorum* (numorum) *inscriptiones, qualis est Salomonis, cui numo non parum tribuo, maiorem saepe prae se ferunt antiquitatem.* Et in *Bibliothecario*, quod opus anno demum MDCLXIV. prodiisse dicitur, eadem inculcat, teste Conringio *Paradox.* cap. V. *num.* 2. et saepius alibi.

(41) Hottingerus Diss. II. de numis Oriental. num. 11. *De siclis quidem et semisiclis quae habent* ירושלם קדשה Ierusalém kedósah, aut ירושלים הקדושה Ierusaláim hakedósah, *res est in vado, nisi quòd posterior haec* (inscriptio) *sit recentior, tum demum usurpata cum in superiorem et inferiorem Vrbs divideretur.* At utramque eius vocis orthographiam eodem tempore apud Iudaeos obtinuisse, secundi principatûs Simonis anni sicli et semisicli declarant, in quibus *Ierusaláim hakedósah* legitur; eos autem constat unius tantum anni antiquitate prioribus illis cedere in quibus *Ierusalém kedósah* legitur. Praeterea τοῦ *Ierusaláim* habetur iam apud Ieremiam mentio, atque in utroque Paralipoménon libro; ac proinde ut hanc Vrbis appellationem aliquanto prae illa τοῦ *Ierusalém* recentiorem concesserimus, longe prae siclis de quibus agimus et universa re numaria Hebraeorum antiquior futura sit. Sed de his nos alias.

2011 Ministerio de Cultura

mumque principatûs Simonis annum denotet (42). V. Gemmeam torquem in sexto Villalpandi numo conspicuam, captae et quasi monili vinctae Iudaeorum libertatis indicem facit, quae adeptae seu recuperatae potiùs signum esse videtur (43). VI. Quintum Villalpandi numum, in quo is מול עת *múl hét* legi posse existimabat, nullo prorsus iure ad Samaritanorum *amuleta* relegat (44). VII. In omnium postremo, literas נ ... שמו, *semu ... n*, quas in eo Villalpandus exstare credidit, agnoscit quidem, sed non necessariò ad *Samuelem Prophetam* referendas esse ait, ut Villalpandus voluit (45); at eas litteras numquam numo insculptas fuisse ex aliis eiusdem commatis numis elicitur, inque earumdem vicem subrogandas ... א שנת *scenát a* ..., quibus *annus*, et princeps sequentis vocis littera, seu ארבע *arbáh*, id est *quartus*, significetur; ac demum, ut mittamus alia, Villal-

(42) Hottingerus Diss. II. de numis Oriental. num. 11. Tò (inquit) א Aleph *supra urnam Villalpandus pro tetragrammato positum* אדני Adonai *notare vult. Quid si* אהרון Aharonem, *cuius urna subiicitur notet*? At hodie iam ab Eruditis omnibus receptum, atque extra disputationis aleam positum, ut ea litterâ primus principatûs Simonis annus designetur, quo scilicet numus percussus fuit.

(43) Hottingerus Diss. II. de num. Oriental. num. 11. circa fin. *Monile* (inquit) *ex altera* (numi) *parte notat captam quasi et monili vinctam Iudaeorum libertatem.* Quod praesentis potiùs *liberationis*, quam antiquae seu praeteritae *captivitatis* signum fuisse oportuit; maximè *cum catena* (quo nomine Conringius eam torquem vocat) *non clausa, sed soluta sit, indicium scilicet liberationis*, ut hic Auctor in Paradoxis cap. IX. circa med.

(44) *Quòd si coniecturae sit locus* (ait Hottingerus loco prox. citato num. 11.) *malim haec ad Samaritanorum referre* amuleta: *hunc probabiliùs fortè quam Morinus alterum numum, cuius inscriptio est* לחרות ירושלם, lecherút Ierusalém, *eò referre possumus.*

(45) *Nondum video* (inquit Hottingerus loco cit. num. 11.) *verba* נ..שמו semu..n, *necessariò vertenda* Samuel Propheta; nihil tamen addit quo suam assertionem probet. Conringius *Simonis* nomen his litteris contineri posse coniecit, et quidem numorum Hebraicorum genio atque aetati congruentius (*Paradox. cap. IX.*) sed iam suprà diximus eas litteras in numo numquam exstitisse.

2011 Ministerio de Cultura

lalpandi lectionem et interpretationem aversae eiusdem numi, nimirum נגאלת לצום *negálta letsúm*, sive *redemtus es ieiunio*, non approbat modò, sed temperat parcéque detorquet *ad vindicationem Israëlis ab hostibus Philistaeis praevio ieiunio* (46); cum nihil eiusmodi, neque *Israëlis*, aut *ieiunii* vola nec vestigium in numo umquam exstiterit aut exstet. Et sanè si numum de quo agimus calluisset Hottingerus, pronum foret ipsi superstites eius litteras legere, detritas penitusve exesas supplere atque interpretari *de anno quarto redemtionis* seu *vindicationis Sion*, à Graecorum scilicet servitute, in hunc modum

Adversa: שנת ארבע scenát arbáh: *Anno quarto.*

Aversa: לגאלת ציון legeulát Tsión: *Redemtionis Sion* (47).

Neque his meliora Claudius Bouterouvius qui Parisiis anno MDCLXVI. Gallicè edidit *Disquisitiones de Francorum numis*, quarum occasione nonnulla numorum Hebraeo-Samaritanorum ectypa in lucem protulit; de iis tamen usque adeò

(46) *Quòd si tamen ad haec numus referri posset tempora* (scilicet Samuelis) *commodiùs verteretur altera facie* גאלת לצום geulát letsúm, *id est*, vindicationis Israëlitarum *ab hostibus Philistaeis* praevio ieiunio (*De qua Historia prolixè* I. *Samuelis* VII. *vers. 6. et deinceps*) Hottinger. loc. cit. circa fin.

(47) Per haec, aut non multo antè Hottingeri tempora, Wilhelmus Schickardus Linguarum Orientalium Professor Tubingensis libellum *De numis Hebraeorum* conscripsisse dicitur, quem ego apud Vgolinum frustra quaesivi, neque seorsim editum videre potui. Citatur autem frequenter ab Hottingero et Conringio; estque ex illorum numero qui litterarum Assyriacarum maiori prae Samariticis antiquitati favent; quique teste Conringio (*Paradox. cap.* v.) alicubi in eo libello affirmare non dubitat, *effodi Ierosolymis* aeneos numos antiquos *cum Salomonis nomine, regno adhuc integro procusos, et sic ipsa Samaritanorum origine, Esdrâque multò antiquiores, qui ex una facie cultum* (f. vultum) *Regis, ex altera templum, utrobique cum litteris vulgaribus ostendunt*; atque acerbè stomachatur, quòd Villalpandus sequius de Salomonis numo cum eius effigie et porticu senserit: ut vel hinc de hominis ingenio coniecturam facias.

2011 Ministerio de Cultura

adeo leviter et perfunctorie agit, ut facilè appareat longe aliud Viro docto fuisse propositum, quod et Ipse ingenuè agnoscit (48). Praeterea numos è quibus vulgata ab eo ectypa desumta sunt non magnae integritatis fuisse, docet ipsa eorum descriptio, dubiaque super eorum typo et symbolis Auctori enata, quibus universa tractatio respersa est. Sed neque inscriptionum, quas numi gerunt, lectio aut expositio melior: prorsus ut qui nihil nisi Samaritica nôsse cupiat, non maximam, si eo opere careat, iacturam fecisse existimandus sit.

Sed erunt quibus videar nimis acer, et in optimos quosque atque eruditissimos Viros, qui primi Samaritanorum res summa cum laude tractavêre, paulo inclementius invehi. Non ita est; immo eos vel in multiplici errore laudare mihi videor: quippe quibus, ut peregrinis prorsusque ignotis litterarum formis proprium nomen et potestates inderent, et maximè ut è laceris exesisque qui ipsis obtigerant Hebraeorum numis veram sententiam aut saltem non improbabiles coniecturas elicerent, summa ope magnaque animi contentione allaborandum fuit, quorumque vel errores (cuiusmodi doctorum Virorum esse solent) non parum adiumenti Samariticis studiis attulere. Sed ne longius incoepto abeam.

Her-

(48) *Recherches curieuses des monoyes de France* ::: *par Claude Bouteroue* ::: *Paris. 1666.* fol. qui titulus satis supèrque indicat longe aliud Auctori propositum fuisse, quam ut de Samaritanorum numis scriberet; sed et ipse in operis prologo eorum numorum explicationem Samueli Bocharto modestissimè acceptam refert: *Vn autre Traitté* (inquit) *des monoyes Iuifves::: dont je dois l' explication au scavant M. Bochart de Caën; et quoy qu' il soit facile de distinguer ce qui vient de lui d' avec le reste de l' ouvrage: pour lui rendre une justice entiere, j' ai fait enfermer entre ces deux figures ( ) tout ce que j' ai tiré de ses lettres. Vn troisieme*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

Hermannus Conringius Philosophiae et Medicinae Professor Helmstadiensis anno MDCLXXV. Paradoxa quaedam *De numis Hebraeorum* evulgavit; quae tamen multo antè, id est ab anno MDCLXI. animo agitabat, ut ex eius ad Hottingerum litteris Helmstadii XXI. Augusti eiusdem anni datis, atque ex Hottingeri ἀμοιβαίοις elicitur (49). Si quid autem ego video, primus atque unus omnium Conringius est qui toto eo saeculo de Hebraeo-Samaritanorum numis nugari atque hariolari desiit. Etenim cum ad eam diem numorum Hebraicorum aetas adhuc inexplorata esset, nonnullis illos ad Davidis et Salomonis, aliis etiam ad Iosuae et florentis Reipublicae tempora retrahentibus: Conringius verbo litem diremit, atque in altero è paradoxis universam rem numariam Hebraeorum ad Simonem Machabaeum et Hasmonaeorum Ethnarcas referendam censuit ac pronuntiare nihil veritus est, incassum reclamante Hottingero (50) et

(49) Habetur harum litterarum exemplum apud Conringium *Paradox. cap. II.* Paradoxorum opus post annum demum MDCLXXII. evulgatum primùm fuisse liquet ex eius praefatione (*apud Vgolinum Thesaur. Tom. XXVIII. col.* 491.) in qua cum *de antiquo Hebraico numo, quem in Scorialensi Basilica superfuisse dicebant*, sermo Ei esset, subdit, *non constare sibi, num incendium, quo* anno praeterito *stupenda fabrica conflagravit, evaserit.* Constat autem Escurialensis Bibliothecae incendium, cuius Conringius meminit, anno MDCLXXI. contigisse. Is vero Hebraicus numus, idem fortassis ille est, quem Benedictus Arias Montanus Philippo Secundo Hispaniarum Regi obtulisse dicitur, cuius et nos suprà meminimus, et eum suo loco repraesentari curabimus, nam usquè superstes est. Le-Longius (*Biblioth. Sacr. Tom. II. pag.* 684.) Paradoxorum opus Helmstadii anno MDCLXXV. primùm prodiisse tradit.

(50) In litteris ad Conringium ann. MDCLXI. (*Paradox. cap. II. num.* 5.) *Neque enim video* (inquit Hottingerus) *cur nullos Hasmonaeorum temporibus vetustiores, in thesi saltem agnoscamus numos. Vsus numorum apud Hebraeos, et antiquissimus fuit, et continuus. Quidni igitur ex ruderibus Hierosolymitanis, vastatae urbis, incensi templi, vel aliquos posteritati studiosè investiganti relictos dicamus?*

2011 Ministerio de Cultura

et litterarum Assyriacarum patronis; in aliis verò, quod prioris doctrinae consectarium erat, à numis Salomonicis quique humanam effigiem exhibent, item qui Assyriacis litteris inscripti sunt, in universum fidem abiudicat; quodque omnium caput est, nova de his numis placita tot tamque firmis rationibus probat atque undique constabilit, vix ut dubitationi locum relinquat.

Ac mihi quidem ubi primùm in Conringii Paradoxa incidi, totidem rei numariae Hebraeorum canones et axiomata videbantur: usque adeo accuratè ac diligenter inventa atque elaborata sunt (51). Quamobrem ubi ad peculiarem numorum de quibus acturus sum tractationem accessero, bonam illorum partem, cum aliqua tamen cautione, praemittere in animo habeo, iisque unum fortassis et alterum, ex assidua numorum Hebraeo-Samaritanorum observatione mihi enatum, adiiciam.

Paradoxorum opus, quamlibèt exiguum, eius aevi Eru-

di-

(51) Quintum Conringii παράδοξον semper excipio, qua parte asserit *Samaritanos characteres Iudaeis fuisse in usu vulgari* (id est, profano); *Hebraicos autem solis Sacris Codicibus quasi dedicatos*; cum ea characterum distinctio (perinde atque illa sicli in sacrum et profanum) nullo idoneo fundamento nitatur, atque à Doctoribus Hebraeis ad solvendas difficultates, quibus passim circa has litteras urgebantur, excogitata sit. Neque tamen propterea ad Salomonis Deylingii partes transeo, qui (*Observ. de re numar. vett. Hebraeor. num.* 16.) asserere nihil dubitat *notas et characteres in vetustis et genuinis Hebraeorum numismatibus obvios, non alias quam Iudaeorum litteras esse, quibus aetate Hasmonaeorum communiter usi sunt, et quas vulgò appellamus Samaritanas.* Immo existimo non has, sed quadratas vulgaresque hodiernas Hebraeorum litteras (quamvis longo saeculorum tractu nonnihil, ut credibile est, immutatas) à tempore captivitatis Babylonicae ad Machabaeorum aetatem à Iudaeis continenter adhibitas fuisse, et promiscue, id est, in sacrum et profanum usum; Simonem vero Machabaeum in numorum inscriptionibus à communi et recepto popularium suorum scribendi more recessisse: quod cur ita fecerit, coniiciendum aliis aut divinandum reliquit. Nos plura de hoc aliàs.

2011 Ministerio de Cultura

ditos in admirationem rapuit, cautioresque effecit, ne quid deinceps temere de numis Hebraeo-Samaritanis pronuntiare aut in vulgus emittere auderent; cumque ad eam diem tam abunde Scriptorum ac disidii de hoc argumento fuisset, ut vidimus: quod supererat saeculi decimi septimi in pace et otio transactum ab Iisdem fuit. Etenim cum in altero è paradoxis non ii tantum numi qui Abrahami et Sarae, Isaaci et Rebeccae, Davidis et Salomonis nomina prae se ferunt, sed in universum quotquot Assyriaco charactere constant ut adulterini reiiciantur; in alio vero, et sinceris germanisque Hebraeorum numis, quique Samariticis seu transfluvialibus litteris inscripti sunt, plurimum de praeiudicata antiquitatis opinione detrahatur, quae praecipua fuerant veterum controversiarum capita: ubi animadversum ab Eruditis fuit vix quidquam solidi esse quod Conringii placitis opponi posset, concitata in eum studia deferbuere; bonaque iam ex parte sublatâ disputandi materiâ, de nugis inquiri desitum, et ad uberiorem messem traducta sunt optima quaeque aetatis nostrae ingenia: qui primus Conringiani laboris fructus exstitit.

Atque ita demum qui ineunte hoc saeculo Samaritanorum litteras illustrarunt, Relandus, Ottius, Gagnierius, Spanhemius, Harduinus, Lamius, Kochius, Soucietus, Guarinus, Chishullus, Liebius, aliique, quos enumerare longum esset (52); quique eo iam adulto atque inclinante idem sta-

(52) *Adrianus Relandus*, De numis veterum Hebraeor. *Ioannes Baptista Ottius*, in litteris ad Relandum de eodem argumento. *Ioannes Gagnierius*, Epist. de numis Samaritan. *Ezechiel Spanhemius*, De praestantia et usu numismatum, quod opus quam-

2011 Ministerio de Cultura

stadium maxima cum laude confecêre, Deylingius, Maffeïus, Finettus, Froëlichius, Bianconus, Barthelemius, Swintonus, Kennicottius (53), Viri profecto eximii, non iam de numis Assyriaco charactere inscriptis, nec de Hebraeo-Samaritanorum aevo, id est de tempore quo primum percussi sunt, quidquam amplius quaesivere, quasi et priorum falsitas et posteriorum aetas explorata iam ac definita esset (54), sed neglectis velitationibus de summa rerum, id est de veteri et primaeva Hebraeorum scriptura, de germana Hebraicae linguae phrasi et Grammatica ratione, de

quamquam anno 1664. Romae primum prodierit, et Amstelodami recusum fuerit 1671. tertio lucem adspexit Londini 1705. Auctore superstite, quem ad annum 1710. vitam protraxisse constat. *Ioannes Harduinus*, in notis ad Plin. Hist. nat. *Bernardus Lamius* Appar. Bibl. *Cornelius Dietericus Kochius*, Diss. de numor. Hebraicor. inscript. Samar. *Stephanus Soucietus*, Recueil de Dissertations Critiques, Diss. sur les médailles Hebraïques. *Petrus Guarinus*, Grammat. Hebr. et Chald. *Edmundus Chishull*, in Antiquit. Asiaticis Christianam Eram antecedentib. *Christ. Sigism. Liebe*, Gotha Numaria, *cet.*

(53) *Salomon Deylingius*, observ. de re numar. vett. Hebraeorum. *Ill. Scipio Maffeïus*, Osservazioni Letterarie Tom.V. *Bonifacius Finettus*, Tratatto della Lingua Hebraïca e sue affini. *Erasmus Froëlich.* Annal. Regum et rer. Syriae. *Ioannes Baptista Bianconus*, Tract. de antiquis litt. Hebraeor. et Graecor. *Iacobus Barthelemius*, Dissert. sur deux médailles Samaritaines d' Antigonus Tom. XXIV. Memoir. de l' Acad. Royal des Inscript. et Bell. Lettr. *Ioannes Swinton*, Diss. de numis quibusd. Samarit. et Phoeniciis, cet. *Beniaminus Kennicott*, Remarques Critiques, sur 1. Samuelis cap. VI. vers. 19.

(54) Vnus vel hoc saeculo *Hieronymus Gradonicus* Hebraicum siclum Assyriaco charactere inscriptum, Brixiaeque ad annum MDCCXLIV. effossum, germanum putavit et vere antiquum, dignum saltem quem cum prolixa consultatione ad Cl. Blasium Vgolinum transmitteret, nimirum ut ipsi exponeret, quid de numi ingenuitate aut νοθεία sentiret. Exstat *Gradonici* consultatio apud Vgolinum (*Thesaur. Tom. XXVIII. à col.* DCCCVI.) huius tamen responsum eo loco desideratur. Eadem fere de *Stephano Morino* (qui ad annum circiter MDCC. *Exercitationes de Lingua primaeva* scripsisse dicitur) ut coniiciam faciunt, nonnulla ipsius placita, apud Salomonem Deylingium *de re num. Hebraeor.* quae leguntur numm. 11. 16. 19. necnon quae loca ex iisdem *Exercitationibus* in consultationem suam retulit *Gradonicus*, nam opus ip-

2011 Ministerio de Cultura

de vera siclorum numorumque Hebraeo-Samaritanorum lectione et interpretatione, deque aliis ad Machabaeorum Historiam et Chronologiam spectantibus magno nisu atque animi contentione, parique cum utilitate decertarunt: quorum proinde placita et opiniones non obiter, aut ἐν πάχει, quod hactenus in reliquis praestitum, sed serio ac singulatim, suisque locis expendendae nobis sunt; nimirum ut per quos profecerimus, si quid tandem in his profecimus, testatum posteris relinquamus.

Atque in his quos modo nominavimus fuere qui de Hebraeorum numis agerent, non tam ut primaevam eius Gentis scripturam, aut litterarum formas et potestates nôssent, quam ut illorum pretium et pondus ad iustam trutinam exigerent; praeter eos qui de *Veterum ponderibus et mensuris* ex professo tractavêre, ut Ioannes olim Mariana, (55) Petrus Ciaconius (56), Ludovicus Alcazar (57), Augustinus Salutius (58), Brerewoodus (59), Beverinus (60); atque è re-

ipsum ad manus meas non pervenit. Ea verò sunt, *de Hebraeis, quos, non ut Gentes reliquae, rudi metallo, sed signato initiò usos fuisse* ait; et *de quatuor primis apud Hebraeos monetae cusoribus, Abrahamo, Josua, Davide et Mardochaeo.* Quae, si à *Gradonico* ex fide narrantur, utrumque iure beatum praedicem, quibus et glandes placeant post repertam frugem.

(55) De ponderib. et mensuris Veterum. *Toleti* 1599.

(56) De ponderibus, mensuris, numis. *Romae* 1608. è Typ. Vatic.

(57) De sacris ponderibus et mensuris. *Antuerpiae* 1604.

(58) Tratado breve de las monedas que se hallan en la Sagrada Escritura *y su verdadero valor* ::: reducidos à estas los valores y pesos de todas las cosas. *MS. ap. Nicolaum Antonium Biblioth. Hispan. nov. Tom. I. in August. Salutio.*

(59) Appar. Polyglottor. Londinen. in *De ponder. et mensur. à pag.* 30.

(60) Syntagma de ponderib. et mens. Veterum ap. Vgolin. *Thesaur. Tom. XXVIII.* in ipso statim limine.

2011 Ministerio de Cultura

recentioribus Eisenschmidius (61), Calmetus (62), et in aureo qui nuperrimè Matriti prodiit commentario Cl. Paschasius Sala in Academia Valentina perpetuus Sacrarum Litterarum Interpres (63): quos quia de veteris Hebraicae scripturae indole, deque singularum eius Alphabeti litterarum ductibus non aequè ac de numorum pondere examinando sollicitos reperi, non perinde tutum in hoc argumento iis me credere aut committere videbatur.

Fuere item, ne quid dissimulem, qui sola ectyporum fide, prorsusque insalutatis numorum Hebraeo-Samaritanorum archetypis, lepida atque extemporalia plurima de illorum scriptura et litterarum formis, stantes pede in uno dictavere: quos quia satis superque eorum scripta produnt, indicare supervacaneum est.

In tanta igitur, tamque varia eorum qui de his numis scripsêre copia, videor ego mihi unum aliquem desiderare, qui universam tractationem animo complexus, unico eam obtutu, ac velut in tabula, contemplandam exhibeat, totumque quidquid hoc demum de Hebraeo-Samaritanorum siclis, semisiclis ac numis reliquis negotii est, simplici ac perspicua methodo digestum rectè atque ordine legentibus tradat, certa primum à controversis separans,

(61) Ioann. Gaspar Eisenschmidius, *De ponderibus et mensur. Vett. Hebraeor. Graecor. Romanor.* Argentorati 1737.

(62) Calmetus *Dictionar. Biblic. Tom. II.* in *De ponder. et mensur.*

(63) *De vett. Hebraeor. ponder. et mensur.* Matriti 1772. 8°. Prodierat autem Valentiae anno 1752. egregium eiusdem Auctoris opus inscriptum: *Sacrum veterum Hebraeorum Calendarium dissertationibus illustratum*, in 4°. exstantque apud gentiles eius inedita plurima Theologici praesertim argumenti, eaque, ut audio, publica luce dignissima.

2011 Ministerio de Cultura

rans, et ab iis quae cognitu facilia sunt ad difficiliora procedens, non secus atque in Scholis traduntur quas communi vocabulo disciplinas appellamus (64). Atque hoc mihi olim propositum fuisse non diffiteor, quod tamen ad hanc diem distuli, vel quia parùm mihi fiderem, vel non ea qua par erat copiâ librorum instructus essem (nolo enim quae intercesserunt negotia, in quae passim auctores suam quisque culpam transferunt, causari), donec tandem ut opus aggrederer, suasiones et quotidiana Amicorum convicia perpulere.

Acturus igitur de Hebraeo-Samaritanorum numis, primum omnium canones quosdam generales praemittam : eos mihi tantùm siclos numosque Hebraicos explicandos assumam, quos ipse archetypos viderim et manibus meis contrectaverim, deque iis ordine chronologico disseram : ectypa omnium, quos describere licuit, optima fide ex numis ipsis desumta, et maxime quod ad inscriptiones attinet, accuratissime aeri incisa proferam, indicato uniuscuiusque numi pondere, modulo, περιϰοπῆς sive *in orbem incisionis* ratione, atque itidem expressâ si quam ipsis iniuriam aevum aut externa vis attulit, ut quodammodo pro archetypis habeantur : singulorum pretium et raritatem edicam, tum si qui ex eis hactenus detecti aut observati non fuerint:

(64) Quod de re numaria generatim, sive in universum, à nemine hactenus praestitum fuisse conqueritur Ioannes Georgius Walchius (*Praef. ad Beverini syntagm. de ponder. et mensur. ap. Vgolin. Thes. Tom. XXVIII. col.* 3. 4.) inquiens: *Sed id labo- ris et molestiae nemo in se suscepit, ut totius numariae rei principum antiquiorum Gentium breviarium exhibeat, et quae praecipua sint momenta rerum nobiliorum, non tantum enarret breviter, verum etiam probet, et summa fide demonstret.*

2011 Ministerio de Cultura

rint : Eruditorum de iis numis placita ac dissidentes sententias in medium afferam, quidque de singulis ego sentiam liberè atque ingenuè profitebor : Samariticas demum litteras è siclis numisque eliciam, easque non modo cum Assyriacis seu vulgaribus hodiernis Hebraeorum, sed cum Samariticis etiam, quas editi et manu exarati Codices exhibent, uno obtutu lustrandas, et invicem committendas sistam ; èque triplicis alphabeti collatione nonnulla deducam, quibus et Samariticarum prae Assyriacis antiquitatem asseri, et arduum sane iter ad Phoenicum, Graecorumque Hispaniensium litteras in eorum numis superstites (quod Deo duce atque auspice nobis tandem ingrediendum est) non parùm complanari posse auguror.

Sed video praeclusum mihi ad institutam tractationem aditum à Viris in hoc studio clarissimis Otthone Sperlingio, Ioanne Christophoro Wagenseilio, Iacobo Basnagio, Carolo Patino et aliis, qui Hebraeorum numos Samaritico charactere inscriptos in universum ut adulterinos reiiciunt, inanemque et poenitendum prorsus existimant, quicumque tandem in iis impendatur laborem : *AEstiment hos numos quicumque velint* (ait alicubi Sperlingius): *torqueant se Viri doctissimi in illis explicandis : oleum et operam se penitus perdidisse tandem videbunt, spero : tam absurdae sunt et insulsae inscriptiones illae omnes, ut nihil in re numaria occurrat illis stolidius ::: Cum igitur numi cusi in populo Dei nusquam reperiantur allegati, nihil superest, quam ut eum in numis* ἀσήμοις, *pondere solo et probitate metalli constanti-*

2011 Ministerio de Cultura

tibus more veteri perseverasse, quamdiu Regnum et Respublica fuit, ad excidium usque concludamus; eos autem numos, quos nunc tractamus, posteriorum saeculorum figmenta esse, quaestûs ergo excogitatos, et hos fumos nobis venditos, fumo luendos et piandos, si iustitiae cura nos tangeret, nec nos ipsi fraudibus iisdem delicias quaereremus immersi (65).

Nec minus confidenter Wagenseilius, cuius locum integrum, insertumque ipsi de his numis Caroli Patini iudicium, extra ordinem describere placuit, quoniam eius scripta non sunt apud nos usque adeo obvia (66). Iacobus item Basnagius omnes Hebraeorum numos Samaritanis characteribus in-

(65) Haec Sperlingius de numis Hebraicis in universum, *Diss. de numis non cusis cap. XVI. Edit. Amsterd.* 1700. *pag.* 101. Capite autem sequenti peculiariter de numis Samaritanis agens, pergit in hunc modum: *Hermannus Conringius pro Samaritanis pugnat, Hebraeos solos cum Wagenseilio et Patino damnat, nec concedere vult, quod hi, omnes illos quacumque scripturâ spurios esse, et longe post Iudaeos dispersos, ac Hierosolymam excisam prognatos. Quaenam, quaeso, Samaritanorum, aut Cuthaeorum in numis praerogativa?* cet.

(66) Wagenseil. *Tract.* inscripto סוטה *Sothá*, sive *De uxore adulterii suspecta*, qui liber est Mischnicus, cap. IV. Edit. Altdorfii Noricor. 1674. pag. 575. fin. *At vero* (inquit) *si quis istis non contentus* (binis nimirum quae protulerat numorum adulterinorum Hebraicorum ectypis) *amplius nostram de numis quos exhibuimus sententiam perquirat, illud principio prodere non verebimur, ita nobis verisimile videri, non exstare ullam amplius verae antiquitatis Hebraeorum monetam usquam gentium, sed omnem omnino pridem periisse funditus. Provocamus ad iudicium universorum, qui veterem et genuinam pecuniam à nova, atque ad similitudinem eius efficta, valent distinguere, et multis evidentissimisque signis probatum dabunt, omnes qui vulgo circumferuntur, sive siclos, sive alterius notae numos Iudaicos, opus recens, et* κακῆ κόμματος *esse. Sufficit unum hìc, cum omnibus aliis in eo eruditionis genere palmam facile praeripiat, laudare, praestantissimum clarissimumque virorum* CAROLVM PATINVM, *cum quo ante hos paucos dies, cum ad Academiam nostram lustrandam excurrisset, suavem exoptatamque familiaritatem contraximus. Is enim, qui tractavit et ad trutinam appendit quidquid numorum veterum Imperator, Reges, Principes Europae propemodum universi in thesauris habent, et ab Iis ob ingenium et do-*

2011 Ministerio de Cultura

insignitos, et Templum Hierosolymitanum, liberationem Sionis, urnam Mannae, aliaque Iudaicae religionis sacramenta exhibentes ut suppositititios reiicit: quandoquidem nec à Iudaeis qui Hierosolymas incolebant, neque à Samaritanis cudi potuere; cum horum minime è re esset exosae sibi gentis gloriam percussis numismatis celebrare, Iudaei autem non aliis quam quibus vulgò uterëntur characteribus res suas ad posteros transmissuri essent (67).

Nec multum ab his videtur abludere Ludovicus Savotus,

doctrinam, quae mirati sunt, honore ac congiariis maximis cumulatus recessit : : : Hic inquam vir eximius et Antiquitatis promus condus, istud magna asseveratione nobis confirmavit, non reperîsse se in omnibus illis gazis numum Hebraeum qui fidem male ambulantem potuisset obtegere. Solum aiebat in Scorialensi Basilica superfuisse aliquem vere antiquum à Carolo Quinto Imperatore olim in cimeliis habitum; at non constare sibi, num incendium, quo anno praeterito, stupenda fabrica conflagravit, evaserit. Enimvero fortasse, si et hunc vir soliertissimus oculis usurpasset, continuo deprehensurus erat, eiusdem ac ceteros illum valoris esse. Nam et Regibus frequenter accidere potest, ut quod ait ille, pluribus veris denariis unus adulterinus ipsis ematur. Ne quid tamen dissimulem (pergit) *mihi sane contigit lustrare toto orbe celebrem Basilicam Scorialensem, et quidquid rari et pretiosi ibidem asservabatur. Quia tamen ille numus ostensus non est, propemodum dubitare occipio, an aliquis cuiusdam momenti adfuerit ; in primis cum cogito quod in Bibliotheca Manuscriptorum* (eius Coenobii) *mihi contigit*, cet. Et pergit ad alia.

Wageinselium alibi declarasse se eos dumtaxat Hebraeorum numos qui Assyriaticis litteris inscripti sunt inter adulterinos referre; reliquos autem Samariticum, ut appellant, characterem prae se ferentes genuinis adnumerare, tradit Salomon Deylingius (*De re numar. vett. Hebraeor. num.* XII.) citans Wagenseilii Dissertationem: *De sceptro Iudae.*

(67) Iac. Basnagius (*Histoire des Juifs Lib. VI. cap.* XXIV. *num.* 23.) inquiens: , En effet on a raison de rejetter toutes , les médailles, sur lesquelles on remarque , le Temple de Jérusalem, la Delivrance , de Sion, la Cruche de Manne, et tout , ce qui peut regarder la Religion des , Juifs de Jérusalem, avec des caracteres , Samaritains; puis qu' il est impossible, , que ni les Habitans de Jérusalem, ni , ceux de Samarie les aient frappez. Ce , n' est pas à Samarie qu' on l' a fait, puis , qu' elle ne prenoit aucun intérêt à la , Delivrance de Sion, son ennemie; sur- , tout, puis qu' elle demeurois sous le joug , des Grecs, pendant que les autres jouïs- , soient de la liberté. On ne l' a pas fait , aussi à Jérusalem, puis qu' on ne se se- , roit pas servi de caracteres Samaritains, , pour

2011 Ministerio de Cultura

tus, in eximio *De numis antiquis* opere, Gallicè primùm edito, qui de numismatis Hebraeorum agens, proposita primùm Villalpandi siclorum divisione in argenteos et aereos, dein Waseri in sacros et communes; reiectisque binis quos Waserus protulerat siclis: *omnes in universum argenteos Hebraeorum numos pro suspectis habendos censuit* (68): in quam etiam sententiam videtur Calmetus propendere.

Atque idem ille Relandus, qui tot scriptis rem numariam Hebraeorum ornavit auxitque, quique de quatuor aereis numis quos dum scriberet archetypos viderat, pronuntiare nihil veritus fuit: *aut quatuor hi numi de quibus egimus genuini sunt, aut nulli prorsus* (69): idem ille, inquam, ubi ad eos qui propriè sicli dicuntur, quòd id nomen expressum gerant, ventum est, facilè se in Otthonis Sperlingii sententiam iturum non dissimulat, confictos subinde eos et re-

» pour témoigner à Dieu sa reconoissance, » et laisser un monument de sa liberté. On » auroit relevé par là la gloire des Schis» matiques odieux, et l'autorité de leur » Pentateuque. Et paulo inferius, scilicet num. XXVII. » Celles (*médailles*) qu' on » pretend avoir été fabriquées sous les » Asmonéens, portent un caracter sensible » de reprobation, puis qu' elles ne peu» vent avoir été frappées à Samarie, et » que cependant on y voit des caracte» res Samaritains. Et rursum num. XXVI. » Les defenseurs des caracteres Samaritains (*antiquitatis scilicet eorum prae Assyriacis*) » s'appuient sur des médailles qui sont evi» demment de contrebande, puis qu' on y » voit un mélange de Judaïsme avec de » letres Samaritaines, *cet.*

(68) Exstat donatum Latio à L. Neocoro (*Thesaur. Antiquitat. Romanar. Graevii Tom. XI. à pag.* 1148.) quo in opere part. IV. cap. 14. inscripto *De numismatis Hebraicis*, postquam Cl. Auctor Waseri siclos describit in quibus Assyriaco charactere legebatur: *Hierosolyma Vrbs sanctitatis*; et: *Lux hominis facta est vita*, subdit: *Numismata duorum posteriorum generum manifesto sunt adulterina; omnia item alia argentea pro suspectis haberi debent*. Sed puto Virum doctum, cùm haec scripsit, ad ea tantum Hebraeorum numismata respexisse quae characteres Assyriacos exhibent. *Calmetus* Dict.Bibl. T.II. in expos. numism. Iudaeor.

(69) Dissert. I. De numis Samaritan. Edit. Traiect. 1709. pag. 47.

2011 Ministerio de Cultura

recentis commatis existimans (70): quod item et Ioannes Baptista Ottius credidit (71).

Cum tot igitur tantisque Viris pro numorum Hebraeo-Samaritanorum fide ac γνησιότητι una mihi ac simplicissima ratione confligendum, sed quae, nisi me amor suscepti negotii fallit, mathematicae demonstrationis instar erit, litemque de hac re omnem facilè atque in perpetuum dirimet.

Praeter Hebraicos numos quos hactenus videre mihi contigit (vidi autem plurimos), unum supra triginta penes me habeo, quorum ectypa suis demum locis exhibiturus sum. Ex his aereos duodecim Excellentissimi Comitis Antonii Savorgniani Patricii Veneti liberalitati debeo, qui me, cùm ad annum MDCCLVIII. Venetiis agerem instructissimumque Eius omne genus numismatum thesaurum perlustrarem, ubi in illos prae reliquis intentum et plane defixum videt, gratissimo dignatus est munere, insignique et

(70) *In ea opinione* (ait Relandus Diss. I. loco paulo antè citato) *versatur Vir doctus* (Sperlingius) *non siclos tantum, quod facilè ipsi dedero, sed et numos omnes qui Samaritanas, aut Hebraeas litteras prae se ferunt confictos esse à Recentioribus lucri faciendi gratiâ*, cet. Verùm, nisi vehementer ego fallor, de iis tantum siclis cogitasse Relandus videtur, aut potuit, qui Assyriaco charactere constant. Nondum enim, cùm primam Dissertationem edidit, germanos et γνησίους Israëlis siclos Samariticis litteris inscriptos noverat, neque novit donec Gallandius numorum Hebraicorum, qui in Ser. Galliarum Regis thesauro asservabantur, ectypa ad eum transmisit: ut liquet ex iis quae Relandus ipse in Diss. v. *De num. Samar.* pag. 183. et ex Gallandii ad Eumdem litteris 21. Decembr. 1708.

(71) *Argentei numi, qui siclorum nomine veniunt* (ait I. Bapt. Ottius in litteris ad Reland. prid. Cal. Mart. 1704. init.) *dubiam hactenus apud me fidem invenerunt; ex decem enim vel duodecim, quos oculis manibusque tractavi, vix unus est, quem originalem, ut aiunt, indubiè agnoscere possim.* Ipsa autem siclorum, quos vidisse perhibet, copia satis superque indicat, de iis tantum siclis Ottium sensisse qui Assyriacas litteras exhibent. Non enim usque adeò facilè ei fuisset in tanta germanorum siclorum raritate denos duodenosve Samariticis litteris insculptos visere.

2011 Ministerio de Cultura

et numquam intermorituro cumulavit beneficio (72). Ternos item aereos minoris moduli inter numorum reliquias à Coenobita quodam è Minorum Ordine ex Oriente allatas, atque à me, cùm is è vivis excessit, parvo aere per aversionem coëmtas reperi (73). Argenteum alterum, itidem è Hierosolymis Romam delatum, ut pretio redimerem aliisque licitatoribus praeferrer, Clarissimi Viri mihique amicissimi Mauri Sarti Camaldulensis Monachi et Sancti Gregorii ad clivum Scauri Abbatis, cuius praeclara exstant doctrinae atque ingenii monumenta (74), singularis effecit humanitas. Sex demum alios casu mihi oblatos, ac Romae et per Italiam in Antiquariorum scriniis repertos coëmtosque, aut pro aliis vetustis numis commutatos, fortassis etiam inter scrutariorum reculas inventos comparavi: quae mihi Hebraici numorum peculii ex Italia delati summa est.

Qua-

(72) Exhibueram pridem Viro Optimo, ac rei litterariae amplificandae in primis cupido reculas meas numismaticas, in quibus erant aurei et argentei numi non pauci, tum Latini, tum etiam Graeci Populorum et Vrbium, Regumque Macedoniae, AEgypti, et Syriae, integri ac minime vulgares; innueramque, uti ex iis sumeret quantum animo collibitum esset suo, dum me Hebraeo-Samaritanis, quos possidebat, numis ditare vellet, in quibus explicandis ingenium aliquando meum periclitarer; Ille autem, ut vel hinc Hominis indolem nôris, detractos continuo è loculis numos ultro mihi ac prorsus ἀμισθὶ obtulit, ea tantum lege ut quamprimum liceret explicatos in vulgus emitterem: unum hoc, inquiens, satis sibi mercedis atque hostimenti loco fore.

(73) *Desiderius* ei nomen fuit, qui crebris ad Orientem itineribus inclaruerat, et Hierosolymitanis Minorum Instituti Coenobiis olim ac diu praefuisse dicebatur. Degebat autem Romae in Franciscanorum Coenobio ad Sanctum Bartholomaeum in insula Tiberis.

(74) Nimirum: *De Episcopis Eugubinis*: *De Civitate Cupramontana*: *De Casula veteri diptycha*, et aliis. Aggressus etiam fuit *Historiam Academiae Bononiensis*, cuius scribendi munus à Summo et Doctissimo Pontifice BENEDICTO XIV. optimo doctorum Virorum aestimatore, impositum ei fuerat; eam tamen morte praeventus absolvere, aut absolutam in lucem edere non potuit.

2011 Ministerio de Cultura

Quadriennio postquam in Hispaniam regressus fueram Eminentissimus Dominus Franciscus Xaverius S. R. E. Cardinalis Zelada binos aereos Hebraeo-Samaritanos numos, quòd olim Romae studiosus eorum dicerer, perbenignè ad me Toletum, qua in urbe tunc degebam, deferri curavit, insignique munere et honore auctum atque honestatum voluit. Binos item aereos, eodem ferme tempore, Ioannes Aloysius Mingarellius Canonicus Regularis Sancti Salvatoris, eiusdemque Instituti Abbas Generalis, vir Linguarum Orientalium peritiâ, doctrinaeque et scriptorum laude celebris (75), quocum maxima mihi tum Bononiae tum postea Romae necessitudo intercesserat, liberaliter ad me transmisit. Post haec Cl. Ioachimus Garcia Ibannesius Cathedralis Ecclesiae Turolensis Cantor, universae Antiquitatis et rei numariae Veterum peritissimus, è divite ipsius gaza ternos itidem aereos ultro mihi ac libenti animo donatos obtulit : alterum Cel. Henricus Florezius *Hispaniae sacrae* auctor, patriorumque numismatum illustrator ; ac demum alterum, qui postremus fuit omnium (76), Antonius Sanzius Matritensis Typographus : quos honoris et grati animi causâ nominatos volui, suntque usquè superstites eorum plurimi, utque diutissimè sint opto atque expeto.

Ex

(75) Exstant varia eiusdem scripta multiplici doctrinâ atque eruditione refertissima : *Hebraeorum sex Canticorum explanatio* : *Paulini libellus de benedictionibus Patriarcharum*, et alia quae mihi in promtu non sunt.

(76) Postquam haec scripseram, ineunte scilicet autumno superioris anni 1779. Antonius Iosephus Mosti Civis Gaditanus, vir optimus atque humanissimus reique numariae veteris et universae Antiquitatis cultor eximius, alium item aereum minimi moduli mihi perbenignè obtulit, quem, quòd expressum Simonis annum non gerat, inter eos retuli qui epoche destituti sunt.

2011 Ministerio de Cultura

Ex his numis tres ad primum libertatis Ierusalem, seu principatûs Simonis Machabaei annum, id est CLXX. Erae Seleucidarum, pertinent, ut liquet ex eorum epigraphe: sex ad secundum: quatuor minimùm (nam de altero dubium incidere potest) ad tertium: octo ad quartum; reliqui epochen adscriptam non habent, ut proinde illorum aetas ex typo, scriptura, litterarum numero, aliisque adminiculis coniicienda nobis aut divinanda sit.

In ea verò numorum varietate, in ea locorum quibus aut primum eruti, aut pro Hebraeo-Samaritanis agniti et in pretio haberi coepti fuere distantia, in eo demum possessorum quorum interventu ad nos pervenere discrimine; ubi universos, suis quemque loculis, seseque mutuo prospicientes, atque in classes digestos uno obtutu complector: id mihi *primum* inde elicere visus sum, numos Hebraeorum omnes nisi pro annorum quibus cusi fuere diversitate, nihil praeterea distare aut differre invicem: *secundum* ac priori consequens, aereos qui eumdem annum prae se ferunt, quòd ad fabricam spectat, omnino inter se similes èsse, atque ab eadem officina monetaria, et fortassis ab eiusdem artificis manu profectos.

Postremum si ostendero, dicta causa est. Etenim si vel eo admisso numos de quibus agitur confictos volumus, eodem tempore ac loco confictos fuisse dicamus necesse est: unum praeterea eorumdem confingendorum artificem, eumque non tantum caelatoriae et cusoriae artis, sed et universae Machabaeorum historiae et chronologiae, rituum-

2011 Ministerio de Cultura

que et primaevae Hebraeorum scripturae peritissimum; quippe qui, ut numi à se ipsis ostendunt, debuisset nôsse quo tempore Simon eos cudere coepit, quo id facere desiit: quo anno sublatum fuit iugum Gentium ab Israël, quo recuperata Sionis arx. Item, quae symbola per Legem numis insculpere liceret; quaeque ex eis ad collata olim à Deo in populum beneficia, ad statas Hebraeorum ferias et sollemnitates earumque ritus, ad communem gentis laetitiam, ad Iudaicae denique regionis ubertatem repraesentandam aptiora et significantiora essent (77): quae vetus olim fuisset Hebraeorum scribendi ratio: quae transfluvialium seu Samariticarum litterarum formae: תאו nimirum א *Aleph* bovino capiti, תאו ע *Háin* humano oculo, תאו demum ת *Tau* cruci (qua omnino figurâ eas litteras numis insculptas (78) cernimus) persimiles fuisse: post unum denique il-

(77) Huc forsan respexit oculatissimus Conringius, cùm in Paradoxorum prologo postquam Wagenseilii de his numis sententiam improbat, haec addit: *Immo verò cùm in quammultis illorum numorum concurrant omnia omnino quae vetustatis genuinae certa à Viris doctissimis habentur indicia, nefas existimo novo illi placito assentiri. Enimvero* (pergit) ἀδύνατον *arbitror potuisse imperitis saeculis* (*qualia utique fuerunt aliquot centenis annis*) *effingi numos Samaritanis inscriptionibus insignitos*, qui undequaque respondeant rebus Hebraeorum, *quales fuisse Hasmonaeorum aevo, Veterum indubitatae fidei monumentis accepimus.*

(78) De litteris ע *Háin* et ת *Tau* res in numis nostris conspicua est; de א *Aleph* tamen erunt fortasse qui dubitent; cùm ea littera, cuiusmodi in iisdem numis visitur, non omnino bovini capitis figuram referat, nisi τῷ א *Aleph*, quod in Alphabeto Samaritano ex numis inferius à nobis exhibendo quarta sede locatur, eam speciem accommodamus. At in Kircheri numo, cuius ectypum dedimus non ita pridem, eadem littera sub bovini capitis figura conspicitur, estque omnium postrema in voce נשיא *Nasí*; atque item in aereo Ser. Galliarum Regis cuius ectypum protulit Relandus (*Diss. v. de num. Samar. Tab. ix. num.* 7.) estque ibi penultima vocis ישראל *Israël*; et utrobique non similis modò, sed eadem est ac Phoenicum, Poenorum seu Carthaginiensium et Gaditanorum א *Aleph*, ut ex earum gentium numis apparet.

2011 Ministerio de Cultura

illum, qui quaestûs gratia hos numos confinxisse Adversarii iactitant, nulli uspiam mortalium venisse in mentem ut similes alios cuderet conflaretve; cùm longè id esset facilius quàm invenisse. Namque illud pro certo affirmare possum, mihi nullum hactenus occurrisse numum adulterinum aut sublestae fidei ex iis qui Samariticam scripturam prae se ferunt: sinceros omnes nullaque non ex parte sibi constantes reperi (79); cùm contrà, eorum qui Assyriacos characteres exhibent, meraeque sunt mangonum praestigiae, tam varia et multiplex ubivis copia exstet.

Iam equidem existimo Sperlingium et reliquos qui numorum Hebraeo-Samaritanorum fidei adversantur, et praecipuè Basnagium, qui toties in illorum pseudoplastas invehitur, eorumque aetatem, artes, scopumque in iisdem effingendis divinasse sibi adblanditur (80): si nonnihil horum

(79) Non dissimulabo vidisse me olim Venetiis apud Excell. Comitem Savorgnianum aereum numum Samariticis litteris inscriptum, longèque prae reliqui crassiorem, qui per omnia Hebraici sicli figuram referebat; is tamen non undequaque mihi germanus videbatur. Praeterea Theseus Ambrosius (*Introd. ad Ling.Chald. Syr. et Armen. fol.* 21. *col.* 2. *apud Ioann. Buxtorfium F. De litt. Hebr. genuin. antiquit. num.* 65.) scribit *se vidisse numos Samaritanos*, cum litteris Samaritanis, *cum inscriptione hac*: Messias Rex venit in pace, cet. Quo loco Buxtorfius: *Tales vidi ego litteris Hebraicis; et vix dubitandum esse puto, quin sint factitii.* Existimarem tamen Theseum Ambrosium *Samaritanas litteras* pro Hebraicis per errorem scripsisse. Contrà Conringius, in Prologo Paradoxor. *Quamvis enim* (inquit) *numos illos qui Assyriis litteris et humana effigie sunt insigniti etiam ipsemet improbassem; illos tamen qui Samaritanos characteres habent inscriptos* tantùm non omnes *agnoveram esse genuinos*, cet. Salomon quoque Deylingius (*De re numar. vett. Hebraeor. num.* 16.) *Nobis* (inquit) *numi isti* (scilicet Samariticis litteris inscripti) si non omnes, *plerique tamen videntur esse genuini, et indubitata sinceritatis et antiquitatis indicia habere*: quibus locis τὰ: *tantùm non*, et: *si non omnes*, circumspectè ab utroque Scriptore addita puto, quòd omnis definitio etiam in numismatico studio periculosa sit.

(80) , Les imposteurs qui ont fabri-

, quées

ESPAÑOLA-CENTRO DE CULTURA HEBRAICO
MUSEO SEFARDI TOLEDO
2011 Ministerio de Cultura

rum quae diximus in siclis numisque Hebraicis observasset, aut ipsi umquam venisset in mentem, universam numorum Hebraeo-Samaritanorum fabricam unius hominis figmentum esse, aut esse potuisse: parciorem fore in fundendis id genus oraculis, atque illico nobiscum agniturum non tam facilè ab Impostoribus eos numos potuisse confingi, quam ab Ipso numorum auctores; simul aliqua sibi ratione consulturum, qua novam, minimèque Ei provisam difficultatem effugeret. Etenim cum ex Simonis nomine, quod numi passim exhibent, atque ex attributa Ipsi ab Antiocho *percussura proprii numismatis in regione sua*, praevidisset Vir sagax, fore qui numorum Hebraeo-Samaritanorum fidem atque ingenuitatem elicerent, maturè praeclusit ad eam ratiocinationem aditum, inquiens *non ignorasse illorum auctores uni Simoni, non Ionathae neque Iudae Machabaeis cudendae monetae ab Antiocho potestatem factam; ac propterea unius Simonis nomine numos callidè inscripsisse, inque iis effingendis Samariticas litteras Assyriacis praetulisse*; nimirum ut quam struebant fraudem aliquo *veritatis velo obtegerent* (81). Verùm parùm Impostori-

, quées les médailles en question (*ait Basnagius Histoir. des Juifs Lib. VI. cap.* 24. *num.* 28.), peuvent être anciens. Les , uns ont pû vivre dans le second siecle , de l' Eglise, ou l' usage des médailles , étoit fort grand chez les Romains; et , ou les Juifs, qui commençoient à se re- , lever de leur ruine, fabriquérent un , grand nombre d' ouvrages supposéz à fin , de retablir la gloire de leur Nation. , Cette antiquité (*pergit*) est assez gran- , de pour imposer aux Savans accoutumés , à manier les médailles: par ce qu' en effet , il y en a d' autres plus nouvelles, battues , par ceux qui ont vêcu depuis les Croisa- , des, par ce qu' alors on fit un commerce , de ces sortes de monumens, qui enrichit , ceux qui avoient l' art de les fabriquer.

(81) , Antiochus (*inquit Basnagius Hist. Iudaeor. Lib. VI. cap. XXIV. num.* 23.) , ac-

2011 Ministerio de Cultura

ribus fuisset historiam Machabaeorum nôsse ut eos numos effingerent, nisi ritus quoque et caerimonias Mosaicae Legis, nisi Iudaicae gentis fatum erroresque, nisi veterem Hebraeorum scripturam et peculiares litterarum formas, nisi permulta demum alia, quae in numis consultò expressa aut indicata sunt, non è Sacris modò; sed è Mischnicis etiam Gemaricisque libris penitiùs hausissent, edidicissentque: de quibus nos suis locis.

Iam verò ad ostendendum quod postremo loco assumsimus, nimirum *aereos Hebraeorum numos, qui eumdem annum prae se ferunt, ab eadem officina, atque ab unius fòrsan artificis manu profectos*, video nihil praesentius fore, quàm si numi ipsi, id est ipsa eorum corpora Legentium oculis sisterentur. Etenim vel primus simplexque eorum aspectus eamdem omnium ideam ingenerat spectantium animis. Nos, quod unum possumus, summa ope ac nullis parcentes sumtibus enitemur, ut eorum ectypa ad verum atque accuratissimè expressa suis quaeque locis exhibeantur. Interea tamen ne omnem eius rei fidem atque auctoritatem in nos recipere videamur, generalia quaedam de numis qui quatuor

, accorde à Simon le droit de batre mon-
, noye à son coin, par ce que c' étoit
, un droit nouveau dont aucun de ses
, Prédécesseurs n' avoit jouï. C' est pour-
, quoi les Imposteurs qui ont supposé des
, médailles, les font frapper sous le Re-
, gne de Simon, plutôt que sous ceux de
, Jonathan et de Judas, par ce qu' ils
, avoient assez étudié l' Histoire, pour
, voir qu' il étoit le premier de sa Nation
, qui eut possédé ce privilege. *Et Libro II. cap. x. num. 5. fin.*, Ces sicles ont
, donc été frappez plusieurs siecles apres
(*nimirum post Machabaeorum aetatem*)
, par des Imposteurs, qui ont crû donner
, un plus grand air d' antiquité à leurs
, médailles, en y conservant les anciens
, caracteres Hébreux ou Samaritains, sur
, les quels nous n' avons que des conjectures à produire.

2011 Ministerio de Cultura

tuor prioribus principatûs Simonis annis percussi fuere, quique epochen ad plenum expressam aut indicatam gerunt, duximus praemittenda, nimirum.

I. Numorum qui ad annum *primum* pertinent non unam esse rationem. Nam aut sicli semisiclive sunt, argentei, qui in priore facie סד שקל ישראל *scékel Israél*, id est *siclus Israëlis* insculptum exhibent, aut חצי השקל *chatsí hascékel*, seu *dimidium sicli*, cum singulari littera א *Aleph* urnae seu calici insidente; in posteriore verò סד ירושלם קרשה *Ierusalém kedóscah*, sive *Ierusalem sancta*, decem non amplius Hebraicis litteris inclusum; aut aerei (*numi* propriè dicti ad differentiam *siclorum*, quòd *sicli* titulo destituti sint) in quibus *Simonis* nomen et *primus redemtionis Israëlis annus* expressè legitur. Horum autem numorum, quòd ad typum et modulum spectat, diversa itidem ratio est, inscriptio ferè eadem. Sunt enim grandiores alii perrari, qui vulgarem unciam pondere superant, et in priore facie *Simonis* nomen cum epitheto *Princeps Israëlis* laureo, ut videtur, serto inclusum exhibent; in posteriore verò urnam diotam patulam erectamque, et circum eam *anno primo redemtionis Israëlis*. Huius generis archetypum numum videre mihi numquam contigit; ectypa Relandus (82), Eisenschmidius (83) et Mortonus (84) protulere. Alii sunt minores,

(82) Diss.v. de numis Samar. Tab.ix. num. 7. è Thesaur. Ser. Galliarum Regis.

(83) De ponder. et mensur. Vett. Romanor. Graecor. Hebr. Sect.iv. De val. pec. Att. in numor. Tab. n. 10.

(84) *Carolus Morton* in Eduardi Bernardi characterum veterum tabula, cui titulus, *Orbis eruditi litteratura* ab eo supplementis aucta num. 8. è Museo *Philippi Barton* AEdis Christi Oxoniensis Canonici.

2011 Ministerio de Cultura

res, seu secundi moduli, cum eadem prorsus utrimque scriptura, sed quorum prior facies palmam cum pendente hinc inde fructu, posterior extensum pampinum, sive balsami folium, ut nonnullis visum fuit, exhibet. Ex his unicum, qui penes nos est, cum singulari alio ab Harduino primùm evulgato (85) conferendum suo loco dabimus. Sunt demum alii quos, si cum Romanorum numis conferas, tertii, quartive, seu minimi omnium moduli iure dixeris. Ii autem in aversa (quae una Samariticam scripturam exhibet) botrum gerunt cum petiolo cui pampinus haeret, et circum illum *anno primo redemtionis Israël*; in adversa verò palmam cum pendente utrimque fructu, atque hinc inde circa truncum novem arcanos, ut coniicimus, characteres, de quibus latior olim erit disserendi campus. Horum alterum primus item atque unus omnium Harduinus ex archetypo (86), mox Soucietus (87) et Bianconus edidere (88); nos binos eiusdem typi, sed diversi moduli, et quòd ad arcanarum litterarum formas attinet, longè inter se discrepantes in medium proferemus.

Ex his igitur, quod propiùs nostra spectat, si siclos semisiclosve cum aliis eiusdem anni siclis semisiclisve conferis, omnes et mole et pondere (nisi quid alicui attritu

(85) In annotationibus ad Plin. Tom.I. pag. 432. Edit. Paris. 1723. et Tab. VII.

(86) E Museo *Domini de Boze* Secretarii perpetui Regiae Academiae Inscriptionum et Numismatum, ut Harduinus testatur, loco paulo antè citato.

(87) *Recueil de Dissertations Critiques*: Dissertation sur les médailles Hebraïques Edit. Paris. 1715. pag. 47.

(88) *Ioannes Baptista Bianconus* Bononiensis Graecae Linguae Professor: *De antiquis litteris Hebraeorum et Graecorum*, Bononiae 1748. in Alphabeti Hebraeo-Samaritani tabula num. 2.

2011 Ministerio de Cultura

tu aut externa vi deperditum aut imminutum fuerit) et typo et scripturâ, atque universae demum fabricae seu structurae indole sibi invicem respondere cognosces: id quod et in aereis reliquorum trium generum numis eveniet, si eos cum aliis eiusdem anni committas, ut à me non semel observatum est; immo etiam binos illos, quos arcanis characteribus inscriptos pridem dixi, usque adeo inter se similes germanosque deprehendes, ut eos è vestigio in eadem officina monetaria, atque ab eodem artifice percussos affirmare, et tantum non liquido iurare possis: quod item verbo et scripto testati sunt periti harum rerum aestimatores, atque ipsa numorum inferius proferenda ectypa satis superque ostendunt.

II. Numorum qui ad *secundum* principatûs Simonis annum pertinent multiplex item genus esse. Sunt enim sicli semisiclive (89) argentei, qui τὸ שקל ישראל *scékel Israél*, seu *siclus Israëlis*, aut חצי השקל *chatsí hascékel*, id est *dimidium sicli* in adversa gerunt, cum litteris ש ב *Scin Beth* supra urnam, eiusdem anni indicibus; in aversa verò ירושלים הקדושה *Ieruscaláim hakedóscah*, sive *Ierusalem sancta*, tredecim omnino Samariticis litteris constans, quod in huius anni siclis semisiclisve perpetuum esse pridem observavimus; aut numi aerei, quorum alii medii, ut vocant, mo-

(89) Secundi anni semisiclum nusquam ego videram, atque haerebam dubius, num percussus aliquando aut ab Eruditis observatus fuisset, donec in eius ectypum incidi in Museo Comitis Pembrochiae Parte II. Tab. LXXXV. num. 2. Gestat autem binas supra urnam litteras, eiusdem anni indices, cum epigraphe *Ierusalem sancta*, quae plena seu gravi scripturâ constat, itidem atque in integris secundi anni siclis.

2011 Ministerio de Cultura

moduli, alii minimi sunt ; atque ex his priores palmam dactyliferam, eiusque trunco hinc inde *Simonis* nomen, undante litterarum sulco adscriptum in adversa exhibent; in aversa verò pampinum, et *secundum libertatis Israëlis annum*, binis illis quas modò dicebamus, litteris ש ב *Scin Beth* expressum, quae tamen non, ut in siclis et semisiclis, in numorum area, sed in peripheria conspiciuntur ; posteriores autem, seu minimi moduli, hinc diotam urnam stantem patulamque, et circum eam שתים שנת *scetáim scenát*, id est *secundo anno*, plena quidem scripturâ, referunt; inde verò חרת ציון *cherút tsión*, seu *libertatis*, aut *liberationis Sion*, itidem circum extentum pampinum, sed absque expresso articulo. Prioris generis siclum in Museo Ser. Domini Hispaniarum Infantis Ludovici Borbonii exstantem olim descripsimus, usque adeo aliis eiusdem anni siclis, quòd ad molem, pondus, typum et scripturae rationem attinet, similem, ut non facilè eos internoveris ; posterioris, senos exhibemus qui penes nos sunt, integri et nulla non ex parte conspicui, quique vel primo aspectu sese produnt in eadem officina monetaria percussos.

III. *Tertium* principatûs Simonis, seu *libertatis Sionis annum* qui referant, paucissimos, eosque aereos, atque unius tantùm, id est minimi, moduli numos hactenus observatos fuisse : qui in priore facie urceum, sive urnam diotam, erectam mucronatoque operculo contectam exhibent, et circum eam שנת שלוש τὸ *scenát scelósc*, sive *anno tertio* ; in posteriore autem extentum pampinum cum epigraphe חרת ציון

2011 Ministerio de Cultura

ציון *cherút tsión*, seu *liberationis Sion*, omnino ut in minoribus secundi anni numis exstare paulo antè dicebamus, sed absque ו *Vau* in priore voce. Quatuor minimùm (nam de altero dubium esse potest) optimèque habiti penes nos sunt, unius profecto commatis ac structurae, ut qui unum aliquem eorum vidit, omnes viderit.

IV. *Quarto* demum principatûs Simonis anno longè plures quàm praecedenti numos ab Hebraeis percussos fuisse. Octo iuri nostro cessêre, in quorum antica vel malum citreum inter binos ramorum fasciculos visitur, vel bini tantum fasciculi absque malo citreo, vel simplex demum fasciculus cui hinc inde malum citreum erectum adstat; in postica verò nunc palma cum pendente utrimque fructu, cuique bini dactylorum corbes pleni atque exuberantes subiacent; nunc malum citreum longè prae reliquis grandius, quodque totam numi aream implet; nunc demum urna seu calix ἄωτος, cuius oram extimam continua unionum series instar coronae redimit. In omnibus autem hinc שנת ארבע *scenát arbáh*, sive *anno quarto*; inde verò לגאלת ציון *legeulát tsión*, id est *redemtionis Sion* expressum legitur. Hoc bini crassiores à reliquis numis discrepant, quòd in altero τὸ חצי *chatsí* seu *dimidium*, in alio τὸ רביע *rebíah*, id est *quadrans*, seu *quarta sicli pars*, ad utriusque pondus et valorem significandum adiecta sint, cùm in ceteris nuda et simplex anni nota contineatur; quodque praesentissimè in rem nostram facit, seni cùm sint quos postremo loco descripsimus, si quis alterum dein alium ex eis in manus sum-

2011 Ministerio de Cultura

sumserit, eumdem denuo sumsisse videatur: ea est omnium inter se convenientia et affinitas.

Consulto plura quae mirè in eumdem scopum collineant de typo ac numorum symbolis, praecipuè vero de ratione qua in gyrum secti et conformati sunt, ad oppor-tuniorem locum reieci: nimirum ut Lectores causâ demum cognita, id est postquam inspexerint seriòque observaverint numorum quae proferentur ectypa, de illorum, quòd ad fabricam seu structuram spectat, similitudine apud se statuere et pronuntiare valeant. Item, quae ex eadem similitudine, atque adeò è numorum Hebraeo-Samaritanorum ἀξιοπιστία peti possunt argumenta pro Samariticarum litterarum prae Assyriacis antiquitate; tum verò mirificam, quae illico sese prodit, eorumdem numorum cum sacris utriusque Foederis, et maximè cum Machabaeorum libris, vel in rebus minimis, consensionem atque harmoniam: de quibus nos sparsim in processu operis, aut instituta peculiari tractatione disseremus.

Sed illud interea non dissimulandum, eam numorum Hebraicorum inter se convenientiam et similitudinem non fugisse oculatissimum Ioannem Harduinum, qui primus, ut existimo, omnium id in numis Hebraeo-Samaritanis epoche carentibus observavit atque in vulgus emisit; neque tamen thesim inde aliquam, quae proposito nostro faveat, elicuisse videtur. Et quidem cum in hunc Scriptorem incidi non parum in eadem coniectura confirmatus fui, quam dudum intra me lactaveram atque enutrieram, quae-

2011 Ministerio de Cultura

que mihi ex assidua numorum archetyporum observatione, et eorum inter se conflictu primùm enata fuit. Harduini locum extra ordinem sistere placuit (90).

Nec demum silentio praetereundum recens Eruditorum Londinensium de eadem re iudicium. Cum enim superiore anno unum eorum aliquem in Samaritanorum studiis exercitatissimum per litteras rogassem, exquireret in Museis Angliae, et maximè in Cel. Medicinae Doctoris Guilielmi Hunteri, quod Hebraicis numis instructissimum esse pridem noveram, *essentne minores aenei eâdem aeris indole, atque eiusdem fabricae, ut videri possent ab eadem officina monetaria, et fortassis ab eiusdem artificis manu profecti*; cumque Is litteras meas cum aliis Viris doctis, cumque ipso Cl. Huntero communicasset, prolatis inspectisque accuratè numis de quibus agebatur, in hanc demum sententiam itum est ab omnibus: *difficillimum esse certò determinare, num omnes aenei minimi* (Samaritani numi)

(90) *Diss. de duobus numis Samaritanis* adiecta Notis et Emendationibus in Plin. Lib. VII. Ed. Paris. 1723. à pag. 432. *Haec igitur* (inquit) *ratio verosimiliter Simonem adegit, ut demum populo cederet, abstineretque post annum quartum à percussura proprii numismatis: certè nullum simile apud Iudaeos* (scil. Simonis nomine inscriptum) *ulla visum aetate est. Nam quae* (numismata) *nec Simonis habent nomen, nec annum notatum, sed pretii notatam dumtaxat, adeò perspicuum est esse ea eiusdem officinae (nam id omnino suadet indiscreta fabricae similitudo), ut obstinatae pertinaciae sit eo tantum argumento contendere, alio tempore potuisse ea cudi, quoniam nullum certum habent annum notatum.* Quae paulo aliter habentur apud Vgolinum Tom. XXVIII. Thesaur. col. 1073. scilicet: *Illi numi qui non prae se ferunt nomen Simonis, nec ullam epocham, sed tantummodo eorum pretium explicitum, proculdubio eiusdem typi et operis ac reliqui sunt; et tanta inter eos intercedit similitudo, ut nihil esse possit, nisi pertinax iam antè insita mentibus opinio, quae tamen nullo fulciatur argumento, quo possit asseri, alio tempore, cum nullum in his designetur, fuisse cusos.*

2011 Ministerio de Cultura

mi) *ex eodem metallo cusi , et ab eadem manu artificis profecti sint ; de plurimis tamen id vero videri simillimum* (91).

Atque his nos demum numorum Hebraeo-Samaritanorum fidem sartam tectamque , quod initio fuerat propositum , et reclusum ad institutam de iisdem tractationem aditum deinceps fore speramus. *

CA-

(91) Consulueram ego per litteras de nonnullis ad rem numariam Hebraeorum spectantibus Virum doctissimum , totiusque Antiquitatis et Linguarum Orientalium cognitione illustrem , Carolum Godofredum Woide , qui non ita pridem ab amplissima Academia Oxoniensi delectus ut in compendium redigeret Christiani Scholtzii et Maturini Weyssiere la Croze Grammaticam et Lexicum AEgyptiacum , strenuè defunctus eo munere fuerat , edito, notisque illustrato utriusque illius Scriptoris opere Oxoniae 1778. Is autem adhibitis Cl. Combio , quem *omnium rei numariae partium callentissimum , et in eo studio nulli secundum* vocat , Guilielmo Huntero, aliisque Viris doctis , humanissimè plenissimèque ad quaesita nostra respondit in litteris Londini, Calendis Iunii MDCCLXXIX. datis , quas integras ad calcem operis edemus. In quaestione autem proposita *de una atque eadem numorum omnium Hebraeo-Samaritanorum fabrica et monetaria officina* , ea retulit quae superiùs à nobis bona fide ex iisdem litteris descripta sunt.

* Cum haec typis ederentur pervenere ad manus meas Ephemerides Encyclopaedicae Parisienses (*Journal Encyclopedique*) 15. Iulii 1780. in quibus sequens articulus legitur pag. 364.

NORD.

, *Die unechtheit des judischen munzen mit, hebræischen und Samaritanischen buchstaben , cet.* C' est-à-dire , *De la fausseté des médailles juives au caractere hébreu et Samaritain.* Par M. O. G. Thyschen. In , 8.° de 56. pag. A Rostock , 1779. , On avoit déclaré fausses toutes les médailles juives , excepté celles au caractere hebreu et samaritain. L' auteur les , comprend dans la proscription , et prétend qu' elles ne sont pas plus authentiques que les premieres, et que les juifs , modernes les ont fabriquées d' apres le , 6.e verset du XV.e Chap. du I.er livre , des Macabées. M. Schloeger , à qui , cette brochure est dediée , vient à l' , appui de l' opinion de M. Tyschen : car , depuis la lettre qui est imprimée à la , suite de cet opuscule , il a déclaré que , jusq' ici il n' a pas encore vu une seule , médaille juive au caractere samaritaine , qui fût authentique ; mais il n' ose affirmer qu' il n' y en ait point.

Quod opus , ubi primùm ad nos delatum fuerit , libens ego legam , quidque de eo sentiam animo à studio partium libero exponam.

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT SECVNDVM.

De siclis, semisiclis et numis Hebraeo-Samaritanis in universum praenotanda; deque iis qui primo principatûs Simonis Machabaei anno percussi fuere.

IAM primùm omnium, quod olim polliciti sumus, de numis Hebraeorum in universum praenotanda haec duximus.

I. Numos aureos ab Hebraeis numquam percussos, saltem hactenus observatos non fuisse (1).

II. Siclos semisiclosque proprie dictos, quòd sicli semisiclive titulo insigniantur, argenteos omnino esse (2).

III. Numos Hebraeorum omnes, quocumque nomine censeantur, ab Hasmonaeis seu Machabaeis Principibus, aut ab Herodibus Iudaeorum Ethnarchis percussos (3).

IV.

(1) Conringius (*Paradox. cap. IV. num.* 5.) ubi de aureo elegantissimo Henrici Meieri siclo, quem *earumdem et figurarum et inscriptionum esse* ait *ac sicli argentei genuinae notae*; et clariùs: *Samaritanis inscriptum litteris* (Ep. ad Hottinger. Wolfenbutelli 15. Sept. 1661.) *Quòd si sanè* (inquit) *fuerit is siclus genuinus, iam res omnis facilis esset definitu, et valerent nihili adductae abs me rationes pro siclo argenteo. Verùm enimvero, nec ipse Vir doctus* (Meierus) *ausus fuit eius aurei numi γνησιότητα asserere. Laudavit cum primis* elegantiam singularem; *illa autem mihi visa est argumentum νοθείας; quoniam quotquot alii superant numi Hebraeorum, sive argentei, sive aerei, elegantiae nomine non merentur aliquam singularem laudem.* Quae autem pro *siclis aureis* nonnulli colligunt ex historia areae Ornan sive Areunae Iebusaei à Davide emtae, de qua II. Reg. XXIV. v. 24. si conferantur cum eadem historia, qualis exstat I. Paralip. XXI. v. 25. exigui sunt ponderis; quamvis ex iis optimè evincatur eo tempore rationem valoris auri ad argentum duodecuplam fuisse, id est *quinquaginta auri siclos sexcentis argenteis siclis respondisse.* Vid. Barthol. Beverini *Syntagm. de ponder. et mens.* Part. I. et passim Scriptores de eodem argumento.

(2) Conringius (*Paradox. cap. IV. per tot.*) Recolenda tamen quae suprà Cap. I. not. 79. diximus de *siclo aereo* in Museo Savorgniano Venetiis exstante, longè maioris ponderis molisque quàm argentei sunt: qui propterea suspectus nobis videbatur.

(3) Conringius (*Parad. cap. IX. per tot.*)

2011 Ministerio de Cultura

IV. Vetustissimos Hebraeorum numos ad Simonem Machabaeum et liberationem Israëlis à Graecis, sive ad annum CLXX. Erae Seleucidarum, non ad Iudam, neque ad Ionathanem fratres eius referendos.

V. Siclos semisiclosque omnes ad primum vel ad secundum principatûs Simonis annum pertinere (4), et numerales litteras א *Aleph*, aut ב *Beth*, alterutrius horum annorum indices, supra urnam gerere (5).

VI. Vltra secundum Simonis annum in cudendis siclis semisiclisve processum ab Hebraeis non fuisse; ac proinde qui sicli et semisicli litteras ג *Ghímel* aut ד *Daléth* supra urnam exhibent, ut *tertium*, *quartumve* principatûs eius annum designent, adulterinos esse (6).

VII.

(4) Ex his tantùm siclis semisiclisve, qui hactenus detecti sunt, coniecturam ducimus: fortassis alios in apricum aetas proferet. Verùm, ut mea fert opinio, post secundum principatûs Simonis annum à numorum argenteorum, atque adeò à siclorum et semisiclorum fabricatione, ab Hebraeis cessatum omnino fuit.

(5) Soucietus (*Diss. sur les Médailles Hebraïq. pag.* 24.) quartam constituit classem siclorum omnino epoche carentium, seu in quibus nulla exstat numeralis supra urnam littera: de quibus iure dubitari posse ait, sintne captivitate Babylonica antiquiores. , J' ai cru (*inquit loco citato*), avoir vû autrefois de ces si-, cles d'argent, & j'en trouve dans mes , papiers, dont j' ai pris le type, qui sont , sans aucune époque, cet. *Et pag.* 25. , Les tres prémières espéces de médailles , sont assurément plus récentes que la , captivité de Babylone, & qu' il n' est , pas absolûment sûr que la quatriéme soit , plus ancienne. Sed crediderim exesam potius aut consulto erasam in iis siclis numeralem supra urnam litteram: maximè cum exemplum, quod ibidem Soucietus in comprobationem affert, seu sicli inscriptio ירושלים הקדשה *Ieruscaláim hakedóscah*, tredecim omnino litteris constare debeat (quamvis in ea duodecim tantùm depingantur, deficiente nimirum *τῆ* ו *Vau* in voce הקדושה *hakedóscah*); et propterea is siclus manifestissimè ad secundum principatûs Simonis annum pertineat.

(6) Montfauconus (*Palaeogr. Gr. Lib. II. cap.* 2. *pag.* 124.) falsò sibi persuasit, in siclo quem R. Azarias descripsit legi *annum quartum*. Sic enim inquit: *In hoc autem labitur Azarias, quòd putet litteras* ש ד Scin Dáleth *urnae impositas significare* siclum Davidis; *nam certò constat de-*

si-

2011 Ministerio de Cultura

VII. In siclis semisiclisque omnibus ad primum principatûs Simonis annum spectantibus τὸ *Ierusalem sancta* decem non ampliùs Samariticis litteris exprimi ; cum in iis qui ad annum secundum pertinent eaedem voces et sententia tredecim omnino litteris constent.

VIII. Numos ad tertium *libertatis Sionis* annum spectantes urnam diotam non patulam , ut reliqui vulgares Hebraeorum numi , sed acuminato operculo contectam exhibere ; eamque perpetuam eorumdem esse διάκρισιν.

Conringii paradoxa *de numis Hebraicis humanam effigiem referentibus* , ac *de iis qui Assyriaco charactere inscripti sunt* , consultò omisi ; vix enim esse , aut deinceps fore existimo , qui in tanta litterarum Hebraicarum luce caecutire adhuc velint ac tenebras diligere. De reliquis, quae è penu nostra Conringianis paradoxis adiecimus , si quid inter Eruditos emerserit dubii, dabimus operam ut in tractationis processu diluatur.

Quibus praemissis iam ad siclorum numorumque Hebraicorum explicationem accedamus ; et primò quidem ad illorum quos priore *redemtionis Israëlis* et *principatûs Simonis* anno , eoque aut singulari supra urnam litterâ designato , ut in siclis et semisiclis , aut ad plenum expresso , ut in reliquis passim numis , percussos fuisse constat. Pri-

signare annum quartum scenat arbá. Ezechiel quoque Spanhemius (*De praest. et usu numism. Diss.* II. *Tom. I. Edit. Lond.* 1717. *pag.* 68.) meminit numorum Hebraicorum quibus annus *primus* , *secundus*, et in aliis *sextus libertatis Ierusalem et Sionis* legebatur. Recolenda quae diximus de Waseri numis , in quibus urnae seu calici inscribuntur litterae ג *Ghimel* et ד *Dáleth* , non tamen ad annos quibus cusi fuere , sed ad sicli partes , nimirum *Quadrantem* et *Trientem* , significandas.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

TYPVS NVMORVM ANNI PRIMI.

Biblioth. Regiae Matritensis.



Biblioth. Regiae Escurialensis,
olim Ben. Ariae Montani.



Penes nos:



Aug. Estève delin. *Ferd. Selma incid.*

2011 Ministerio de Cultura

Primùm autem omnium iuverit utriusque eius generis numorum tabulam sistere.

PRIMVS in ea nobis occurrit siclus Regius in Bibliotheca Matritensi exstans, iisdem hinc inde typo, symbolis, epigraphe, ac vulgares Hebraeorum sicli, insculptaque itidem numerali supra urnam litterâ ℵ *Aleph*, de quibus mox. Sed illud tamen in eo singulare, quòd integer cum sit, neque ullam externam iniuriam passus, mirum quantùm distet à iusto siclorum Israëlis pondere, quod ex Iosepho, Philone, Hieronymo, Hesychio et aliis, quatuor omnino drachmarum Atticarum fuisse pridem dicebamus.

Etenim ad bilancem exactus pensitat duas octavas vulgaris Hispanicae unciae partes, cum duobus obolis, et singulari grano, eoque vix integro (*dos ochavas, dos tomines y un grano féble*), ut cum zygostatis et aurificibus nostris loquamur; vel, si pharmacopolarum usus magis arridet, *drachmas duas, scriptulum unum, granumque itidem unum, nutante huc illuc bilancis examine*: quae pondera si inter se conferas siclumque comminuas, invenies utrobique grana non ampliùs 189. quorum demum 576. vulgarem Hispanicam unciam conficiunt; cum siclus Escurialensis, de quo mox dicturi sumus, tres drachmas, sive octavas communis unciae partes, cum alterius dimidia, id est grana 252. pensitet, ut nos periculo facto didicimus.

Huius tantae diversitatis causam cum inquirerem, diu multùmque, frustra tamen, divinando me torsi. Atque identidem succurrebat, subessetne numo nostro quidquam fu-

2011 Ministerio de Cultura

fuci, circumcisusve, dilutus aut oblimatus fuisset à veteratore aliquo. Verùm cum ipsa numi facies, et mira, quam vel ectypum prae se fert, integritas omnem ab eo suspicionis umbram amoverent, haerebam dubius iam iamque animum desponsurus: cum ex assidua ponderum utriusque sicli inter se collatione in novum paradoxum incidi, quod illico ab iis me ambagibus liberavit, et inobservatum hactenus Hebraicae monetae genus insperanti obtulit, cuius unius cognitio Veterum ponderibus in universum, praecipue vero Atticorum drachmae certis limitibus definiendae, non parum, ut spero, lucis allatura est. De hoc ego paradoxo mox edisseram, nimirum ubi ab Escurialensi siclo me expediero. Sed illud interea de argenti, qua noster sive Regius constat, qualitate adiiciam, eius nempe generis esse quam zygostatae nostri *decem denariorum* vocant (vulgò *plata de ley de diez dineros*), cui nimirum sexta pars aeris admixta est, cuiusque proinde uncia Hispanica octodecim vulgaribus numis, *Reales de vellon* vernaculè appellatis, permutatur (7).

Secundus Tabulae nostrae siclus servatur in Bibliotheca Regii Escurialensis Coenobii, idemque ille est quem, Tridenti ab Archiepiscopo Lestrigoniae Benedicto Ariae Montano oblatum, detulit ad nos Vir incomparabilis, atque instituta peculiari tractatione *De siclo* his verbis descripsit (8):

In

(7) Exhibuit nobis eum siclum perhumaniter Ill. Dominus D. Ioannes de Santander Regiae Bibliothecae Matritensis Praefectus.

(8) In *Ephron*, sive *De siclo*. Appar. Sacr. Biblior. Tract. *Tubalcain*, sive: *De mensuris sacris*; atque item in *Antiquitatibus Iudaicis* Lugd. Batav. ap. Raphelengium

2011 Ministerio de Cultura

In altero latere forma erat vasculi illius , quod Manna plenum in sacra arca ad saeculorum monumentum Dei iussu et Moysis procuratione fuerat repositum ; et in altero ramus ille admirabilis , quem in fasciculum virgularum plurimarum Aaronis nomine illatum (cum illius Sacerdotali dignitati ab aemulis quibusdam obtrectaretur) , postera die populus omnis florentem , amygdalaque explicantem vidit : inscriptiones etiam Samaritanis characteribus , quae olim totius Israëlis litterae fuerant ante discessionem decem tribuum à duabus, linguâ plane Hebraica : quarum exemplum erat , ex altera parte SEKEL ISRAEL ; *ex altera vero* IERVSALAIM KEDESSA ; et prolato sicli ectypo easdem inscriptiones tum Samaritícis, tum etiam Assyriacis litteris exhibuit , inexplicatâ tantum numerali supra urnam א *Aleph* , quam alibi diximus primum *libertatis Ierusalem* annum significare. Ea verò sicli descriptio cum et illi optime quadret de quo paulo antè locuti sumus , quique primam in Tabula sedem obtinet, consulto utrumque eadem explicatione complectimur. Atque haec de utriusque sicli inscriptionibus et symbolis.

De posterioris autem pretio et pondere haec subdit laudatus Auctor : *Id autem numisma plurimis et doctissimis et antiquarum rerum studiosissimis viris ostendimus ; idque adhuc ceu pretiosissimum et Amici munus , et certissimum veritatis antiquae testem , magni thesauri loco servamus* (9): *cu-*

gium pag. 126. Quae non eius sicli quem Montanus possedit , sed illius quem Accone se vidisse narrat R. Moses Nachmanides, descriptio est ; Montanus tamen si-*clum suum iis omnino figuris et characteribus cusum* fuisse ait , atque ille Nachmanidis.

(9) Hanc ob causam , ut ego existimo , Eisenschmidius (*De pond. et mens.*

2011 Ministerio de Cultura

cuius unius cognitio omnem nobis in ponderum et monetarum ratione consolidanda veri disquirendi laborem ademit. Namque ad stateram examinatum quatuor integras argenti drachmas, *hoc est, dimidiam unciam reddit, non vulgaris unciae dimidium, sed eius cuius pharmacopoeis in medica materia expendenda usus est* (10), *quam semunciam Atticam Anti-*

sect. 1. cap. 4.) hunc siclum *miris à Montano elogiis mactum fuisse* asserit. Condonandum id tamen Viro optimo et Hebraicarum antiquitatum amatori eximio, cui praeter spem et cogitationem omnem munus in manus decidit optatissimum, nec ipsi umquam aliàs, immo eo tempore paucissimis mortalium visum. Nam praeter Salomonis Iarchii, Nachmanidis, Maimonidis, et si quae sunt aliae Iudaeorum descriptiones, seu potius narrationes de siclis, et inconditum alterius eorum ectypum, quod Guilielmus Postellus evulgaverat: vix quidquam de siclis Israëlis Eruditi inaudierant, archetypum certè nemo ad eam diem in lucem protulerat.

Meminit Escurialensis sicli Hieronymus Gradonicus Canonicus Regularis Brixiensis (*Consultat. ad Blasium Vgolinum Thesaur. Antiq. Sacrar. Tom. XXVIII. col.* 806.) qui eum numum *à Benedicto Aria Montano Regiae Hispaniarum Bibliothecae* (nimirum Escurialensi) *dono datum fuisse* ait. Atque hunc eumdem siclum esse existimo, de quo Carolus Patinus Wagenseilio narrasse fertur, *non sibi constare, num incendium quo, anno* MDCLXXI. *stupenda Escurialensis Coenobii fabrica conflagravit, evaserit*, ut refert Herm. Conringius (*Praef. ad Paradox. de numis Hebraeor.*) ipseque Wagenseilius in סוטה *Sotháh*, loco non ita pridem citato Cap. I. not. 6.

(10) Hodierna pharmacopoeorum in Hispania pondera eadem sunt ac vulgaria, quibus non thus modò atque odores, sed frictum quoque cicer et nuces appenduntur ; idque iam binis ferme saeculis obtinet, vix ut in illorum officinis memoria exstet peculiarium ponderum queïs in medica materia expendenda Veteres usi fuere. Itaque ut iustum Escurialensis sicli pondus definiamus, oportet nôsse, quae pondera pharmacopoeis Hispanis in usu essent, cum Montanus tractatum *De siclo* edidit, nimirum anno MDLXXI. Ea vero pondera ad annum usque MDXC. (quo Lex unica Lib. III. Tit. XXVII. Novae Recopilationis *De generali ponderum exaequatione* lata dicitur) non alia fuisse constat, quàm quibus Salernitana Medicorum Schola in appendendis pharmacis utebatur. Salernitani autem Doctores unciam in novem drachmas dividebant, quarum singulae pendebant grana 60. ac proinde eorum uncia constabat granis 540. atque adeò 36. granis levior fuit communi seu vulgari Hispanorum uncia, cui octonae attribuuntur drachmae, atque harum singulis grana 72. quae octies duplicata conficiunt grana 576. Haec omnia me docuit Regius Archiater Franciscus Vallesius (Tract. *De las aguas destiladas, pesos y medidas de los Boticarios*) cuius locum integrum adducere placuit, quia liber etiam apud nos insigni-

2011 Ministerio de Cultura

tiqui dixere; atque ita verissimum esse comprobatur quod Iosephus in libro Antiquitatum docet: siclum Atticè tetradrachmi pondus fuisse. Quae si conferantur cùm his quae paulo antè de sicli huius pondere dicebamus, nimirum tres drachmas sive octavas Hispanicae communis unciae partes pensitare cum alterius drachmae dimidia, multùm inter se distare videntur. Sed nulla in re dissensio est, ut mox clarius apparebit.

His praemissis ad novum illud de priore sive Regio Ma-

gniter rarus est. Is autem fol. 37. Edit. Matrit. MDCXII. *Se mandó* (inquit) *à los Boticarios que se reduzcan à los pesos antiguos, y dexen los que introduxeron los Salernitanos; y que para esto usen del marco Castellano, por responder este à los pesos* (antiguos) *dichos, y tener la misma particion. La diferencia* (pergit) *de los pesos que se les mandan tener, y los que hasta aora han tenido, es: que en los que aora queremos reduzir, es la onça 576. granos, que son 36. mas, que la que han usado, que es de 540. y esta se parte en 8. dragmas, que son de 72. granos: y la onça Salernitana se parte en 9. dragmas, y la dragma es de 60. granos: y la una y la otra dragma se parte en 3. escrupulos, y el escrupulo en nuestras pesas es de 24. granos, y los Salernitanos le hicieron de 20.::: Assi que lo que se ordena es, que el obolo tenga 12. granos, el escrupulo, ò escriptulo, ò grammatario, tenga 24. y la dragma 72. y la onça 8. dragmas, y 24. escrupulos, y 576. granos, y el grano sea de metal, una parte de 576. de onça Castellana*, cet.

Quae cum ita sint, Montanus, quo loco Escurialensem siclum *ad stateram examinatum quatuor integras argenti drachmas, seu dimidiam unciam, non vulgaris quidem unciae, sed eius cuius pharmacopoeis in medica materia expendenda usus est*, reddidisse ait: de Salernitanorum drachmis atque uncia cogitasse omnino dicendus est. Aut ergo siclum suum quatuor tantùm drachmas Salernitanas sive grana 240. pensitasse voluit, aut quatuor et dimidiam (quae Salernitanorum semuncia fuit), ac proinde grana 270. quorum neutrum tribus illis communibus Hispaniae drachmis seu octavis unciae partibus, cum alterius dimidia, sive granis 252. quae siclum hodie pensitare novimus, congruit. Propior igitur vero Montanus fuit cum dixit sicli pondus esse *quantum ferè quatuor Hispanorum Regalium numorum*, quod et Ludovicus Savotus praenotaverat (*De num. antiq. part. III. cap.* 23.). Etenim cum, eodem attestante, *singuli Regales Hispani 64. grana pendant, oportuit Montani siclum quatuor saltem granis leviorem fuisse quatuor Regalibus Hispanis*; atque adeo singulis quibusque sicli drachmis grana 63. tribui, ex quibus quater ductis 252. grana confierent. Quo autem iure Montanus pharmacopoeorum seu Salernitanorum semunciam vocaverit *Atticam*, planè non video; nisi quòd illa propiùs ad Atticorum τετραδράχμου, quàm ad vulgaris Hispanicae semunciae pondus accedat. Et fortassis Vir Cl. populariter atque ex usu vulgi locutus fuit.

2011 Ministerio de Cultura

Matritensi siclo paradoxum deveniam, quod ex ponderis eiusdem collatione cum pondere Escurialensis sicli enatum mihi fuisse non ita pridem dixi. Est autem huiusmodi: Regium siclum quamvis eamdem epigraphen gerat atque Escurialensis, aliique Israëlis sicli integri sive tetradrachmi, non integrum neque tetradrachmum esse, sed tridrachmum aut sesquihemisiclum; ac proinde sicli tantùm dodrantem, id est, novem è duodecim solidi sicli partibus continere; atque ex eiusdem sicli pondere cum Escurialensis sicli pondere collato, certò deprehendi verum iustumque drachmae Atticae pondus granorum omnino 63. fuisse.

Postremam hanc paradoxi nostri partem non gravatè ab Eruditis excipiendam spero, atque ab iis maximè qui eamdem de drachmae Atticae pondere sententiam apud Ludovicum Savotum legerint, quam et utriusque sicli nostri pondus mirificè confirmat. De priore autem, in qua siclus tridrachmus non sacris modò sed et profanis Scriptoribus omnino indictus, atque à nemine, quem sciam, tum Veterum tum etiam Recentiorum qui de Hebraeorum numis aut ponderibus scripserunt hactenus observatus, primùm in scenam prodit, Sapientum ego virorum iudicium exspecto, tutus intra spem veniae. Sed ne interea gratis haec de siclo nostro sensisse atque affirmasse videar, rationum momenta, quae me in utramque paradoxi partem adduxerunt, extra ordinem adiiciam, in illorum praecipuè gratiam qui has lautitias consectantur (11).

Nunc,

(11) Romanorum unciam florente Republica in septem aequas partes divisam fuisse, quae totidem argenteis denariis nummis continebantur, neminem eorum qui rem

2011 Ministerio de Cultura

Nunc, ut ad Escurialensem siclum redeam, illud quis in Montano non sine aliquo veri colore reprehendat, quòd cum

rem numariam Veterum vel mediocriter tractaverunt ignorare arbitror. Porro denarium antiquum Romanum 72. grana pependisse, cùm vetus eius divisio in sex obolos duodecim granis constantes, seu, quod eodem recidit, in tria 24. granorum scriptula, tum praecipuè magistra omnium experientia me docuit. Etenim cum plurimos Consulares numos argenteos integros indelibatosque ad bilancem exegissem, periculo facto didici omnes eumdem granorum numerum pertingere, nonnullos ferme aequare, unum item et alterum granulo etiam aut sesquigranulo supergredi : quem defectum aut excessum legitimo numorum ponderi minimè imputandum, ac prorsus negligendum esse, tradunt qui de veterum numorum ponderibus scripsêre, cum eum vel publicae leges ex aequo et bono Monetalibus Triumviris indulserint; eo quòd vix fieri posset ut è singulis argenti libris octoginta quatuor denarii omnino inter se aequales percuterentur: quod nostri *deficientis* aut *excedentis ponderis remedium* vocavere. Haec sub Consulibus et usque ad Iulium et Augustum.

Ab Augusti excessu denarii Romani pondus paulatim imminui coeptum, non tamen ad certum definitumque lege aliqua granorum numerum, sed pro Triumvirorum arbitrio aut lubidine; quod et Tiberii, Caii, et Claudii Impp. temporibus obtinuit, donec sub Nerone Romanae unciae octavus insuper denarius attributus fuit, librae autem duodecim denarii pro totidem quibus constabat unciis; idque impermutato unciae aut librae pondere: quod Graecorum praecipuè Medicorum operâ, qui Romae artem suam profitebantur et medicamentorum δόσεις ad Atticorum pondera exactas propinabant, effectum nonnulli existimant, aut quòd octonarius numerus commodè in partes integras dividi posset; sed veriùs alii causam in Principis avaritiam transtulêre.

Itaque à Neronis temporibus uncia Romana quae eatenus septem denariorum fuerat, ut Corn. Celsus (*Lib. v. cap.* 17.) Scrib. Largus (*Praef. ad Callist.*) et alii testantur, octo denarios complexa est; libra verò quae olim 84. denarios continebat, 96. denariorum facta: exaequato nimirum denarii Romani, et drachmae Atticae pondere, ut Plinius (*Lib. xxi. cap. ult.*) Galenus (*De compos. med. lib. viii. cap.* 3.) et Veteres passim Medici atque Historici tradidere.

Iam verò, si impermutato unciae ac librae Romanae pondere octava denariorum seu numorum pars utrique accrevit, eamdem octavam ponderis partem singulis denariis decrevisse necesse est. Etenim si librae seu σταθμήσεως lancem alteram extuleris, tantumdem alteram deprimes.

His praemissis, si quatuor illas argenti drachmas Atticas, quas Montanus in siclo suo reperîsse asserit, conferimus cum tribus octavis Hispanicae communis unciae partibus, et alterius octavae partis dimidia, quas hodie siclum pensitare novimus, seu cum tribus denariis et dimidio ante-Neronianis (quorum singuli, itidem atque octava Hispanicae communis unciae pars, pendebant grana 72.) inveniemus drachmam Atticam octava parte minorem fuisse, tum octavâ communis Hispa-

2011 Ministerio de Cultura

cum in eo siclo littera י *Iod* omnino non exstet inter τὰ ל *Lámed* et מ *Mem*, quae omnium postremae sunt in vo-

ce

spanicae unciae parte, tum etiam denario vetere, sive ante-Neroniano; cum eadem sit ratio quatuor drachmarum Atticarum ad tres octavas communis Hispanicae unciae partes et alterius dimidiam, quae octo drachmarum ad septem octavas, sive denarios ante-Neronianos.

Si ergo ex octava communis Hispanicae unciae parte, sive ex denarii ante-Neroniani pondere, id est, è granis 72. octavam partem sive grana 9. detrahimus, supererunt grana 63. quod, meo quidem iudicio, et Atticae drachmae, et denarii post-Neroniani pondus fuit.

Videamus nunc quàm haec aptè et secum et cum utriusque sicli nostri pondere cohaereant. Montanus siclum suum *quatuor integras argenti drachmas*, Atticas scilicet, pensitare dixit; nos tres octavas Hispanicae communis unciae partes et alterius octavae dimidiam, sive grana ter 72. et grana praeterea 36. in eo deprehendimus, quae in unum coniuncta efficiunt numerum granorum 252. Atqui eumdem numerum complent quatuor Atticae drachmae, si eas ad 63. granorum pondus redigimus.

Praeterea Regium Matritensem siclum, qui ansam huic disquisitioni praebuit, *duas octavas Hispanicae communis unciae partes scriptulum unum granumque itidem unum, idque vix integrum*, seu *grana* 189. pensitare diximus; ea verò tres omnino drachmas Atticas 63. granorum solidas sive integras conficere notum est. Quae ad posteriorem paradoxi nostri partem *de drachmae Atticae pondere*.

Prior autem illa *de siclo tridrachmo* seu *sesquihemisiclo*, videtur itidem ex utriusque sicli nostri pondere inter se collato descendere. Nam si Escurialensem, sive Montani siclum, quòd 63. grana quater ducta contineat, integrum ac tetradrachmum, seu quatuor drachmarum siclum appellamus; et Regium sive Matritensem, cui idem 63. granorum numerus ter multiplicatus inest, tridrachmum aut sesquihemisiclum, seu solidi tetradrachmi sicli dodrantem iure dixerimus.

Scio nullam in Sacris Litteris tridrachmi sicli mentionem exstare, cum semisicli seu didrachmi, immo etiam trientis et quadrantis sicli mentio habeatur *Exodi xxx.* 13. 15. *Nehem. x.* 32. *Reg. I. ix.* 8. et fortassis alibi. Sed neque apud profanos Scriptores, qui de Hebraeorum numis, aut de ponderibus et mensuris Veterum generatim egêre, tridrachmus numus mihi hactenus occurrit, nisi apud Pollucem, qui (*Lib. ix. cap. 6. segm.* 60.) eum numum Cyrenensibus in usu fuisse ait; verum hoc non tanti esse debet, ubi super facto dubium incidit.

Magis me movet, quòd tridrachmus cum siclus noster sit, solidi sive integri sicli titulum gerat, non secus atque Escurialensis, aliique passim vulgares sicli tetradrachmi; quòdque *sesquihemisicli*, sive *dodrantis* nota, nimirum תשיעי *texihí* adpicta ipsi non sit: quemadmodum semisiclis τὸ חצי *chatsí*, seu *dimidius*, et quadranti aereo, de quo inferiùs, τὸ רביעי *rebihí*, sive *quadrans* adscriptum videmus: quod casune an consilio in siclo de quo agimus omissum sit, prorsus ignorare me fateor. Neque tamen paradoxi nostri fidei minus propterea standum censeo; rei enim ve-

2011 Ministerio de Cultura

ce ירושלם, legat nihilominus *Ierusaláim*, perinde ac si τὸ י *Iod* expressum fuisset, quemadmodum in siclis ad secundum

veritas et experientia ratiocinationibus, quantumvis speciosis, cedere numquam debent. Et profecto unum sicli utriusque pondus, eorum alterum tetradrachmum sive integrum, alterum tridrachmum seu sicli dodrantem esse, à se ipso satis ostendit absque ulterioris probationis adminiculo. Praeterea, quae de vario denarii Romani pondere, eiusque cum drachma Attica exaequatione ad 63. granorum numerum superiùs à nobis tradita sunt, mirè et secum et cum reliquorum ponderum antiquorum ratione cohaerent; nec fieri nisi consultissimè potuisse existimo, ut diversa, longèque inter se dissita, sicli tridrachmi et tetradrachmi pondera in eamdem de drachmae Atticae granorum numero sententiam usqueadeo amicè coniurarent; utque tam tridrachmus quàm tetradrachmus siclus drachmas 63. granorum solidas atque integras penderent, absque fractione aliqua, ac ne granuli quidem excessu aut intertrimento: quod ubi primùm in siclo tridrachmo deprehendi, non parum animo commotus, atque in admirationem raptus, nec satis oculis meis fidens, eumdem Amicis ad stateram examinandum permisi, qui eadem omnino de iusto ipsius pondere retulerunt. Atque horum occasione succurrebat quod pridem apud Villalpandum (*Appar. Vrbis Part. II. Tom. III. pag.* 397.) legeram, nimirum appensos *ab eo siclos plurimos omnesque inventos semunciae Romanae antiquae* (seu tribus denariis ante-Neronianis cum alterius dimidio) *ex aequo respondere; ita ut ne minimum quidem hordei aut frumenti granulum huic vel illi lanci addi potuerit, quin in eam examen propenderet*; atque apud Lud. Savotum (*De num. antiq. Part. III. cap.* 9.) et Eisenschmidium (*De pond. et mens. sect.* 1. *cap.* 1.) solatum sive coronatum Gallicum (quod aureae monetae genus est) sexaginta tria omnino grana pensitare: quae non de nihilo, aut sine consilio facta fuisse existimanda sunt.

Illud autem quod ex Hieronymo Prado Villalpandus, *loco citato*, atque ex hoc Eisenschmidius (*sect.* 1. *cap.* 4.) subdit, *Montani siclum aliquot granulis à iusto semunciae Hispanicae pondere defecisse*, si verum esse volumus, de semuncia communi seu vulgari Hispanica, non de Romana, seu de tetradrachmo Attico 252. granis constante intelligendum.

Quae de Regio tridrachmo siclo, deque drachmae Atticae pondere nobis succurrebant. Ea verò si Viris Doctis probabuntur, erit profecto unde Romanorum pondera certis limitibus definiantur, et unicuique iustus attribuatur granorum numerus: nimirum librae grana 6048. unciae grana 504. denario Consulari sive ante-Neroniano grana 72. post-Neroniano, cum drachma Attica exaequato, grana 63. scriptulo ante-Neroniano grana 24. post-Neroniano 21. obolo ante-Neroniano grana 12. post-Neroniano grana decem cum alterius dimidio: quae Lud. Savoti sententia fuit. Obolum autem Hebraicum, sive גרה *Geráh*, quem vigesimam sicli partem fuisse Sacrae Litterae non uno in loco tradunt, grana omnino duodecim cum tribus quintis alterius grani partibus pependisse, ex eadem regula perspicuum fiet. Plura mittimus ne iusto longiores simus:

2011 Ministerio de Cultura

dum *principatûs Simonis*, seu *redemtionis Israëlis* annum pertinentibus, à Villalpando, Morino, Kirchero (12) et aliis adductis, moxque à nobis adducendis exprimitur; atque item, quòd neglexerit aut prorsus ignoraverit celebrem illam Rabbinorum Simonis et Samuelis Ben Nehemani observationem de orthographia vocis *Ierusalem*, cuius mentio habetur in Gemara Ierosolymitana (13), et apud Ioannem Morinum (14), Hottingerum (15), Conringium (16), Sixtinum Amamam (17) et alios: ex qua Morinus sibi elicuisse visus fuit, eos nùmos qui ירושלימה *Ieruscálimah* prae se ferrent (scriptum videlicet cum ה *He* finali, cumque י *Iod* inter litteras ל *Lámed* et מ *Mem*) Ierosolymis; qui verò ירושלם *Ieruscalem* absque י *Iod*, et ה *He* finali, alibi extra Vrbem sanctam percussos fuisse (18); Hottingerus autem et Amama hoc ampliùs, qui priorem eius vocis orthounum tandem Eruditos, atque eos maximè qui Virorum Principum Museis praesunt, rogantes, inquirant, num in iis siclus tridrachmus aliquis exstet, in nostrae doctrinae confirmationem.

(12) *Villalpandus* Tom. III. in Tab. numor. Hebraicor. n. 2. et 3. *Ioann. Morinus* Exerc. II. in Pentateuch. Samar. n. 1. et 3. pag. 205. *Kircherus* OEdip. AEgypt. Tom. II. pag. 91. et 100.

(13) Tract. מגילה *Megilláh*, seu *De volumine Esteris*, constit. XI. cap. I. ap. Vgolin. Tom. XVIII. *Thes. Ant. Sacr.* à col. 839. Observatio autem Rabbinorum exstat col. 888.

(14) Exercit. II. in Pentateuch. Samar. num. VII. pag. 211.

(15) Dissert. II. de numis Oriental. num. 11. ap. Vgolin. Tom. XXVIII. col. 1354. fin.

(16) Paradox. cap. IX. apud Vgolinum Tom. XXVIII. col. 570. fin.

(17) In Antibarb. pag. 475. ap. Conringium Paradox. cap. IX. qui locum Sixtini Amamae describit integrum.

(18) Morini verba (*Exercit. II. in Pentateuch. Samar. cap. x. n. 7.*) haec sunt: *Inscriptiones* (siclorum) *bifariam variant. Aliae scribunt* Ierusalem, *aliae cum* Iod *post* Lámed 𐤉𐤓𐤅𐤔𐤋𐤉𐤌 Ierusalaim, *et subsequitur* sancta *cum duplici* He, 𐤄𐤒𐤃𐤅𐤔𐤄 hakedósa; *ita ut posterius* (He) *ex aequo ad praecedentem, et ad sequentem dictionem referri possit. Existimo, prius* He *pertinere ad vocem* Ierusalem; *sicque legendum* ירושלימה קדושה, Ierusaláimah kedósah; *deinde siclos*

2011 Ministerio de Cultura

thographiam, seu qui τὸ *Ierusaláim* inscriptum gerunt, recentiores esse prae iis qui τὸ *Ierusalém*; ac tum demum percussos cum Vrbs in superiorem et inferiorem divisa fuit (19).

Verùm noverat Vir summus et in his studiis versatissimus urbem sanctam à veteribus Hebraeis *Ierusaláim* petuò appellatam fuisse, quamquam ea vox utroque modo, id est cum *Iod* et sine *Iod*, ab iisdem promiscuè scriberetur; egeratque in peculiari tractatu *de antiquae Ierusalém*

clos eiusmodi Hierosolymis signatos fuisse. Coniecturae meae (pergit) *rationem duco ex duorum Rabbinorum pronuntiato in Talmude Hierosolymitano, Tractatu* Megillá *fol.* 71. *col.* 4. ר׳ סימון ור׳ שמואל בר נהמן תריהון אמרין אנשי ירושלם היו כותבין ירושלם ירושלימה ולא היו מקפידין· ורכותה צפון צפונה· תימן חימנה : *id est*: R. Simon et R. Samuel Filius Nachman, ambo dixerunt: Viri Ierusalem scribunt IERVSALEM, IERVSALIMAH, et de hac re non curant. Et consimilia TSAPHON, TSAPHONA: THEMAN, THEMANAH. *Pronuntiatio illa, ut patet peculiaris fuit dialecto Hierosolymitanae. Alii sicli à nomine* Ierusalem *demunt* He, *et posterius* י Iod, *atque etiam* ו Vau *de nomine* קדושה kedosah; *sicque simpliciter efferunt* ירושלם קדשה Ierusalem kedosah (levi scilicet scripturâ) *quod indicium est, alibi quam Hierosolymis cusos fuisse*, cet. Et num. IX. *Itaque Hierosolymitani ab aliis Israëlitis in duarum dictionum scriptione tribus litteris differebant. Idem* (pergit) *scriptionis discrimen propter dialectorum varietatem omnibus Nationibus contingit* ::: *antequam enim Grammaticorum praescriptiones invaluerint, unusquisque pro dialecto et ingenio suo et sua scribit, et aliena describit. Id Iudaeis accidit, ut praeter rei naturam, et siclorum experientiam, testantur antiquissimi illi Talmudici Hierosolymitani.* Quo loco notandum, verba illa: ולא היו מקפידין, *veló haiú makphidín*, quae à Morino Latinè redduntur: *et de hac re non curant*, longè aliter à Blasio Vgolino (*Tom. XVIII. Thesaur. col.* 888.) reddi, nimirum: *at non errabant.* Videndus de eorumdem Latina itidem interpretatione Hottingerus (*Diss.* 11. *de numis Oriental. n.* 11. ap. *Vgolin. Thes. Tom. XXVIII. col.* 1350. *fin.*) qui Blancutium et Morinum acriter reprehendit, et ad Ioannem Buxtorfium F. provocat in *Dissert. de litterar. Hebraicar. genuin. antiq. sect.* 51. *et* 56. Item Soucietus (*Diss. sur les médailles Hebraïq. pag.* 98. *Edit. Paris.* 1715.): qui omnes Talmudicorum et Morini super iis coniecturas pro nihilo habendas censent.

(19) Hottingerus (*Diss.* 11. *de num. Orient. n.* 11.) *De siclis quidem et semisiclis, qui habent* ירושלם קדשה (Ierusalém kedósah) vel ירושלים הקדושה (Ierusaláim hakedósah) *res est in vado; nisi quòd posterior haec sit recentior, tum demum usurpata cum in superiorem et inferiorem urbs divideretur.* Sixtinus autem Amama in Antibarb. pag. 475. apud Conringium

2011 Ministerio de Cultura

lém situ (20), quam in monte Sion, tribusque, qui in eo consurgunt seseque mutuò prospiciunt, collibus et interiacentibus convallibus locatam fuisse docet, atque adeò ab ipsis eius incunabulis in superiorem et inferiorem urbem divisam fuisse; eamque, ut ego coniicio, ob causam non magnopere curavit Talmudicorum super ea voce coniecturas, nec magis curaturus esset, si viveret, quae iisdem à Morino, Hottingero, et Amama superstructae sunt observationes; quippe quibus vix aliqua veritatis species inest (21).

Il-

(*Paradox. cap.* IX.) *Dicam* (inquit) *quod sentio*: *vetustius nomen esse puto* Ierusalém *sine* Iod. *Firmat hanc meam coniecturam antiquum urbis nomen, unde hoc compositum est*, Salém, *et constans scriptura sine* Iod. *Quam lectionem etiam Chaldaeus, et* LXX. *et Scriptores Novi Testamenti, et Hieronymus constanter retinuerunt. Posterioribus autem temporibus dici coepisse etiam* Ierusaláim: *fortè quòd urbs quasi gemina esset, superior et inferior. Vnde hanc plenam scripturam cum* Iod *non invenies nisi in Libris circa, vel sub captivitate Babylonica scriptis*: *exempli gratiâ* Ierem. XVIII. v. 11. I. Chronicor. III. v. 5. II. Chronicor. XXV. v. 1. II. Chronicor. XXVI. v. 3. Ester II. v. 6. Haec Amama. Quis autem, quaeso, divinaverit antiquum urbis nomen *Salém* ita prolatum fuisse, et non potiùs *Saláim*, cum Hebraicè ita scribatur שלם? Chaldaeus autem, LXX. et Scriptores Novi Testamenti ac Hieronymus cur lectionem *Salém* retinuerint, in promtu est ratio, quam nos paulo inferiùs reddituri sumus.

(20) Inscribitur is liber *Nehemias*, sive *De antiquae Ierusalem situ*, in Antiquit. Iudaicis à Raphelengio editis 1593. à pag. 65. et in Apparatu Biblior. Reg. Antuerpiensium.

(21) Frequentissimus ac ferè perpetuus in Bibliis Hebraicis usus scribendi vocem *Ierusalem*, non modò in vetustioribus Iosuae, Iudicum, Regum, et Psalmorum libris, sed in iis etiam qui circa tempora captivitatis Babylonicae aut sub ea scripti fuere, ירושלם *Iod* inter postremas eius vocis litteras ל *Lámed* et מ *Mem* expressam non exhibet. Itaque in Bibliis quae punctis carent sic ea vox scribi solet, ירושלם; in iis verò quae vocalibus insigniuntur sic, יְרוּשָׁלַ֫ם, id est absque י *Iod* expressa, sed adscripto in eius vicem puncto *Chirich*, ut sonet לַ֫ם *láim*. Sunt tamen loca in quibus eadem vox in plerisque Bibliis gravi seu plena scripturâ occurrit, seu cum expressa י *Iod*, hoc scilicet modo, ירושלים *Ierusaláim*: nimirum *I. Paralip. III. v. 5.* cum in praecedenti versu sine י *Iod* scribatur: item *II. Paralip. XXV. v. 1.* quo loco nunc cum י *Iod*, nunc sine ea legitur, nam bis eadem vox occurrit; ac demum *Ester. II. v. 6.* ut apud Pagninum. *Polyglotta Complutensia* cum eam vocem ferè perpetuò abs-

2011 Ministerio de Cultura

Illud profecto ex diversa eius vocis orthographia probabiliùs ac certiùs elicere Viri docti potuissent, quod in septimo praenotabilium ediximus, nimirum siclos in universum semisiclosque omnes ad primum *libertatis Ierusalem*, seu *principatûs Simonis* annum pertinentes, seu qui in adversa תאו א *Aleph* urnae insidentem exhibent, levem illam atque expeditam scripturam, quae decem non ampliùs litteris constat, in aversa prae se ferre, nimirum ירושלם קדשה *Ierusalém kedósah*; qui verò תא ש *Scin Beth* eadem sede conspicuas gerunt, et propterea ad secundum *principatûs Simonis* annum referuntur, omnes omnino plenam, seu tribus litteris redundantem, nimirum ירושלים הקדושה *Ierusaláim ha-*

absque *Iod* scribant, atque eum morem retineant *I. Paralip. III. v.* 4. mox tamen versu 5. eamdem cum *Iod* expressa repetunt; non tamen *II. Paralip. XXV. v.* 1. quo loco bis sine *Iod* exstat. *Augustinus Iustinianus* Episcopus Nebiensis in Psalterio Quatrilingui Genuae 1516. edito, mirè variat in eius vocis punctorum vocalium notatione; numquam tamen תאו *Iod* postremis eiusdem litteris inserit. *Regia Polyglotta Antuerpiensia* I. Paralip. III. versib. 4. et 5. item II. Paralip. XXV. v. 1. nunc cum *Iod*, nunc sine *Iod* eam vocem scribunt; Esteris tamen II. v. 6. sine *Iod* legitur. *Parisiensia*, I. Paralip. III. versib. 4. et 5. sine *Iod*, item Esteris II. v. 6. at II. Paralip. XXV. v. 1. nunc cum *Iod*, nunc absque ea. *Londinensia*, I. Paralip. III. versib. 4. et 5. sine *Iod*, et cum *Iod*; item II. Paralip. XXV. v. 1. Esteris tamen II. v. 6. cum ea littera expressa. *Basileensis Buxtorfiana* 1520. I. Paralip. III. versib. 4. et 5. sine *Iod*: II. Paralip. XXV. v. 1. itidem sine *Iod*, et cum ea; Esteris tamen II. v. 6. cum *Iod*. *Parisiensis Rob. Stephani* 1543. perpetuò sine *Iod*. *Veneta Bombergii* 1568. I. Paralip. III. versib. 4. et 5. sine *Iod*, et cum ea: II. Paralip. XXV. v. 1. sine *Iod*; Esteris II. v. 6. cum *Iod*. Atque eodem ferè modo in Bibliis Hebraicis *Plantinianis*, *Athianis*, *Leusdenianis* eam vocem passim absque *Iod* scriptam videmus; ut et in *Everardi van der Hooght* Edit. Amstelod. 1705. quam in eximio opere *Veteris Testamenti Hebraici* recusam dedit Cl. *Beniaminus Kennicott*; quamquam inter *Variantes* ab Eo allatas Codex n. 96. mirè discrepet et perpetuò ירושלים *Ierusaláim* cum expressa *Iod* scribat. Neque tamen ideo minùs, ubi ea littera expressa non est, legendum arbitror *Ierusaláim*, ac si expressa fuisset: quemadmodum in Hispanica Ferrariensi versione 1553. perpetuò *Ierusaláim* legitur, etiam cum *Iod* in Hebraico textu non exstat. Constat autem eam versionem non solum litterae atque He-

2011 Ministerio de Cultura

hakedósah, quae tredecim proinde litteras continet (22): quod nos non in iis modò siclis semisiclisve, quos archetypos vidimus, sed et in eorum ectypis apud Postellum, Montanum, Masium, Ant. Augustinum, Villalpandum, Waserum, Ioann. Morinum, Kircherum, Waltonum, Hottingerum, Relandum, Beyerum, Kochium, Nasarrium, Guarinum, Com. Pembrochiae, Calmetum, Mahudellum, Froëlichium, Iac. Musellum observavimus, et perpetuum esse intelleximus; indeque non levem aliam pro adstruenda

Hebraicae phraseos, sed et nativi vocabulorum soni in nominibus praesertim propriis retinentissimam esse; nam et pro Samaria *Somrón*: pro Roboám *Rehobhám* et *Rehabhám*: pro Mardochaeo *Mordohây*: pro Assuero *Ahasuerós*: pro Nabuchodonosore *Nebuchadnezár*: pro Tyro *Zór* perpetuò in ea legitur. Ex quibus verosimillimum existimo sanctam urbem priscis Hebraeis nullo non tempore appellatam fuisse *Ierusaláim*, terminatione scilicet duali, quasi gemina esset urbs; iisque vocem *Ierusalém* incognitam prorsus et inauditam, donec à Septuaginta primùm Interpretibus Graeca Bibliorum versio adornata fuit, quos diphthongum AI per simplicem H reddidisse credibile est; atque hinc descendere Graecam sanctae urbis appellationem Ἱερουσαλὴμ, et Latinam *Ierusalém*. Nec morandos, qui τὴν *Iod* insertam putant binis postremis eiusdem vocis litteris, ut denotet τὴν ל *Lámed* puncto *Tseré* subscribendam esse, atque ita legendum, *Ierusalém*. Nondum enim litterae, quas *matres lectionis* Grammatici Hebraei appellant, in usu erant, quo tempore vox *Ierusaláim* eam mutationem passa fuit. Quae adversus Ioannis Morini opinionem dicta sunto. Nam Hottingeri et Sixtini Amamae coniectio de recentiore τῦ *Ierusaláim* scriptura prae ut est τῦ *Ierusalém*, uno siclorum et semisiclorum primi et secundi anni obiectu diluitur, in quibus eam vocem utroque modo scriptam intra biennii spatium legas. Postquam haec scripseram incidi in *Gabr. Brotierii* Notas et Emendat. in Corn. Tacit. v. Histor. 2. *Vrbi Ierusalem* (inquit) *novam urbem Sion addidit David, tunc non mutato nomine, sed in duale inflexo, vocata est* Ierusaláim ירושלים *vel* ירושלם *diversa quidem scripturâ, sed eadem pronuntiatione.*

(22) Morinus *Exercit. 11. in Pentateuch. Samar. cap. x. n. 1.* sicli ectypum protulit in cuius aversa geminum ד *Dáleth* conspicitur in voce הקדושה *hakeddósah*: quo fit ut eius inscriptio quatuordecim Samariticis litteris constet. Caelatoris id sphalma videtur esse, quod inde ad secundum Waltoni siclum (*Appar. Biblior.*) atque ad primum Guarini (*Tom. II. Gramm. Hebr. et Chald. pag. 509.*) ac demum ad secundum Calmeti (*Dictionar. Hist. Sacr. Scr. Tab. 1.*) permanavit.

2011 Ministerio de Cultura

da numorum Hebraeo-Samaritanorum fide coniecturam desumi posse arbitrabamur.

De voce קדשה *kedósah*, id est *sancta*, parum quod adiiciamus est. *Sanctae* nomen iam pridem ab Isaïae et Ioëlis temporibus urbi Ierusalem attributum fuisse, nemo est qui nesciat (23); eoque iugiter à Iudaeis et Gentibus appellatam. Demetrius Soter anno Seleucidarum CLX. hoc ampliùs ei indulsit ut *Sancta* et *libera esset cum omnibus finibus suis; utque decimae ac tributa ad ipsam pertinerent* (24). Praeterea ius asyli sive ἀσυλίαν eidem attribuit, *ut quicumque confugerint in Templum quod est Ierosolymis, et in omnibus finibus eius, obnoxii Regi in omni negotio dimitterentur, et universa quae eorum essent in regno suo libera haberent* (25): quod et Iosephus intellexit, cum eam urbem ἱερὰν καὶ ἄσυλον, *sacram et inviolabilem* à Demetrio dictam fuisse asserit (26).

Atque eòdem respexisse videtur Simon in sicli de quo agimus epigraphe, cum Ierusalem appellavit *sanctam*, qua ego voce idem sibi voluisse existimo, ac si dixisset *inviolabilem*: *ab iniuria hominum munitam atque defensam*; cum haec sit propria eius vocis usurpatio (27). Neque enim quo tempore siclus percussus fuit, cogitasse Simon potuit de Antiochi Evergetis seu Sidetis ad eum epistola, in qua iti-

(23) *Isaïae* XLVIII. vers. 2. et LII. vers. 1. *Ioëlis* III. vers. 17.

(24) I. Machab. x. vers. 31.

(25) I. Machab. x. vers. 43.

(26) Καὶ τὴν Ἱεροσολυμίτων πόλιν ἱερὰν καὶ ἄσυλον εἶναι βούλομαι, cet. *Lib. XIII. Antiq. cap.* 2. (aliàs 5.) *Ed. Amst.* 1726. *T. I. pag.* 636.

(27) *Sanctum* (inquit Gerard. Ioann. Vossius Etymol. in ea voce) *sciunt omnes idem esse quod inviolabile; indeque Legatos et Tribunos plebis* sanctos *dici*, cet. testemque adducit *Caesarem* Lib. III. de bell. Gall. et *Marcianum* I. C. in l. *sanctum*, ff. *de rer. div.*

2011 Ministerio de Cultura

itidem Ierusalem appellatur *Sancta* et *libera* et Simoni permittitur *percussura proprii numismatis in regione sua*. Ea enim epistola triennio minimùm prae siclo nostro recentior est, atque ad annum Seleucidarum CLXXIII. referenda, ut nos docet Machabaeorum Historia (28).

Similem huic nostro siclum Accone in Palaestina se vidisse narrat R. Moses Nachmanides Gerundensis, cuius descriptionem Montanus siclo suo, sive Escurialensi, accommodavit, quòd uterque, ut Ipse affirmat, eiusdem ponderis et commatis, *iisdemque omnino figuris et characteribus percussus fuisset, nimirum hinc vasculo manna pleno*, inde vero *ramo illo admirabili, quem in fasciculum virgularum plurimarum Aaronis nomine illatum postera die populus omnis florentem amygdalaque explicantem vidit*. Consonat Nachmanidi, de utriusque huius typi significatione, R. Azarias de Rubeis (29), aliique eius religionis populares, quibus in hac parte nostri Doctores assentiuntur, incassum re-

(28) *I. Machab. xv.* init. quo loco litterarum Antiochi Sidetis ad Simonem exemplum exstat; eae vero anno, ut videtur, Graecorum CLXXIII. certè post annum CLXXII. scriptae fuere. Froëlichius (*Annal. Reg. Syr. Prolegom. cap. 1.*) hunc Antiochum anno demum CLXXIV. regnum iniisse existimat.

(29) R. Azariae verba habentur in libro cui titulus מאור עינים *meór henáim*, sive *Fons oculorum*, Tract. III. cap. 56. ויקראו מן הצד האחד שקל השקלים ומן הצד השני ירושלים הקדושה: ואומרים כי הצורת מקלו של אהרון שקדיה ופרחיה והצורה השנית צנצנת המן: id est: *Et legerunt* (in eo siclo Cuthaei quibus R. Nachmanides eum explicandum dederat) *ex uno latere* siclus siclorum; *et ex alio* Ierusalem sancta: *Et dixerunt quòd illa figura esset virgae Aaronis amygdalinae cum ramis et fructibus*; *alteram vero figuram vasis mannae*. Ex qua descriptione elicimus siclum à R. Nachmanide Accone visum, quamvis in reliquis omnibus cum Montani siclo conveniret, non ad primum sed ad secundum Simonis annum pertinuisse; cum in eo τὸ ירושלים הקדושה *Ierusaláim hakedósah* plena seu gravi scripturâ tredecim litteris constante legetur.

2011 Ministerio de Cultura

reclamante florum quos ramus exhibet figurâ (30). Atque haec de primi Simonis anni siclis.

Nu-

(30) Flores quos trifidus ille ramus in siclis semisiclisque conspicuus exhibet, nihil commune cum amygdalinis floribus habere, nemo non videt; cum illi, qua parte termiti haerent, rotundo sint ventre, dein sese leniter coarctantes colli figuram imitentur, quod rursum dehiscens in denticulos finditur ac desinit, serrae aut coronae radiatae instar: quorum nihil tale amygdalinis floribus inest. Potiori illos iure hyoscyami floribus seu caliculis similes dixeris. Iosephus certe aureum caliculum è diademate Summi Sacerdotis erumpentem ita describit (*Antiq.* III. 7. *num.* 6.) Θάλλει δ' ἐπ' αὐτῷ (nimirum è diademate) κάλιξ χρύσεος τῇ σακχάρῳ ϐοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένος, ὑὸς δ'ε κύαμον Ἑλλήνων οἱ περὶ τομὰς ῥιζῶν ἐμπείρως ἔχοντες προσαγορέυουσιν· *Prodit autem ex ipsa* (coronâ Sacerdotis) *calix aureus similis herbae* saccharo *à nobis* (id est Hebraeis) *dictae, quam tamen Graeci rei herbariae periti* hyoscyamum *appellant*. Et paucis interiectis: Σφαίρας εἰς δύο μέρη τετμημένης, περὶ τὸ ϖυθμένι τὴν ἑτέραν τομὴν ἔχει, φυόμενος ἀπὸ ῥίζης περιφερής· ἔιτα συνιὼν κατ' ὀλίγον, ὑποκοιλαινούσης εὐπρεπῶς τῆς ὑϖοχωρήσεως, ἀνευρύνεται πάλιν ῥεῖμα κατὰ χεῖλος, ὁμοίως ὀμφαλῷ ῥοιᾶς τετμημένος, id est: *Ima sui parte* (caliculus) *alterum sphaerae divisae segmentum refert, ab ipsa radice rotundatus, intusque, ut procedit, pulchrè excavatus, rursum sensim dilatatur, cum incisuris circa labra, quales in umbilico* mali Punici *videmus*. Neque his contentus Iosephi Scholiastes prolixe de *hyoscyamo* disputat, diversa eius apud varias gentes nomina et proprietates exponit, ipsumque, quem edit, caliculum accuratè aeri incisum exhibet (*Edit. Amstelod.* 1726. *pag.* 154.). Ea verò herba est quam Medici Latinè *Apollinarem*, Arabes *Alteric*, Hispani *Veleño* appellant. Sed iniecta apud Iosephum *mali Punici* mentio (quem fructum ab ima Sacerdotalis vestis lacinia pependisse nôrunt omnes) in memoriam revocat eius fructus figuram, quum excusso primùm flore turgescere incipit. Is verò, si quis aliàs, floribus quos sicli exhibent simillimus est, quem propterea cum amygdalinis floribus et cum hyoscyami caliculis hoc loco repraesentandum duxi: ne notissimum inter eos flores fructumque discrimen, quod illico spectantium oculos incurrit, praetermisisse videar. En illa.

Flos amygdalinus.

Calix hyoscyami.

Malum Punicum excusso flore turgescere incipiens.

De *hyoscyami* floribus seu caliculis nihil prorsus apud Hierobotanicos Scriptores reperi, cum eius herbae nulla in Sacris Litteris mentio, quod sciam, exstet. De

2011 Ministerio de Cultura

Numus quem tertia sede locavimus aereus ad sicli molem accedit, eiusdem fere orbitae atque ii quos in re numaria Romanorum secundi seu medii vocant moduli. Pondus granorum 214. (*dos ochavas cinco tomines y diez granos*) detracto quod ipsi externâ vi decrevit, nam terebro pertusus est, ut eius ectypum indicat. Inscriptio nonnihil ab utraque facie exesa, sed quae in priore ita omnino restituenda sit, שמעון נשיא ישראל *Simhón nassí Israél*, id est: *Simon Princeps Israëlis*; in posteriore autem שנת אחת לגאלת ישראל *scenát achát legeulát Israél*, sive *anno primo redemtionis, aut vindicationis Israëlis*, ut in aliis eiusdem anni et commatis numis (31); non certè לגאלת ציון *legeulát Tsión*, seu *redemtionis, aut vindicationis Sión*, quemadmodum Cornelio Dieterico Kochio placuisse video (32).

mali Punicae flore et fructu videndi Matthaeus Hillerus (*Hierophyt. Part. 1. cap. 16.*) et Olavus Celsius (*Hierobotan. Part. 1. in* רמון *rimmón.*) De *Amygdalis* demum Iidem ipsi in שקד *scakéd*, et לוז *luz*; utrâque enim Hebraei hac voce amygdalum arborem exprimunt, et posterioris huius nonnulla supersunt apud nos vestigia ab Arabibus mutuata. Etenim hodiedum *Alloza* Hispanis *fructum amygdali tenerum* significat; exstatque in Aragoniae Regno vicus *Alloza* dictus ad flumen *Martin*, quod in Iberum influit; et in τῇ ἀδηλᾳ Abulcacimi Tarifi Historia, *Heznallóz* sive *Castrum amygdali*. Et fortassis quae Plinio (*Nat. Hist. III. 3.*) *Ilipula* quae *Laus* inter celeberrimas Baeticae urbes recensetur, non à Latino *Laus*, ut vulgo creditur, sed ab Hebraeorum et Phoenicum לוז *luz* originem traxerit; praesertim cum à Plinio non longe ab inferiore Baeti collocetur, cuius utramque ripam à mari Hispalim usque à Phoenicibus praecipue cultam, atque alternorum Oceani aestuum reciprocatione maxime frequentatam fuisse, nôrunt Eruditi.

(31) Nimirum in VI. apud Kircherum, in quo *lyra*, et in aversa *palmae ramus intra sertum laureum*. OEdip. AEgypt. Tom. II. pag. 102. Item, in duobus aliis apud Harduinum in Not. ad Plin. Tom. I. Edit. Paris. 1723. pag. 432. quorum ectypa habentur Tab. VII. In alio, quem primum Relandus è Ser. Galliar. Regis thesauro, mox Carolus Mortonus evulgavit ex Museo Philippi Barton Canonici Oxoniensis in Tabula *Orbis Eruditi litteraturae*; ac demum in binis nostris n. 4. et 5. superioris tabulae.

(32) *Diss. de numor. Hebraicor. inscript. Sa-*

2011 Ministerio de Cultura

Atque hic de quo agimus numus, quòd ad epigraphen attinet, nihil videtur differre ab illo, quem primus omnium Kircherus sexto loco inter Francisci Gottifredi numismata evulgavit, quemque nos superiori capite aere incisum repraesentavimus, et ex eo uno certam atque exploratam numorum omnium Hebraicorum aetatem descendere dicebamus.

Propior nostro, non scripturâ modo, sed et typo et symbolis, numus ille est, quem è cimeliis Foucaltianis à Gallandio transmissum edidit Relandus (33), à Kochio deinde recusus (34), sed cuius in posteriore facie litterae penitus exesae sunt, ut Relandus nihil se inde eruere potuisse fateatur (35). At Kochius è fugientibus, ut ipse ait, litte-

Samar. quae habetur in Thesauro Vgolini Tom. XXVIII. col. 1293. Eo autem in opere de numo Ser. Galliarum Regis, quem Relandus (*Diss. v. Tab. ix. n.* 7.) et Eisenschmidius (*de pond. et mens. sect. iv. Tab. i. n.* 10.) vulgavere, loquens (*col.* 1295.) haec habet: *Nemo tamen erit facilè qui dubitet iure à nobis restitutum* ל Lámed *in voce* גאלת gheulát; *cum reliquae eius vocis litterae omnes bene appareant, et in aliis numis eadem vox integra plane legatur. Etiam vocem* ציון Tsión, *cuius omnes litterae absunt, recte restitutam iudicabit, qui eamdem in compluribus aliis huiusmodi numis conspexerit, et hoc loco ad sensum inscriptionis absolvendum necessariam esse intellexerit. Possit quidem etiam esse vox* ירושלים *Hierosolymae* (*Harduinus* ישראל Israél *legit, Chronolog. Vet. Test. in oper. select. fol.* 602. *col.* 1. *fin.*); *sed quod ea cum voce* גאלת gheulát *in numis huiusmodi non construatur, uti quidem cum voce* חרות cherút *construitur, placuit nomen* Zionis *restituere. Quo accedit quòd urna vel amphora* :::: Sed piget taedetque plura describere, cùm mera sint aegri somnia, quibus discutiendis bina haec nôsse sufficiat. I. *Sionis nomen anni primi Simonis numis inscribi minimè potuisse*, ut mox dicemus. II. *Vocem* גאלת gheulát *cum voce* ישראל Israél *optimè construi* atque coniungi in iis numis quos in superiore Tabula nn. 4. et 5. protulimus, et in iis etiam quos paulo antè not. 31. citavimus. Ex quibus liquet Kochium pro גאלת ציון *gheulát Tsión*, legere omnino debuisse גאלת ישראל *gheulát Israél*.

(33) Diss. v. de num. Samar. pag. 166.

(34) Diss. de numor. Hebraicor. inscript. Samar. in Tab. numor. n. 3. apud Vgol. Thesaur. Tom. XXVIII. col. 1308.

(35) *Ab altera parte* (inquit Relandus Dissert. v. pag. 167. Edit. Traiect. 1709.)

2011 Ministerio de Cultura

terarum vestigiis integram, sed pro lubidine confictam, eius epigraphen protulit (36), Idemque numum alium aeneum primo Simonis anno percussum laudat qui *varia magnitudine et variis litterarum figuris expressus hinc inde, cernitur in Actis Eruditorum Lipsiae* 1709. *mense Septembri pag.* 418. *in Tabula fig.* 1. Verùm eo loco nihil in Eruditorum Actis reperi praeter synopsin quartae et quintae Relandi dissertationis de numis Samaritanis, et nonnulla ex prolatis ab Eodem ectypis, quae nihil ad rem nostram faciunt. Certè quem numum Relandus è Bouterouvio describit, et priori illi similem esse ait in quo legebatur *Simon Princeps Israël*, non ad primum, sed ad secundum principatûs eius annum referri debet (37), ut suo loco ostendendum in nos recipimus.

Vnus omnium, quos viderim, proxime ad numum de quo agimus accedit, et fortassis idem ille est, quem primus

1709.) *qua pampinus est, vel folium ficûs, aut fructus balsami, ut alii mallent, litteras legere non potuimus.* Quis autem eas legeret quae omnino ac stirpitus erasae erant? At Kochius in eo quod protulit numi ectypo, fortuitos linearum ductus à delineatore in Relandi numo expressos ut eâ sede litteras olim exstitisse denotaret, in litterarum fugientium vestigia videtur conformasse.

(36) *Quòd si liceat nobis* (inquit Kochius de num. Hebr. inscr. Samar. col. 1298. fin. ap. Vgolin.) *coniecturam capere, cum bene multarum litterarum vestigia appareant circa pampinum vel uvam, scriptum fuisse videtur:* שנת אחת לגאלת ציון *Anno primo liberatae Zionis.* Atqui primo Simonis anno, seu Seleucidarum CLXX. (quo numum percussum fuisse Kochius agnoscit) Sionis arx adhuc à Graecis tenebatur; nec recuperata ab Hebraeis fuit, nisi *tertia et vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, I. Mach.* XIII. 51. Froëlich. Annal. pag. 77. *Anno primo redemtionis Sion.* Falso.

(37) Is numus est quem Bouterouvius pag. 23. num. 8. depingit, in cuius adversa שמעון *Simhón*; in aversa verò legitur: ש. ב. לחר. ישאל : *Scin. Beth. lecher. Isaél* (nam postremae omnium voci deest ר *Resc*, caelatoris ut videtur oscitantiâ), id est: *Anno secundo liberationis Israëlis*: de quo numo nos capite sequenti.

2011 Ministerio de Cultura

mus Ioannes Harduinus è cimeliis Domini de Bozè cum peculiari explicatione vulgavit (38). Vtriusque ectypum sistere hoc loco placuit, ut possint invicem conferri.

Noster.

Io. Harduini.

In his si modulum, typum, litterarum superstitum ductus, atque earumdem situm, ordinem, figuram inter se conferis, eadem omnino esse deprehendes. Eadem praeterea est utriusque numi facies et structurae indoles; nec dubito quin idem etiam pondus in iis deprehendendum esset, si utrumque ad bilancem exigere liceret.

Sed illud in Harduini numo peculiare est, quòd post absolutam adversae epigraphen שמעון נשיא ישראל *Simhón nassí Israél*, id est *Simon Princeps Israëlis*, singularis littera ש *Scin* videatur otiosa redundare. Ea verò littera seu caelatoris lapsu (quos interdum et in numis deprehendunt qui iugi eorum studio assuevêre), aut casu alio in numum irrepsit, sive ex indiscreta litterarum eiusdem permixtione nata est: mirum quantùm doctorum Virorum ingenia torserit, atque ipsius in primis Harduini, qui eam principem existimavit esse

(38) In notis et emendationibus ad Plinium lib. VII. Edit. Paris. 1723. à pag. 432. figuram autem numi exhibet in Tabula numorum VII.

2011 Ministerio de Cultura

esse litteram vocis שכם *Sichem*, cognominisque in Samariae regione urbis indicem, quasi in ea urbe numus percussus fuisset. Hinc, quo erat ingenio acri et ad coniecturas proclivi, videre sibi visus fuit, non eum modo qui sibi obtigerat numum, sed et reliquos, quotquot Samariticis litteris inscripti sunt, Sichemi atque à Cuthaeis Babyloniisque à Salmanasare in Samariam translatis percussos (39): qui, ut ipse ait, facilè eam operam locare Iudaeis potuere, cum Demetrius Syriae Rex cognomento Nicator quadriennio antè tres Samariae Toparchias Iudaeae contribuisset.

Verùm haec Harduini coniectura, utut multis et exquisitis rationibus ab eo fulciatur, parum tamen probabilis Viris doctis visa est; cum ne post contributam quidem Iudaeae Samariam Babylonii et Cuthaei, qui in ea regione sedes fixerant, et Samaritanis, quòd ad mores ritusque etiam sacros attinet, facilè coaluerant, urbem Ierusalem exosam ipsis atque abominandam, *Sanctae* elogio, quod passim in siclis et semisiclis legitur, honestaturi umquam fuissent (40); neque illos Simon ut id facerent adacturus: praeser-

(39) *Verùm* (inquit Harduinus *in Exposit. duor. numor. Samar.* ap. Vgolinum Tom. XXVIII. col. 1074.) *quod omnino satisfacere debet in hoc argumento* ::: *hoc est quòd nobis in fine designet, in qua civitate hi numi qui dicuntur Samaritani praecipue percussi fuerint. Etenim* ש Scin, *qui in ima parte primae lectionis ad sinistram legitur, non fuit impressus nisi ut designet primam litteram urbis in qua numus fuit percussus. Vrbs ista fuit* Sichem *metropolis Samariae*, cet.

(40) Samaritani, si quando ipsis urbs Ierusalem nominanda erat, non quemadmodum Iudaei, ipsique etiam hodie atque olim Muhamedani בית מקדש *Bait mikdásc*: *Domum Sanctuarii*, id est *sanctam* appellabant; sed parce detorta postrema voce בית מכתש *Bait mactésc*, sive *Domum contusionis*, *contritionisve*; item בית קלקלתה *Bait kalkalthá*, id est *Domum levissimam*, atque *abiectissimam*: quibus vicissim Iudaei, ut paria referrent, montem Garizim, templumque in eo instar Ierosolymitani à Sanballato exstructum, probri

2011 Ministerio de Cultura

sertim cum haec Toparchiarum Samariae contributio nihil commune cum patriis atque avitis Samaritanorum ritibus et religione haberet, sed in eum tantum finem Ionathae et Genti Iudaeorum concessa à Nicatore fuisset, ut civitatum in eis contentarum vectigal, quod eatenus Syriae Regibus appendi consueverat, deinceps in usus sacrificiorum et sacrificantium Ierosolymis cederet, ut nos docet Machabaeorum Historia (41).

Mihi verò, ut alia deessent de quibus suo loco, id unum sufficere videtur ad infirmandam Harduini coniecturam, quòd hactenus illud *ש Scin* otiosum aut redundans nusquam locorum aut gentium in alio eiusdem commatis numo deprehensum sit. Certè in ectypis quae nuper è Kirchero, Relando, Mortono descripsimus, atque item in nostro, quod optima fide ad archetypum exemplar exegimus, eius litterae nec vola nec vestigium exstat, neque locus pro ea va-

bri causâ פלשנוס *Palthenós* vocare consueverunt, quasi Graecè dicerent, φελεθοῦ ναός: id est *AEdem stercorariam, sterquilinium.* Immo vetus nomen urbis *Sichem*, cui mons Garizim et Sanballati templum ab Australi latere imminebant, in *Sichar* (quemadmodum in Ioannis Evangelio nominatur) ab iisdem Iudaeis callidè immutatum fuisse credibile est: nimirum ut unum nomen שקר *Scéker* (quod Hebraeis *mendacium*, *falsitatem* sonat) pios quosque et religiosos homines à tectis et moenibus, praecipue verò à sacris idololatricae urbis arceret: ceu ex *Berescit Rabbâ* luculenter ostendit Adrianus Relandus *Diss. de monte Garizim, Part. 1. Diss. Miscellanear.* §§. III. IX. XII.

(41) *Statuimus ergo illis* (Ionathae nimirum et Genti Iudaeorum) *omnes fines Iudaeae et tres civitates Lydan et Ramathan, quae additae sunt Iudaeae ex Samaria, et omnes confines earum sequestrari omnibus sacrificantibus in Ierosolymis, pro his quae ab eis prius accipiebat Rex per singulos annos, et pro fructibus terrae et pomorum.* I. Machab. XI. vers. 34. Cur autem cum tres civitates Iudaeae contributas dicat, binas tantùm Lydan et Ramathan nominet? Fortassis, quòd tertia ad Galilaeam pertinuit, ut ex eodem Libro cap. x. v. 30. elicitur.

2011 Ministerio de Cultura

vacuus in numi area : prorsus ut nisi Harduinus (42) et post eum Soucietus (43) archetypum à se visum fuisse nobis edixissent, fucum utrique factum existimarem. Nunc, quod superest, aut ex neglecto litterarum ordine (non enim recto scripturae sulco, sed obliquè atque undatim in eo numo exaratae sunt, ut vel ectypum ostendit), aut ex earumdem attritu, aut caelatoris oscitantia id evenisse arbitror; nisi forsan τὸ ש *Scin*, quod redundare dicitur, ex detrita τῆς מ *Mem* Samaritani parte descendat. Etenim si ex huius figura, nimirum ש, caudam sive inferiorem partem detrahimus, reliquum erit Samaritanorum ש *Scin*, hac scilicet formâ ω. Certè numi de quo agimus fidei, quòd ad scripturam spectat, non esse usque adeo standum, Harduinus ipse non dissimulat, cum ait *ternas quibus eius inscriptio constat voces malè compositas esse* (44).

De aversa numi nostri epigraphe nihil quod adiicia-

mus

(42) In not. et emendat. ad Plinium Lib. VII. Tom.I. pag. 432. Ed.Paris. 1723.

(43) , J' ai vû (*inquit Soucietus Dissert. sur les médaill. Hebraïq. pag. 99. Edit. Paris.* 1715.) chez M. Foucalt Conseiller d' Etat, et ensuite chez M. de Boze, Secretaire de l' Academie des Médailles, une médaille de Simon, sur la quelle est d' un côté un palmier avec cette inscription שמעון נשיא ישראל en characteres qu' on appelle Samaritains: c' est à dire: *Simeon Princeps Israëlis. S.* On pretend que le ש *Scin*, qui est au bas de la premiere inscription, n' y a pû être mis, que comme la premiere lettre du nom de la Ville ou cette monoye a été fabriquée, qu' elle nous marque en quelle Ville de Samarie précisément les médailles, qu' on appelle Samaritaines ont été frappées, et que c' est Sichem capitale de Samarie.

(44) In Exemplari Vgol. T.XXVIII. Thesauri col. 1065. *In altera parte* (numus) *prae se fert palmam quae est symbolum Iudaeae cum hac inscriptione trium vocum, quae malè sunt compositae*, cet. In Editione verò Parisiensi 1723. pag. 432. paulò haec aliter, nimirum: *Ex una parte* (numus) *palmam exhibet, Iudaeae symbolum, cum hac epigraphe trium vocabulorum, totidem versibus, nec rectis quidem, sed incurvis*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

mus est, nisi eam, qua parte legi potest, mire cum Harduini numo convenire in quo integra exstat, nimirum שנת אחת לגאלת ישראל, *scenát achát legeulát Israél*, id est *anno primo vindicationis seu redemtionis Israëlis*. In nostro binae tantùm priores voces conspicuae sunt, et sequentis sive tertiae initium.

De typo et numi raritate, quod superest, paucis edicemus. Palmam Iudaeae symbolum esse nôrunt omnes. Vitis folium eam regionem vini fertilitate celebrem indicare, et vel ad Iacobi vaticinium de tribu Iuda (45), vel ad vineas Engaddi de quibus in Canticis (46), referri commode posse; non certe ad vitem illam auream, quae olim in Templi adyto exstitisse dicitur, atque ibidem à Cn. Pompeio visam nonnulli tradunt; neque ad recentiorem aliam ponderis quingentorum talentorum, quam Aristobulus Alexandri F. Hyrcani Iunioris frater Damascum ad eumdem Pompeium misit, eius gratiam occupaturus: quod propter Ioannem Baptistam Ottium monere placuit, qui totus in eo est ut inter pampinum in numo nostro expressum et vitem Aristobuli auream nonnihil affinitatis statuat (47). Eam nos tamen affinitatem fortassis in aliis mox adducendis numis deprehendemus.

Nu-

(45) Genes. XLIX. vers. 11. *Ligans* (Iudas) *ad vineam pullum suum, et ad vitem, ò fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum.*

(46) Cap. I. vers. 13.

(47) In epist. ad Reland. Tiguri prid. Calend. Mart. 1704. qui post multa in eum finem egregiè disputata, ita concludit: *Certe inter vitem auream à Iosepho memoratam* (Antiq. Iudaic. Lib. XIV. cap. 3. quae eadem illa Aristobuli est) *et inter folium vitis in numulo nostro expressum aliquid affinitatis esse statuo.* Ap. Reland. *De num. Samar.* Edit. Traiect. 1709. pag. 73.

2011 Ministerio de Cultura

Numus insigniter rarus est, eoque typo et scripturâ nulli ante Harduinum, vel post centum quinquaginta annos quàm Samaritanorum litterae in Occidente excoli coeperunt, ut ipse affirmat, cognitus, à nemine certè ante eum evulgatus. Relandus exesum atque inexplicatum protulit ad annum, ut puto, 1707. Noster ex his qui hactenus lucem viderunt tertius omnino est. Desiderari autem in Museis Angliae retulit Vir Cl. Carolus Godofredus Woide in litteris superiore anno Londini ad me datis, quas suo loco proferemus integras.

De binis qui in tabula supersunt aereis numis eâdem nobis opera agendum, cum idem sit utriusque typus, eademque aversae eorum epigraphe, nimirum שנת אחת לגאלת יש *scenát achát legeulát Is.* seu *anno primo redemtionis Israëlis*: cuius postremae vocis binae tantum priores litterae à caelatore utrique numo insculptae fuere, reliquae ex aliis facile supplentur. Sed quoniam prior sive adversa eorumdem numorum facies arcanis, ut coniicimus, characteribus constat, quorum lectio atque interpretatio frustra ab Eruditis hactenus tentata est, multaque de iis dicenda nobis occurrunt, ea peculiari tractatione complecti placuit. Illud tamen interea (quia mirificè numorum Samaritanorum fidem adstruit) non praetermittemus, quod quicumque in eorumdem ectypis botrum cum haerente dextrorsum pampino, litterarum quibus utriusque inscriptio constat numerum, situm, ductus, singulares formas, et universam fabricae seu numorum structurae indolem paulo attentius con-

si-

2011 Ministerio de Cultura

siderare, eaque invicem committere velit, eamdem prorsus in utroque non officinam monetariam modo sed artificis manum è vestigio deprehensurus sit: id quod periti harum rerum aestimatores, observatis ipsis numis archetypis, saepius mihi ac nihil haesitantes obtestati sunt.

Atque hi de quibus hactenus egimus numorum omnium, quotquot ab Hebraeis percussos fuisse constat, certissimi atque antiquissimi sunt; deque iisdem subibat nobis cogitare, cum in quarto eorum quae praemissa sunt notabilium, *vetustissimos Hebraeorum numos ad Simonem Machabaeum et liberationem Israëlis à Graecis, sive ad annum* CLXX. *Erae Seleucidarum, non ad Iudam neque ad Ionathanem fratres eius, referendos* ediximus. Quod hoc loco repetendum fuit, ut singularem Ioannis Gagnierii opinionem convellamus, qui primùm Hebraeorum numos in universum ad Iudae Machabaei Simonis fratris aetatem, atque ad annum Erae Seleucidarum CXLVIII. retrahendos putavit (48): quo nimirum anno post devictos à Iuda Gorgiam et Lysiam Antiochi Epiphanis Duces, et Sancta mundata sunt, et lapides contaminationis in sterquilinium proiecti, et altare holocaustorum ex novis et integris lapidibus excitatum, et sollemnis eiusdem de-

(48) *Aliquid* (inquit Gagnierius Epist. ad Incertum *De numis Samaritanis* quam Vgolinus protulit T. XXVIII. Thesaur. col. 1283.) *dicendum de tempore quo isti numi percussi fuerunt. Ego cum Relando convenio regnantibus Hasmonaeis fuisse cusos; at fere ante centum annos* (ita omnino in Vgolini exemplo) *quam ipse putat, scilicet ipso Machabaeorum tempore. Etenim constat fuisse percussos anno secundo et quarto post celebrem redemtionem et libertatem gentis Iudaicae, partâ ex victoria Iudae Machabaei et eius fratrum adversus Regem Antiochum et eius Duces. Post quam peracta fuit celebris dedicatio Templi anno* 148. *Erae Alexandri: anno mundi* 4549. *ante Christum natum anno* 161. cet.

2011 Ministerio de Cultura

dedicatio peracta fuit (49); deinde vero eamdem opinionem ita temperat, ut qui numi τὸ גאולה *gheuláh*, seu *redemtionem* insculptam gerunt, ad Iudam; qui autem τὸ חרות *cherút* seu *libertatem*, ad Simonem referendos esse statuat (50).

Verum nec Gagnierius unde opinionem suam hauserit edicit, neque, meo iudicio, edicere si velit poterit. Fuit quidem anno CXLVIII. Graecorum sub Iuda Machabaeo *laetitia in populo magna valde, et aversum opprobrium Gentium*, quemadmodum in Historia Machabaeorum legimus (51); non tamen sublatum illarum iugum ab Israël; nec coepit Hebraeorum populus sub Iuda peculiarem sibi Eram in tabulis et actis publicis scribere; sed utrumque sub Simone atque anno demum CLXX. Graecorum factum fuisse liquet ex eadem Historia (52): quod primum erat ex Ga-

(49) I. Machab. cap. IV. per tot.

(50) Ezech. Spanhemius *De praest. et usu numism. Diss. II. Ed. Londin.* 1717. *pag.* 67. *seq.* quo loco de numorum Samaritanorum indubia fide disserens, laudat ternos eius generis numos, quos ipsi exhibuit Guilielmus Loyd Iunior, et subdit: *Quibus et illud quod mihi familiaris eius, et in Orientalium litteratura valde exercitatus, ac iam supra à me memoratus Ioannes Gagnier suis ad me litteris significavit, monendum eâdem occasione hìc duxi: nempe discrimen illud, quod in Samariticis id genus numis apparet, in quibus aut* גאולה gheuláh, redemtio, *sicut in numo à me in superiori Dissertatione, et de quo is tum ad me scripserat, memorato; vel ut in eo proxime hìc adducto, eique similibus aliis* חרה charáh, *seu* חרות cherút, libertas *legitur, inde iuxta magnum Antistitem Loyd oriri: quod prior, seu* redemtio, *respiciat ad celebrem Templi dedicationem á Iuda Machabaeo factam anno ante Christum* CLXV. Libertas *vero ad primum Simeonis annum, quo restituta est Iudaeorum Respublica cum immunitate à tributis, uti è Machabaeorum libris et Iosepho constat, anno nempe ante Christum* CXLIV. Hactenus Spanhemius. Iacobus autem Basnagius (*Histoir. des Juifs Lib.* VI. *cap.* XXIV. *num.* 22.) aperte utramque Gagnierii thesim confutat, inquiens: *Judas, qui commençà à purifier le Temple, en fit une Fête solemnelle, que les Juifs célébrent encore, sous le nom de* Fête des lumieres: *cependant on n' osa en frapper une médaille, par ce qu' on n' avoit pas encore cette liberté, et qu' on n' osoit la prendre dans un tems de trouble et de confusion*, cet.

(51) I. Machab. IV. vers. 58.

(52) I. Machab. XIII. vers. 41. et seq.

2011 Ministerio de Cultura

Gagnierii placitis. Secundum manifestissimè falsitatis convincunt Kircheri et Harduini numi superius à nobis allati, necnon Bartonianus et alii passim (53), in quibus גאלה *gheuláh* sive *redemtio* cum expresso *Simonis* nomine coniungitur, et propterea ad hunc omnino, et non ad Iudam referendos esse constat.

Atque unum *Simonis* nomen ubivis in Hebraeorum primi et secundi anni numis, atque in ipso etiam Ludolfino, ad quem Gagnierius provocat, exstans, docuisse eum poterat, et sequentium annorum numos sub Simonis principatu percussos fuisse, quamvis eius nomen non gerant. Verum, ut video, neque in Ludolfi numo *Simonis* nomen Gagnierius agnovit, sed pro שמעון *Simhón* שנת *scenát* legit (54); idque cum multo antè Hottingerus (55) et Bouterouvius (56) alios eiusdem commatis numos protulissent, in quibus idem nomen perspicue legitur, prout ab utroque sine offensione lectum fuit. Sed levia haec sunt.

Il-

(53) Kircheri et Harduini numorum ectypa superius expressimus, Bartonianum in Operis fronte videre licet: quibus in Gagnieriani asserti confutationem adiungi possunt terni nostri superioris Tabulae numi sub nn. 3. 4. 5. qui cum dubio procul ad Simonem pertineant, in iis nihilominus τὸ גאלה *gheuláh*, *redemtio*, legitur.

(54) In Epist. ad Incertum ap. Vgolin. Tom. XXVIII. Thesaur. col. 1286. *Sextus* (inquit) *et novissimus numus Tabulae Relandinae* (primae, seu Ludolfinus) *ubi ex altera parte exhibetur templum::: cum hac inscriptione* שנת *scenát*, id est *anno* (quo loco in numo legitur שמעון *Simhón*); *et in aversa parte* לחרות ירושלם lecherút Ierusalém, libertatis Ierusalem.

(55) Diss.II. de numis Oriental. Thesaur. Vgolini Tom. XXVIII. col. 1376. Tab. II. num. 5. et col. 1354. quo loco sic ait: *Habet altera numi facies porticum Templi cum litteris Samaritanis, illis quidem* שמ *lectu facilibus; his vero exesis procul dubio* עון, *ut* Schimeonis *utrobique exprimatur nomen.*

(56) *Recherches Curieuses*, cet. Introd. Monnoye des Juifs pag. 20. n. 5. *Sicle* (inquit) *de cuivre ayant d' un costé une forme de bastiment, avec un rang de colomnes: pour legende* Simeon, cet.

2011 Ministerio de Cultura

Illud gravius ac lepidum profecto, quod postremo omnium loco Gagnierius subdit, de viri imagine in Ludolfi numo exstante, qui videtur Templum ab immunditie Gentilium expurgare (57): quasi verò Gentium abominationes, altaris profanatio, aliaeque eiusmodi sordes scopis verrendae essent, aut Templum ea demum expiatione mundandum. Quid quod Gagnierius germano et γνησίῳ seu vere antiquo Hebraeorum numo Viri imaginem insculpi posse existimavit. Sin autem numum putavit adulterinum, cur eo sententiam suam de vera numorum Hebraicorum epoche maxime confirmari asserit? Is sane numus argenteus penes nos est, suo loco repraesentandus. Aversa factitium לולב *lulâb* seu ramorum fasciculum exhibet, cui à dextro latere malum citreum erectum inferne adstat; adversa, quae propiùs nos spectat, aedificii porticum tetrastylam, et circum eam *Simonis* nomen; in centro autem seu porticûs medio, nimirum quo loco Gagnierius viri imaginem videre sibi visus fuit, *lyram*: quae itidem in aliis eius commatis numis à Kirchero, Bouterouvio, Hubero editis, atque eadem sede conspicitur.

CA-

(57) *Maxime confirmat meam sententiam* (ait Gagnierius Epist. de numis Samarit. circa fin.) *scilicet quod haec dedicatio* (nimirum quae facta fuit sub Iúda Machabaeo anno Erae Alexandri CXLVIII.) *sit vera epocha nostrorum numorum, sextus et novissimus numus Tabulae Relandinae* (prioris scilicet omnium, quaeque primae eius Dissertationi *De numis Samaritanis* praemittitur), *ubi ex altera parte exhibetur Templum cum imagine viri, qui videtur immundities Gentilium expurgare*, cet. Iacobus Basnagius non semel huius numi meminit, nimirum *Histor. Iudaeor. lib. VI. cap. XXIV. n. 13. et lib. II. cap. X. n. 5.* quo loco eiusdem typum, sollemnem Templi dedicationem à Iuda Machabaeo factam designare autumat, inquiens: *La figure d' un Temple, et celle d' un Homme qui le nettoye des impuretez des Gentils, donne lieu de croire qu' on a marqué sur ces anciens monumens la dedicace du Temple faite par Judas Machabee.* Vter autem utrum in errorem induxerit, inquirere non vacat. Basnagius tamen non eo magis Ludolfi numum germanum seu verè antiquum agnoscit.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

TYPVS NVMORVM ANNI SECVNDI.

Ser. D. Hisp. Inf. Lud. Borbonii.



Penes nos.







Aug. Estève delin.

Ferd. Selma incid.

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT TERTIVM.

De siclis et numis secundo principatûs Simonis anno percussis.

DE numis qui ad secundum principatûs Simonis Machabaei annum spectant, eumque expressum aut indicatum gerunt, acturus, primùm omnium siclum proferam quem olim in Museo Regii Hispaniarum Infantis Ludovici Borbonii me vidisse memini, descriptumque in adversaria retuli: mox senos qui penes me sunt aereos numos, ita dispositos, ut aversae omnium facies ad laevam, vel inferne collocentur: nimirum ut eorumdem inscriptiones et symbola perpetuo erecta conspiciantur. En illos.

De siclo, qui agmen in Tabula ducit, parum est quod adiiciam iis quae de primi principatûs Simonis anni siclis superiore capite dicta sunt. Sed neque de pondere aut de argenti qualitate statuere quidquam possum; cum quo tempore eum describerem (existimo autem solidum effluxisse vicennium) de symbolis ac litterarum Samariticarum formis ad verum exprimendis unice sollicitus essem; neque eius denuo perlustrandi copia mihi ad praesens suppetat. Typum autem tam primi quam secundi anni siclis et semisiclis unum et communem esse, nemo est qui nesciat: nimirum hinc calicem sive urnam, inde ramum illum trifidum amygdalinos flores emittentem. Inscriptio item utrisque eadem: *Siclus Israëlis*, et *Ierusalem sancta*; nisi quod

in

2011 Ministerio de Cultura

in secundi anni siclis et semisiclis (1) aversae faciei titulus plena seu gravi scripturâ, tredecim Samariticis litteris constante, nimirum ירושלים הקדושה *Ieruscaláim hakedósah*, binaeque supra urnam litterae ש ב *Scin Beth*, eius anni indices, conspiciantur, ut superiori capite in septimo praenotabilium ediximus.

Iam vero, ut ad numos nostros descendamus, terni maiores ad sicli molem atque ambitum accedunt, id est, ad modulum qui in re numaria Romanorum *medius* passim appellatur. Pondus priori, seu numeri secundi, granorum 184. quae drachmas binas, sive octavas Hispanicae communis unciae partes, cum alterius drachmae dimidia et quatuor insuper granis conficiunt: secundo, seu numeri tertii, granorum 242: tertio denique, seu numeri quarti, granorum 202.

Idem inest omnibus oris habitus, idem aeris color: idem ubique caelatoris genius apparet, non in efformandis modo litteris, sed et in iis ἀνωμάλως in numorum area collocandis: eadem demum est omnium fabricae seu structurae indoles, ut satis ostendunt eorum ectypa. Praeterea typus et symbola utrimque eadem, eadem epigraphe, eadem litterarum compendia: prorsus ut qui non illico in iis eamdem artificis manum agnoscat, plumbeum esse necesse sit: quae pro numorum Samariticorum fide repetere hoc loco placuit.

Inscriptio in nullo penitus integra exstat; alterius tamen

(1) Semisicli anni secundi singulare ectypum cum expresso חצי השקל *chatsí hascékel* protulit Comes Pembrochiae Part. II. Tab. 85. num. 2.

2011 Ministerio de Cultura

men altera poscit opem, ut è trium numorum inter se collatione facile eliciatur, hinc legendum שמעון *Simhón*, inde vero שנת שתים לחרות ישראל, *scenát scetáim lecherút Israél*, id est *anno secundo liberationis Israëlis*: quae non plene sed perpetuo fere verborum compendio aversae numorum faciei inscribuntur, nimirum..... שב לחר ישר: *Scin Beth lecher. Isr.* quamvis in omnium postremo, seu numeri quarti, vox ישראל *Israél* integra legatur.

Quoniam autem in iis numis nonnulla tum ad orthographiam et Grammaticam rationem, tum etiam ad litterarum sedem et peculiares formas spectantia expresse insunt, quae à non nemine palam negari aut in dubium vocari video: de singulis monendos Lectores duxi, ne quis in easdem, in quas nos olim, salebras incidat.

Et primo quidem Soucietus, vir sane quam doctus et in Sacrarum Litterarum studio versatissimus, sed cui ad institutam *De numis Hebraicis* tractationem non satis praesidii fuisse videtur in iis quos Parisiis apud Bozium, Foucaltium, et Instituti sui populares, Chamillartium, Vitryum, Harduinum archetypos viderat, numerales litteras א,ב, *Aleph Beth* à se numquam nisi in siclis et semisiclis proprie dictis observatas fuisse ait: certe non exstare in iis numis in quibus aut *Simonis nomen*, aut *liberatio Ierusalem*, aut *redemtio Sionis* legitur (2). Atqui utrumque falsum esse, et

(2) Diss. sur les médaill. Hebraïq. Paris. 1715. pag. 31. fin. n. 4. *Je trouve* (inquit) *toûjours les lettres* א Aleph *et* ב Beth *sur des simples sicles, ou demisicles::: sur les quels je ne vois ni* שמעון נשיא (Simhón nassí), *ni* לחרות ישראל (ob liberationem Israëlis), *ni* לגאלת ציון (ob redemtionem Sionis); *mais seulement* שקל

2011 Ministerio de Cultura

et bini priores numi nostri (tertius enim qua parte anni notam olim insculptam habuit exesus est), et Bouterouvianus numeri octavi (3), à Relando etiam descriptus (4) evincunt, in quibus hinc שמעון *Simhón*, inde vero לחר ישר *lecher. Isr.* seu *liberatio Israëlis*, et ב ש *Scin Beth*, sive *annus secundus* expresissime leguntur. Et sane mirandum, cum utrumque hunc Scriptorem ipsumque etiam Bouterouvii numum Soucietus viderit et saepius laudet (5), id ab Eo animadversum non fuisse.

Praeterea numerales litteras א, ב *Aleph*, *Beth* perpetuo in interiore area conspici ait (6), non in περιφερείᾳ sive in extima eorum ora : quod itidem falsum esse iidem ipsi numi apertissime convincunt. Neque in his nobis esset ulterius immorandum, nisi Soucieto ansam praebuissent novam inde thesim eliciendi, quae non meliore, ac priores illae quas refutavimus, fundamento nititur. Itaque existimat

שקל ישראל (siclus Israëlis) ירושלם קדושה (Ierusalem sancta) : : Et num. 5. *Au contraire nulle des médailles de Simon rapportées par Kirker, ou par les autres, ou qui se voyent dans les Cabinets, et sur les quels on trouve* לחרות (lecherút) *ou* לגאלת (legeulát), *nulle, dis je, n'a de ces lettres numerales, ni les plus souvent aucune autre époque*, cet.

(3) *Recherch. Curieus. des monoyes de France Introd. pag.* 23. Eius numi inscriptio, in adversa שמעון *Simhón*; in aversa ש ב לחר ישאל *Scin Beth lecher. Isaél*, (*sic*) id est, ut Bouterouvius ibidem : *La seconde année de la delivrance d' Israel.* Deest autem postremae numi voci ר *Resc.*

(4) *Diss. v. de num. Samar. Edit. Traiect.* 1709. *pag.* 167.

(5) *Diss. sur les médaill. Hebr. Edit. Paris.* 1715. *pagg.* 20. 28. 30. 31. Pag. autem 16. Bouterouvii numum describit atque explicat his verbis : *On en voit une* (médaille) *semblable dans Bouteroue pag.* 29. *avec* לחר .. ישראל (lecher .. Israél) *au revers, et les lettres* ש ב (Scin Beth), *c' est à dire* : Ob liberationem Israëlis. Anno II. cet.

(6) *En second lieu* (ait Soucietus Dissert. sur les médaill. Hebr. pag. 29.) *les lettres* א, ב Aleph, Beth *sont toûjours dans le champ, et l' inscription sur le bord de la médaille*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

mat litteras א, ב *Aleph*, *Beth* in numorum area collocatas per se stare, et absolutam sententiam continere; neque cum reliquis, quas iidem numi exhibent, coniungendas, ut ex utrisque confiat: *Anno primo*, exempli gratiâ, *liberationis Israëlis*, aut *redemtionis Sion*; sed seorsum legendum: *Anno primo* (7), et mox: *Ob liberationem*: *Ob redemtionem*, subintellecto *siclus conflatus* (8), non secus atque in Augusti, Claudii et Galbae numis: *Ob cives servatos*; et in Gallieni: *Ob libertatem receptam.*

Verum si Soucietus vulgatum à Bouterouvio numum paulo examinasset attentius, aut unum aliquem è nostris sumsisset in manus, nihil opinor eiusmodi Viro docto excidisset. In iis enim numis inscriptio שנת שתים לחרות ישראל *scenát scetáim lecherút Israél*, sive *anno secundo liberationis Israëlis*, non ex utriusque eorum faciei coniunctione conflatur (ut passim in aliis ad tertium et quartum Simonis annum pertinentibus), sed in aversa et continuato scriptionis sulco legitur, ut unam proinde atque indiscretam

(7) *Il* (Auctor nimirum primi Machabaeorum libri) *ne dit point* Anno primo liberationis Ierusalem, *ou* redemtionis Sion; *mais simplement* Anno primo, secundo, quarto. *Il faut donc le lire aussi sur les médailles.* Souciet. pag. 34.

(8) *Il faut dire* (pergit pag. 37.) *avec* א Aleph *ou* ש. ב לגאלת ציון: En mémoire de la delivrance de Sion. L' an premier ou second de l' Ere des Juifs; *ou*: Monnoie frappée l' an prémier de l' Ere des Juifs, en mémoire de la delivrance de Sion. *La coûtume et l' exemple de toutes les villes voisines me paroît une demonstration.* Et paucis interiectis: *Je ne vois pas qu'on puisse entendre ces mots* (לגאלת ישראל legeülát Israél) *autrement que je fais*: Ob liberationem: Ob redemtionem, cet. *en sous-entendant* יצוק iatsúk, *ou* שקל צרוף sékel tsarúf, siclus conflatus, *comme on sous-entend quelque chose de semblable sur toutes les médailles des autres peuples*: *et à peu près au même sens, que* OB CIVES SERVATOS *dans Auguste, dans Claude, et dans Galba*: : : *et dans Gallien* OB LIBERTATEM RECEPTAM.

2011 Ministerio de Cultura

tam sententiam contineat. Praeterea vocabulorum in hac oratione series : *anno secundo liberationis Israëlis*, mirum quantum Hebraicae linguae genio et nativae simplicitati conveniat, ut obvia passim exempla docent (9), ipseque Soucietus agnoscit (10) : quo magis ignorare me fateor, quid eum impulerit ut numi epigraphen in bina commata divideret, tantusque demum futurus esset in distorquenda ac misere divexanda propria articuli ל *Lámed* apud Hebraeos significatione : de qua nonnulla nos extra ordinem (11).

Nec

(9) Exempla: בשנת שתים לאסא מלך *Anno secundo Asae Regis.* III. Reg. XV. v. 25.. בשנת ארבע לאחאב מלך: *Anno quarto Achâb Regis.* III. Reg. XXII. v. 41.. בשנת שתים ליהורם: *Anno secundo Iorám.* IV. Reg. I. v. 17. et passim alibi.

(10) לגאלת ציון שנת ארבע: *Legeulát Tsión scenát arbáh*, id est, *Liberationis Sienis anno quarto. Arrangement contraire* (inquit Soucietus pag. 31.) *à l' usage, à la simplicité, au genie de la Langue Hebraïque, qui ne souffre point ces sortes de transpositions, et qui eût dit selon l' ordre naturel* שנת ארבע לגאלת ציון: Anno quarto liberationis Sion : *de même que* IV. Reg. XVII. 10.. III. Reg. XV. 25. *et cent autres.*

(11) Soucietus, meo quidem iudicio, multus in hoc argumento est. Non enim hoc tantum loco (nimirum *Diss. sur les médaill. Hebraïq. pag.* 32.) sed instituta peculiari tractatione super cap. VI. Exodi v. 3. (*Recueil de Dissertations critiq. à pag.* 487.) prolixe disputat de vi ac potestate articuli ל *Lámed* apud Hebraeos, nullumque non movet lapidem ut vocem להם *Lahém*, quam Vulgata editio, Pagninus, Interpretes, atque Hebraei communiter Latinè reddunt EIS, non id solum, sed IN EORVM GRATIAM, seu PROPTER EOS: *en leur faveur*, ut Soucieti verbis utar, significare, atque ita omnino reddi debere probet, exigente hunc sensum articuli ל *Lámed* apud Hebraeos ἐνεργείᾳ. Num autem propositum assecutus fuerit, alii iudicent. Sed demus eo loco τὸ להם *Lahém* idem valere ac Latinis IN EORVM GRATIAM: nemo inde catus elicuerit, quoties is articulus non pronomini, ut ibi, sed aut verbis, aut nominibus, tum propriis, tum etiam appellativis praeponitur, idem quoque significare debere. Soucietus tamen non Hebraeis modo, sed Chaldaeis, Syris, Arabibus, atque etiam AEthiopibus eam τοῦ ל *Lámed* usurpationem fere perpetuam esse vult: ut idem ipsis valeat, atque Graecis τὸ χάριν, ἕνεκα, et Latinis *causâ*, *gratiâ*, sive, quod eodem redit, *propter. De sorte* (inquit, Diss. sur להם *Lahém* Exod. VI. 3. pag. 491.) *que le nom à la tête du quel elle* (littera nimirum ל Lámed) *est mise, soit le nom de la chose, ou de la personne par le motif de qui, pour le bien, pour l' utilité, pour l' honneur de qui, pour qui, en faveur de qui, on fait quel-*

2011 Ministerio de Cultura

Nec pluris facienda sunt quae è diversa litterarum angularium et rotundarum in siclis et numis Hebraeorum conformatione idem Vir doctus demum elicuisse sibi visus fuit, nimirum, qui sicli aut numi quadras sive angulares litteras exhibent, antiquiores esse iis qui rotundas sive arcuatas

quelque chose, cet. Eamque ob causam *τὸ* לחרות ישראל *lecherút Israél* Latine vertit : *Ob liberationem Israëlis* : quam interpretationem et Guarinus probavit, *Gramm. Hebr. T. II. pag.* 511.

Ego vero variam multiplicemque eius litterae sive articuli vim et potestatem apud Hebraeos fuisse, non modo in Grammaticorum libris atque in eorum Linguae Lexicis, sed in Sacris praecipue Litteris iam pridem observaveram ; inque iis frequentissime usurpari, etiam cum nec *de alicuius commodo* agitur, neque *propter aliquem*, sive *in alicuius gratiam* quid gestum aut procuratum dicitur. Etenim quum ל *Lámed* nominibus Virorum propriis praeponitur *possessionem dominiumve* alicuius rei denotare solet, ut passim in Psalmorum initiis, מזמור לדוד, *mizmór le-David*, id est *Psalmus Davidis*: מצד לדוד, *metsád le-David*, *munitio Davidis* : quae Latini per Genitivum, interdum et per Dativum casum exprimunt. Quando autem nominibus appellativis iungitur, *motum*, *transitum*, *moram* quoque et *exspectationem* significat, et tunc aequivalet praepositioni Latinorum AD ; maxime vero cum praemittitur verborum infinitivis, ut cum iis efformet quae Grammatici Gerundia vocant. Exempla nullibi in Sacris Litteris non obvia. Interdum et per IN Latine redditur, ut Ps. CVI. 46. לרחמים *lerachamím* : IN *misericordias* .. Ps. CVII. 35. ישם מדבר לאגם *iasém midbár leagám*: *posuit desertum* IN *stagnum* .. Alias per IN, seu CVM. Paralip. I. XII. 20. אשר למנשה *axér li-Mnaséh* : *qui* (erant) IN *vel* CVM *Manasse*. Alias valet PER seu IVXTA. Iosue XIII. 15. למשפחותם *lemiscpechotám* : PER, vel IVXTA *cognationes suas*. Alias CORAM. Gen. XXX. 20. לפני *lephanáu* : CORAM *eo*. Alias etiam aliter : de quibus plene Guarinus *T. I. Gramm. Hebr. Chald. De praeposit. pag.* 595.

In his autem locis plane non video de *cuius commodo* aut *utilitate* agatur, nec *propter quem*, id est, *cuius demerendi gratiâ* negotium gestum aut procuratum esse dicatur. Sed neque in binis illis selectioribus quae Soucietus (*Diss. sur les médaill. Hebraïq. pag.* 38.) in sui patrocinium advocat, nimirum Exod. IV. 26. et XXXII. 25. negotii *in alicuius gratiam* susceptimentio exstat ; immo utrumque Pagninus per AD Latinorum reddit ; et posteriorem Hispana etiam Ferrariensis versio 1553. quam litterae prae reliquis adstrictam scimus. Etenim לשמצה *lescimtsáh* vertit, *para infamia* : quam vocem Vulgatus textus *propter ignominiam* Latine reddidit : sono tantum verborum, nullâ in re differentia.

Quae autem postremo loco de Augusti et Claudii numis Soucietus addit, praepostera mihi nimisque longe petita videntur ; nisi dicimus Simonem Machabaeum Romanis Caesaribus in numorum inscriptionibus efformandis exemplo praeivisse.

2011 Ministerio de Cultura

cuatas; cum has multo prae illis recentiores esse constet (12). Etenim, nisi vitiosa est collectio, eâdem opera Soucietus evincet veterem Graecum aut Latinum Codicem, immo etiam librum heri aut nudiustertius typis editum, si qua parte quadras, quas *versales* et *maiusculas* appellamus, litteras exhibet, se ipso antiquiorem fore, quatenus rotundiore seu *cursivo* charactere exaratus est; cum aeque constet quadratum scribendi genus Graecis Latinisve, prae communi et solutiore, quo vulgo nunc in utroque sermone utimur, longe antiquius esse.

Et quidem qui primi omnium litteras invenerunt in iis efformandis quadram figuram et angulares ductus incurvis seu rotundioribus praetulisse, nôrunt quicumque rem palaeographicam vel à limine salutavere: quod et primitus in omnium fere linguarum alphabetis obtinuit, donec lit-

(12) *Ensuite* (ait Soucietus Diss. sur les médaill. Hebr. pag. 115.) *je remarque que les lettres arrondies ne se trouvent, que sur les médailles, sur lesquelles on lit le nom de Simon, et les inscriptions*: Ob redemtionem Sionis: Ob liberationem Ierusalem, cet. *et qu' elles ne se trouvent point sur celles, que j' ai mises dans la quatriéme espéce, ni même sur celles de la troisiéme::: ni sur celles qui avec cets mots* siclus Israëlis, Ierusalem sancta, *ont l' époque* א. ב. Aleph Beth, *mais sans le nom de Simon, ou*: Ob redemtionem Sion. Ob liberationem Ierusalem. *Sur cela* (pergit) *voici, Monsieur, comment je raisonne. Il est certain que les lettres arrondies sont postérieures à celles dont la forme est angulaire. C' est l' usage, qui pour la commodité, et pour former plus vîte, et plus couremment les lettres, de quarrées qu' elles étoient d' abord, les reduisit à cette forme ronde*, cet. Et paucis interiectis (pag. 117. init.): *Cependant, s' il est vrai, il s' ensuit en premier lieu, que les médailles de la prémiere et seconde espéce, fabriquées au temps de Simon, sur les quelles je trouve de ces charactères arrondis, plus ordinairement même que les autres, sont plus recentes que les simples sicles* שקל ישראל, sékel Israél: ירושלים הקדושה, Ierusaláim hakedósah: *sur les quels je ne trouve aucun de ces charactères plus nouveaux, pas même une fois; et que celles-ci sont plus anciennes, que celles de Simon, et nous viennent d' un siécle où le changement des lettres n' étoit point encore introduit.*

2011 Ministerio de Cultura

litterarum acies hebescere, sensimque in arcuatam figuram inclinare coepit. Hinc paulatim factum, ut compendii atque expeditioris scripturae gratiâ, nonnullae ex arcuatis sive incurvis litteris in vetera alphabeta irreperent, et cum quadris in promiscuo usu essent: quod non antiquae modo litterarum apud Graecos et Latinos formae, sed numi etiam nostri apertissime declarant, in quibus et quadras sive angulares litteras, utcumque origine priores, et arcuatas sive incurvas passim et indistincte atque eodem tempore ab Hebraeis usurpatas fuisse videmus. Atque existimo Simonem, quas litteras siclis numisque insculpi iussit, ex vetere aliquo Hasmonaeorum gentis cimelio desumsisse, in quo priscae Hebraeorum litterae, sed utrâque, id est rotunda et angulari formâ, auro, argento, aere aut ebore incisae servarentur. Quae de Soucieti placitis (13).

Ga-

(13) Hoc amplius existimavit et probandum in se recepit Soucietus, phrases et vocabula omnia Samariticis numis insculpta Hebraici sermonis propria esse, ne quidem excepto τῷ חרות *cherút*, quo sensu à Simone adhibitum fuisse constat, nimirum ut *libertatem* significaret. *Je considere donc* (inquit Diss. sur les méd. Hebr. pag. 27.) *touts les mots, toutes les phrases dont ces inscriptions sont composées; et je n' y vois par tout que des discours purement Hebraïques, et des tours particuliers à cette langue, sans mélange d' aucun mot Chaldéen, Syriaque, ou Samaritain*, cet. Et paulo inferius (*pag.* 28.) signanter de voce חרות *cherút* haec habet: לחרות ישראל (lecherút Israél) Ob liberationem Israëlis; לחרות ירושלם (lecherút Ierusaláim) Ob liberationem Ierosolymae::: *sont aussi dans le genie de cette langue* (Hebraïque). *Mais avant que d' en apporter les preuves*, cet. Et pag. 38. *Mon explication ainsi prouvée je ne m' étendrai point à montrer que* לחרות (lecherút) *et* לגאלת (legeulát) *en ce sens* (*libertatis*, nimirum et *redemtionis*) *sont de pur Hébreu. On peut voir une des Dissertations suivantes, où à l' occasion du troisième verset du Chapitre sixième de l' Exode, j' ai prouvé que la preposition* ל Lámed *a cette force.* Atqui non de praepositionis sive articuli ל *Lámed*, sed de vocis חרות *cherút* Hebraica proprietate dubium occurrebat; et neutrubi Soucietus fidem, quam obstrinxit, liberat. Nos eam vocem, cum ad *libertatem* significandam adhibetur, Chaldaicae aut Syriacae, sive etiam Arabicae ori-

2011 Ministerio de Cultura

Gagnierius et Kochius, verborum apud Hebraeos compendia, quas *cifras* vocamus, ceu recentiora et à Simonis et Machabaeorum aetate aliena respuunt (14), vel ipsi uno numorum de quibus agimus obiectu respuendi.

De typo, seu de palma et vitis folio, quod reliquum erat, superiore capite à nobis dictum.

Atque hinc horum numorum raritas aestimanda, quod nulli è praelaudatis à nobis Scriptoribus unum aliquem eiusdem commatis archetypum videre contigerit, quodque in tanta doctorum Virorum copia, qui ab anno MDCLXVI. de Samaritanorum numis tractavere, nemo post Bouterouvium similem alium ad hanc diem protulerit, aut eius meminerit. Sed neque in Angliae Museis exstare Cl. Woide in suis ad me litteris testatus est.

Terni iam minores, quos Tabula exhibet, numi veniunt nobis ordine, atque eâdem opera explicandi; nam non similes modò, sed pares omnino sunt, seu typum et scripturam, sive modulum, pondus et fabricam consideres. Accedunt autem ad sextantis sicli formam, suntque iis simillimi, quorum ectypa Relandus et Spanhemius protulere (15); nec

originis, atque adeo Hebraico sermoni adscititiam esse fuse probavimus, suprà Cap. I. Not. 27.

(14) *Gagnierius* (Epist. de num. Samar. ap. Vgolin. T. XXVIII. col. 1284.) *Litterae* (inquit) דכר *aut* ארכר *falso* (à Relando) *putantur esse* ciphrae, *aut litterae numerales: quia haec consuetudo recens est apud Hebraeos, et nullum exstat exemplum in textu Hebraeo Scripturae. Kochius autem* (De numor. Hebr. inscr. Samar. T. XXVIII. Vgolini col. 1299.) *Nam quas Relandus nobis facit nominum decurtationes, vel abbreviaturas, sic ut* ח. *pro* חרות cherút *positum sit, probare non possumus; quippe quas à numis et temporibus illis alienas opinamur*, cet.

(15) *Relandus* Diss. IV. de num. Samar. Tab. VI. nn. 1. 2. 3. 4. *Spanhemius* De praest. et us. num. T. I. Diss. II. Edit. Londin. pag. 67.

2011 Ministerio de Cultura

nec circa structuram aliud in iis observatu dignum occurrit, nisi quod eorum area, qua parte urnam sive urceum exhibent, aliquanto latior atque exporrectior, prae illa est in qua pampinus seu vitis folium conspicitur. Quod quia in numis ad tertium quartumque principatûs Simonis annum spectantibus itidem à nobis observandum veniet, eius rei rationem consulto in opportuniorem locum reiicimus.

Pondus priori, seu numeri v. granorum 43: secundo, seu numeri VI. granorum 39: tertio, seu numeri VII. granorum 61.

Inscriptio ab utraque facie omnibus una est atque eadem, nimirum adversae שנת שתים *scenát scetáim*: *Anno secundo*; aversae חרת ציון *cherút Tsión*: *Liberatio Sionis*. Vtraque autem per se stare hoc loco potest, cum חרת τὸ *cherút* articulo destitutum sit, cuius ope posterius comma cum priore coniungendum erat. Verum et absque expresso articulo coniungi posse existimo, ut ex utroque confiat: *Anno secundo liberationis Sion*; cum eiusmodi articuli tacite his locutionibus inesse soleant (16). Si quis autem recto casu *Annus secundus* legere malit, quemadmodum legisse videtur Ottius (17), non repugno; cum eadem utrovis modo sententia futura sit; neque si inverso ordine שתים שנת *scetáim scenát*, sive *secundo anno* legeris: id quod litterarum in

(16) Deficientium et redundantium articulorum ה *He* et ל *Lámed* exempla profert *Guarinus*, Gramm. Hebr. Chald. T. I. lib. II. *De Syntaxi simplici* cap. I. art. 1. et 2. et cap. VII. art. 3. §. 3. et alii passim Grammaticorum libri.

(17) *Haec coniungamus* (inquit Ottius Epist. ad Reland. prid. Cal. Mart. 1704.) *et habebimus sensum plenum* שנת שתים (scenát scetáim) Annus secundus: *quemadmodum in superioribus habuimus* Annus quartus, cet.

2011 Ministerio de Cultura

in numis situs exposcere quodammodo videtur ; sed Hebraicae linguae genius huiusmodi metatheses non amat.

In voce חרת *cherút* illud singulare est, quod in his numis perpetuo sine ו *Vau* scribatur : quod casune an consilio factum sit, incertum mihi est. Existimo tamen utramque eius vocis orthographiam in promiscuo usu apud Hebraeos fuisse, non secus atque illa τοῦ *Ierusalem* cum *Iod* et sine *Iod*.

Vocem ציון *Tsión*, quae in numis nostris reliqua est, à primi anni siclis semisiclisque et numis abesse vidimus, eaque nunc primum in scenam prodit ; cum non nisi ineunte secundo principatûs Simonis anno, sive Erae Alexandri CLXXI. Ierosolymorum arx recuperata à Iudaeis fuerit (18). Hanc vocem in Hebraeorum numis ab Ill. Nicolao Toinardo primùm detectam fuisse, tradit Relandus (19). Verum quia in tertii et quarti Simonis anni numis multo quam in secundi frequentius occurrit, de ea nos, ubi de sequentium annorum numis egerimus, paulo uberius disseremus.

Ad scripturae rationem quod attinet ea in numis nostris,

(18) I. Machab. XIII. v. 51.

(19) *Adeoque* (inquit Relandus Diss. IV. de num. Samar. pag. 133.) *cum de forma litterae* Mem *certus essem, vidi non legendum esse quod antea opinabar* מיון (Mión *seu* Miiaván) à Graecis, *sed* ציון Tsión; *et in his duobus capitibus, statim ut vidi, accessi sententiae tuae* (nimirum Ottii) : *quam et Cl. Harduinus pro vera agnovit, et ante ipsum* (*ut me docuit Vir egregius Ioannes Massonus*) *nuper magno rei litterariae damno nobis ereptus Nicolaus Toinardus primus prodidit.* Huius ego doctissimi Viri schedas *De numis Samaritanis* quae à Relando, Spanhemio, Montfauconio et aliis passim, at numquam sine multa laude citantur, quasque iam dudum Orbis Eruditus avidissime ut publici iuris fiant exspectat, videre numquam potui: quamvis nihil non egerim ut quovis mihi pretio pararentur. Amo tamen eximii Viri memoriam, eiusque laborum et vigiliarum vicem doleo.

2011 Ministerio de Cultura

stris, itidem atque in siclis et semisiclis, quadra est. Formae litterarum angulares, ne ϖ *Scin* quidem exceptâ, quae vel in aliis numis quadram scripturam prae se ferentibus rotundâ forma depingi solet. Id autem mirifice confirmat quod paulo antè dicebamus, utramque scribendi rationem, quadram sive angularem, et rotundiorem sive expeditam in promiscuo usu apud Hebraeos fuisse, atque eodem tempore usurpatam. De peculiaribus autem singularium quarumdam litterarum formis atque ἰδιότεσι, dicendum, ubi alphabeta, quae è numis nostris eliciuntur, in medium proferemus.

Superest ut de diota, id est utrimque aurita urna, seu potius urceo qui in numis nostris conspicitur, nonnihil edicamus, quandoquidem de pampino seu vitis folio quod in aversa gerunt alibi à nobis dictum. Et quidem eo vas itidem illud significari Viri docti existimant, quo Manna in sacra Arca Foederis ad saeculorum monumentum Dei iussu et Moysis procuratione repositum fuisse dicebamus, cum de vase illo patulo quod in siclis et semisiclis conspicitur, sermo nobis erat. *Etenim Hebraei* (ut Relandi verbis utar) *cum observassent alias Gentes, Deos Geniosque suarum urbium tutelares, vel sacra quaedam vasa numis suis imprimere: hoc etiam voluerunt in suis numismatibus exstare Omnipotentiae Divinae, et curae quam pro iis provida Numinis sapientia gesserat, adeo manifestum indicium* (20).

Atque huius urnae sive urcei figura insigni Apionis in

(20) Adrianus Relandus Diss. II. de num. Samar. pag. 28.

2011 Ministerio de Cultura

in Iudaeos calumniae occasionem praebuisse potuit, cum eos incusat *quasi caput asini in templi sacrario collocassent, illudque coluissent, tantaque religione dignum aestimassent,* subdens: *hoc mysterium fuisse depalatum, dum Antiochus Epiphanes, et exspoliasset templum, et illud caput invenisset ex auro compositum, et multis pecuniis dignum*, ut est apud Latinum Iosephi interpretem (21). Etenim cum in templi sacrario nihil fuisset praeter arcam cum thuribulis, in qua binae lapideae tabulae, urna Mannae, virga Aaronis, et supra arcam Cherubim: nihil erat proinde quod figurâ caput asininum referret, aut cui vafrum Apionis commentum sub aliquo veri colore posset appingi, praeter urnam, quae, quòd ventre esset superne expanso, inferne contractiore, prominentesque hinc inde ansas, sive auriculas haberet, asinini capitis ideam qualemcumque obiicere oculis potuit. Antiqui enim ansas auriculas (22), et vasa δίωτα, sive utrimque ansata, ὄνους, id est *asinos* appellavere (23): de qui-

(21) *Iosephus* contra Apionem lib. II. n. VII. Ed. Amst. pag. 475. De aliis Iudaicae Genti appictis calumniis vid. *Iuvenal.* Sat. XIV. à vers. 97. et *Tacit.* Histor. lib. V. c. 4.

(22) Isidor. Etymol. lib. XVI. c. 26. *Amphora sic dicta quod eius ansae geminatae, videantur aures.* Et Homero *Iliad.* Ψ. v. 264. τρίπους ὠτώεις: *tripus ansatus*, id est δίωτος, sive *utrimque auritus.* Item Iliad. Λ. v. 632. περὶ δέπατος τετραώτου, id est *de poculo quatuor aurium* loquens, ait

. . . . . ὄυατα δ' αὐτοῦ
Τέσσαρ' ἔσαν . . . . . .

id est: *ansae autem ipsius quatuor erant.*

Hispani doliola vinaria fictilia in quotidianum haustum haberi solita, è quibus fistulae ope vinum educitur, et in minora vasa permeat, *candiotas* vocamus, quasi *cantharos diotos*; proprie autem id nomen nisi vasis utrimque ansatis sive auritis non convenit. Hor. *Lib. I. carm. IX.*

Deprome quadrimum Sabinâ,
O Thaliarche, merum *diotâ*,

id est: *è vase hinc inde ansato vel aurito.*

(23) *Aristophanes in Vespis*, vers. 614.

Κἂν οἴνόν μοι μὴ 'κχῇς σὺ πιεῖν, τὸν
ὄνον τόνδ' ἐσχεκόμισμαι
Οἴνου μεστόν.

id

2011 Ministerio de Cultura

quibus multa et praeclara Relandus (24); alii tamen appictam Iudaeis calumniam ex similitudine vocum Hebraicarum חומר *chomér*, *mensura*, *urna*, et חמור *chamór*, *asinus* (25); alii aliunde enatam existimant (26). Nobis ea indicasse sufficiat.

Numos de quibus agimus non esse usque adeo raros indicant varia eorum ectypa è Wildii, Fromontii, Loydi, et Comitis Pembrochiae cimeliis profecta. Verum, meo iudicio, nullus Hebraeorum numus non rarus, nonque magni faciendus est; et video acriore eos studio, atque exquisitiùs in dies ab Eruditis expeti.

Primum autem omnium Gagnierium *anni secundi numum in quo erat urna Mannae* contecta (quod apprime notandum) *cum litteris* שנת שתים scenát scetáim, *sive* anno secundo, *recte legisse atque explicasse*, tradit Kochius, *adiutumque in eam rem fuisse sex similium numorum ope quos in Anglia apud Guilielmum Loydum Iuniorem, et Comitem Pembrochiae viderat* (27). Eum autem numum Kochius ex-

Id est: *Sin vinum ad bibendum tu mihi non infuderis, hunc* asinum (id est poculum utrimque ansatum) *attuli vino plenum.* Ad quem locum Scholiastes: Ὄνον. Scholia: Εἶδος ἀγγείου· ἴσως διὰ τὸ διάπλασμα ἔχειν ὄνου μορφήν· *Vasculi genus; ita dictum quia eius structura referret asini formam. Aut*, ut aliis placet, *quia fremitum quemdam excitaret infuso liquore.*

(24) Dissert. II. de numis Samaritanis à pag. 32.

(25) Christianus Wormius: *De corruptis Antiquitatum Hebraear. vestigiis. Epist. ad Lectorem Lib. I. praefixa*, ap. Vgolin. T. II. Thesauri col. VI.

(26) *Sam. Bochartus*, quia mendacium de asini capite *Iudaeorum*, ut Tacitus ait, *penetralibus sacrato* ab Apione, AEgyptio homine, impudentissime confictum noverat, eius originem ex AEgyptia lingua repetere maluit, in qua τὸ ΠΙΕΩ idem valere ait, atque apud Graecos ὄνος, et Latinos *asinus*. Reliqua quibus coniecturam suam fulcit apud Eum videnda *Hieroz. Lib. II. cap.* 18. *circa fin.*

(27) *Reliquos* (inquit Kochius Diss. *De numor. Hebr. inscr. Samar. n.* VII. ap. Vgolin. T. XXVIII. col. 1300.) *huius anni* (secundi) *numos persequamur. Et primum quidem illum quem Cl. Relandus ex ci-*

2011 Ministerio de Cultura

exhibet in Tabula eiusdem opusculo subiecta num. 6. idemque ille est quem Relandus è cimeliarchio Iacobi de Wilde quarto loco retulit in numorum ectypis priori Dissertationi praemissis.

Ego hanc laudem Gagnierio invidere nolim. Scio tamen certam atque indubiam numorum secundi Simonis principatûs anni lectionem atque interpretationem à Ioanne Baptista Ottio iam inde ab anno MDCXCVIII. è binis exesis ac multum detritis in quos inciderat numis (28) erutam fuisse. Quamvis enim Ottii ad Relandum epistola, in qua ii numi explicantur, ineunte demum anno MDCCIV. scripta fuerit, in ea tamen Ottius fidem Relando facit se eadem sexennio antè Fromontio de ipsismet numis consulenti respondisse (29).

Verum nec numus, quem primùm et recte à Gagnierio lectum Kochius edixit, quique ab utroque ad annum secundum refertur, ad hunc annum pertinet, sed omnino ad tertium principatûs Simonis referendus est. Quod ut

cimeliis Wildianis protulit, et num. 4. *expressit in Tabula Diss.* 1. *pag.* 1. (Kochius autem recudit n. 6.) *in cuius facie una est urna Mannae* contecta : : : *cum litteris* שנת שתים scenát scetáim, *quae* annum secundum *significant*: *prouti primus* Gagnierius *recte legit*, *sex similium numorum quos in Anglia partim apud Loydum Iuniorem*, *partim apud Comitem Pembrochiae viderat*, *ope adiutus*, cet.

(28) Habentur horum numorum ectypa ap. Reland. in Tabula v. numorum Epistolae Ioannis Baptistae Ottii praefixa num. 3. pag. 51. quam vide.

(29) *Sexennium est* (inquit Ottius ad Relandum scribens in Epistolae exordio) *et quod excedit*, *ex quo Nobilissimus* Fromont *exul Gallus ex uberrimo et rarissimo Museo suo mecum communicavit binos aeneos numos ex Samaritanis* : : : *ad quos oppido accesserunt duo alii eiusdem moduli* num. 3. (hi sunt quos Ottium recte legisse atque interpretatum fuisse dicebamus); *ac scire petenti*, *quae figurae*, *quae litterae*, *quae significationes essent*, *id respondi quod brevi epitome huc exponam*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

ut fiat dilucidius numi ectypum sistere placuit, cuiusmodi apud Relandum exstat.

Tab. Diss. I.ae praefixa, num. IV.



In eo Gagnierius cum post τὸ שנת *scenát*, *anno*, quae vox perspicue legitur, Samariticum ש *Scin* supra urnam observasset, existimavit eam litteram principem esse τοῦ שתים *scetáim*, *secundo*, reliquasque eius vocis litteras è vestigio supplevit, atque adeo numum ad secundum Simonis annum retulit; sed non animadvertens eamdem litteram ש *Scin* primam quoque omnium esse in voce שלוש *scelósc*, *tertio*, quae vox ex typo aliisque numi adminiculis eo loco pro שתים *scetáim* suppleri ac reponi omnino à Gagnierio debuit: tum quia nulli Hebraeorum sub Simone numi urnam contectam exhibent praeter eos qui ad tertium eiusdem principatûs annum spectant, ut ex varia et multiplici eorumdem numorum observatione didicimus; tum quia in eo numo littera ש *Scin* acuminato urnae operculo insidens ipsique quodammodo inequitans conspicitur, quae altera est notio atque διάκρισις numorum anni tertii, ut in iis quos capite sequenti proferemus, et in eorumdem ectypis quae vulgo circumferuntur observare licet; et praeterea, qui numi ex aereis minoribus secundum *liberatae Sionis* annum ge-

2011 Ministerio de Cultura

gerunt, omnes Samariticum *Mem* hac figurâ 𐤌 supra urnam patulam exhibent, ut non modo in ternis nostris, sed in Bouterouvii, Relandi, Ottii, Spanhemii, Froëlichii, et aliorum ectypis apparet.

Praeterea Gagnierius, eodem Kochio attestante, Iobi Ludolfi numum quem Relandus *Tab. I. num.* 6. exhibet, ad hunc sive ad secundum Simonis annum retulit: eius literas, quas Relandus tantum ex parte noverat, integras collegit; iisque annum secundum, non quidem adeptae per Simonem libertatis, sed peractae à Iuda Machabaeo sollemnis Templi dedicationis, sive Erae Alexandrinae CXLVIII. significari voluit (30). Quae quamquam mera sint vigilantis somnia, ut suo loco ostendemus (31): tantam nihilominus Ei laudem apud Kochium promeruere, ut pronuntiare nihil dubitet Gagnierium in Samaritanorum numis illustrandis longe omnium felicissime versatum fuisse; immo etiam, si quis adhuc in Eruditorum cimeliis superest numus ἀνερμήνευτος, sive inexplicabilis, exoptet, postuletque ut eius enodationem aliquis sibi Gagnierius elargi-

(30) *Numus* (ait Kochius Diss. De num. Hebr. inscript. Samar. num. VI.) *altera parte Templum exhibet cum litteris quas Cl. Relandus* Diss. I. de num. Samar. pag. 45. 46. *ex parte, Doctissimus autem Gagnierius integras collegit*, et שנת שתים, (scenát scetáim) annum secundum *significare docuit*: secundum *nempe dedicationis Templi, Erae Alexandrinae* CXLVIII. *ante Nativitatem Christi* CLXI. *quamquam pro ea qua est modestia nihil definire ausus*, cet.

(31) Ludolfi numus, meo quidem iudicio, ad primum Simonis annum pertinet. In eo certe pro שנת שתים *scenát scetáim*, sive *anno secundo*, omnino legendum est, שמעון *Simhón*, quemadmodum Ottius et Hottingerus legêre; neque ad annum secundum peractae à Iuda sollemnis Templi dedicationis; sed ad primum *Libertatis Ierusalem*, id est ad CLXX. Erae Seleucidarum referendus. Nos eius ectypum explicatum dabimus inf. cap. VI. quo loco *De numis qui epochen adscriptam non habent* sermo nobis erit.

2011 Ministério de Cultura

giri velit (32). Quae cum apud Kochium legerem, succurrebat Aristophanaeus ille Chremylus Plutum praeeuntem sequens (33); nec multo oculatiorem reputabam, qui tot Gagnierii errores calculo suo comprobasset.

Verum his omissis, quae nihil ad rem nostram faciunt, illud postremo in secundi anni numis observandum, quod in universum sicli et semisicli, item terni illi maiores numi superius descripti, in quibus *Israëlis* tantum et *Ierusalem* mentio exstat, sub eiusdem anni initia, et ante diem tertiam et vigesimam secundi mensis percussos fuisse; ternos autem minores reliquos, in quibus *Sionis* nomen legitur, post eam diem, atque adeo post arcem à Simone recuperatam; cum constet Iudaeos Sionem ingressos fuisse *tertia et vigesima die secundi mensis*, *anno* CLXXI. (34), qui secundus Simonis imperii fuit. Item, *Simonis* nomen post occupatam à Iudaeis arcem amplius in numis non exstare: quod utrumque non parum adiumenti allaturum spero ad ea quae supersunt intelligenda.

CA-

(32) *Quod si Gagnierius vir Cl.* (inquit Kochius De num. Hebr. inscr. Sam. n. VII.) *sex numos huius eiusdem formae nactus est, uti loco citato scribitur : : : non morabimur Eius sententiae accedere, quippe qui in his numis illustrandis longe omnium felicissime versatus sit, meruitque ut sua interpretatio immortali Operi Spanheimiano* De usu et praest. numism. *insereretur*, cet. Quod item repetit n. XII. Sed n. X. *περὶ ἀνεμφυήτου*, seu *de nondum explicato* Simonis numo loquens, in quo eius nomen intra sertum laureum transpositis litteris exaratum visitur, haec addit: *Sed huius quidem inscriptionis enodationem petimus nobis ut aliquis Gagnierius elargiri velit*, cet.

(33) In Pluto Scen. I. à v. 10.

(34) I. Machab. XIII. v. 51.

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT QVARTVM.

De numis tertio principatûs Simonis anno percussis.

NVMOS ad tertium Simonis annum pertinentes, qui hoc loco veniunt à nobis explicandi, non tam structura aut typi elegantia, quam raritas eximia commendat. Pauci hactenus visi, iique omnes aerei, atque eiusdem commatis ac moduli, scilicet minimi; cum eorum qui secundo et quarto *liberationis Israëlis et Sionis* anno percussi fuere non unum genus in Eruditorum cimeliis exstet, nec rara appareant ipsorum ectypa. De siclis autem et semisiclis iam olim in VI. praenotabilium ediximus, ultra secundum Simonis annum in iis percutiendis processum ab Hebraeis non fuisse. Ex quibus coniicere pronum est, anno Simonis tertio non aeque florentes res Iudaeorum fuisse, ac binis qui praecesserant, quique mox eum excepit, seu principatûs eiusdem quarto.

Annum tertium qui referrent numos nondum vidimus (ait alicubi Kochius), *sive quod pauci anno tertio libertatis cusi sunt, eoque rariores in has oras pervenerint, sive quod nondum ex cimeliarchiis prolati* (1). Relandus unicum protulit in quo ternae priores litterae שנת *scenát*, *anno*; et ש *Scin*, princeps penitus exesae vocis שלוש *scelósc*, *tertio*, conspi-

(1) Diss. *De num. Hebr. inscript. Samar.* n. XI. ap. Vgolin. T. XXVIII. col. 1304. quo loco praeclare, more videlicet suo, de numis ad tertium Simonis annum pertinentibus disserit, seu potius nugatur.

2011 Ministerio de Cultura

spicuae sunt (2). Ipse tamen eum non videtur agnovisse, neque tertio Simonis anno adscripsit, immo in alia ivit omnia (3); cum vel una, quam numus exhibet, contecta urna cum ש *Scin* operculo eius insidente, omnem ei de hac re dubitationem adimere debuisset.

Soucietus, vel post absolutam egregiam Dissertationem de Hebraeorum numis, persuasum habuit, nullum omnino à Simone, aut tertio eiusdem principatûs anno, percussum fuisse. Cum autem praeter spem et cogitationem omnem in alterum postea eorum incidisset, miris illum mactat elogiis et singularem in terris depraedicat (4). In ectypis certe numorum Hebraicorum quae vulgo circumferuntur

(2) Diss. 1. *de num. Samar.* Tab. 1. n. 4. Idem autem hic numus ille est *quem à Gagnierio primùm et recte lectum* Kochius pronuntiavit; atque ab utroque ad secundum Simonis annum relatus fuit; cum nihil sit à veritate alienius, ut paulo antè dicebamus.

(3) *Quartus Tabulae primae numus* (inquit Relandus Diss. 1. de num. Samar. pag. 40.) *vas aliquod sacrum, ut coniicimus, ab una parte exhibet, et litterae circum illud conscriptae vocem* שנתא (scenatá) annum *efficiunt, uti nos quidem existimamus. Vltima littera, fateor, in numo magis accedit ad figuram litterae* Scin, *quam* Aleph. *Sed in forma huius numi et dispositione characterum multa notamus inordinata, unde facile* Aleph *in hanc figuram degenerare potuit. Si tamen quispiam illam figuram pro* Scin *habeat, legat* שנת ש.. : Anno trecentesimo, cet.

(4) Soucietus (*Diss. sur les médaill. Hebraïq. pag.* 85.), J' ai commencé, et , fini ma Dissertation persuadé qu' il n' y , en avoit aucune de cette année là. Car , après avoir soigneusement cherché dans , tous les Auteurs que j' ai pû connoître, , qui ont parlé de Médailles Samaritaines, , et dans tous les Cabinets, où j' ai seu , qu' il y en avoit, et où j' ai pû avoir en- , trée, je n' en rencontrois aucune en quel- , que métal, ou en quelque espéce que , ce fût, qui eût l' époque de la troisié- , me année. Depuis j' en ai découvert , une tres petite de bronze dans le Cabi- , net du R. P. De Vitry, de nôtre Com- , pagnie, et dans celui de Monsieur de , Bose, sur la quelle je lis ces mots au re- , vers שנת שלוש (*scenát scelósc*) *Anno* , *tertio.* C' est la seule que j' aie pû ren- , contrer jusqu' à présent, la seule vraye , peut être, qui soit au monde, la seule , au moins qui ait paru jusq' ici portant , clairement cette époque, *cet.*

2011 Ministerio de Cultura

tur vix unum eius commatis aliquem reperias, nisi apud Pembrochiae Comitem (5). Neque in generali numorum Samaritanorum typo, quem Ioannes Henricus Huberus grandiori charta impressum alicubi in Germania vulgavit, tertii Simonis anni numus exstat, praeter illum Relandi paulo antè à nobis descriptum (6).

Nos quatuor eius anni numos indubios nacti sumus, quos et Lectorum oculis subiicimus; atque item alium de quo nonnihil haeret scrupuli, ad tertiumne, an ad secundum Simonis annum referri debeat. En illos.

Pondus omnibus idem fere est, nimirum primo, granorum 39: secundo, granorum 42: tertio, 59: quarto, 42: quinto demum, granorum 44.

Inscriptio omnino eadem, scilicet hinc שנת שלוש *scenát scelósc*, *annus tertius*; inde vero חרות ציון *cherút Tsión*, cum interiecto ו *Vau*, id est *Liberatio Sionis*. Vtraque autem et hoc loco per se stare potest, cum τὸ חרות *cherút* articulo careat; nisi malumus posterius comma cum priore coniungere, ut legatur: *Anno tertio liberationis Sion*. Fabrica demum omnium una est atque eadem, non solum si inter se, sed etiam si cum ternis minoribus anni secundi numis conferantur, quod vel primus simplexque eorum aspectus indicat; et, si priorem excipias cuius utraque

(5) Part. II. pag. 85. n. 5. in quo itidem *contecta urna*, et supra eam τὸ ש *Scin*, nonnihil tamen sede sua motum, conspicitur, cum inscriptione utrimque integra, nimirum שנת שלוש *scenát scelósc*, *Anno tertio*: לחרות ציון *lecherút Tsión*, *libertatis Sion*: praefixo articulo ל *Lámed*.

(6) Ioannes Henricus Huber (quod incisoris nomen videtur esse) in *Typo numor. Samaritan.* incertum quo loci edito.

2011 Ministerio de Cultura

TYPVS NVMORVM ANNI TERTII.

Penes nos.





Aug. Estève delin.

Ferd. Selma inc.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

que facies aequalis est, terni sequentes patentiorem habent aream quae urnam, prae ea quae pampinum gerit: quod in omnium postremo, seu numeri quinti, secus accidit, ut numorum ectypa satis ostendunt.

De typo nihil dicendum superest, nisi repetamus urnam contectam esse mucronato operculo, quod ab inferiore labro ad summum usque culmen mirabili artificio in areolas dividitur. Soucietus eius quem viderat numi ectypum non dedit, contentus adversae inscriptionem retulisse; nihil tamen ambigo quin itidem in eo contecta inspicienda esset urna cum Samaritico ש *Scin* operculi apici insidente et plane inequitante, quemadmodum in numis nostris visitur.

Nec demum circa scripturam quidquam occurrit notandum, nisi quod litterae in numis nostris perpetuo quadrae sunt sive angulares, itidem atque in minoribus secundi Simonis anni numis, atque in siclis et semisiclis.

Verum de voce ציון *Tsión*, quam in secundi anni numis primum insculptam diximus, est quod adiiciamus. Etenim cum constet *anno* CLXX. *Graecorum ablatum fuisse iugum Gentium ab Israël*; arcem vero Vrbis seu montem Sion non eodem, sed ineunte sequenti anno à Simone receptam, neque populum eam ingressum fuisse nisi *tertia et vigesima die secundi mensis anni centesimi septuagesimi primi*: sunt qui inde eliciant, numos *liberationem Sionis* praeferentes, utut annum secundum expressum habeant, re ipsâ ad tertium principatûs Simonis annum referendos.

Et-

2011 Ministerio de Cultura

Etenim qui primus receptae Sionis annus est, seu Graecorum CLXXI. is secundus est libertatis Ierusalem: qui secundus ab arce recuperata, tertius ab Vrbe libera; et sic deinceps (7).

Haec tamen, utut veri speciem prae se ferant, parum mihi probabilia videntur. Nam quemadmodum in Hebraeorum numis voces חרות *cherút* et גאלת *geulát* (quarum illa cum vocibus *Ierusalem*, *Israël* et *Sion* frequentissime coniungitur; haec vero sive גאלת *geulát* cum binis tantum postremis) pro generali Iudaeorum Gentis *liberatione* et *redemtione*, ac promiscue usurpari videmus: ita voces *Ierusalem*, *Israël* et *Sion*, ubicumque in Hebraeorum numis exstent, indistincte et generatim pro universo Iudaeorum populo usurpatas fuisse existimo, ut et in Sacris libris passim

(7) Cramerus (*Theologia Israëlis lib. II. cap. I. ap. Reland. Diss. III. de num. Hebr. p.* 102.) scribit, *Eram* לגאלת ציון legeulát Tsion, vindicationis Sion, *initium capere à vere anni* 171. *quo Simon arcem Sionis occupavit*; *at aliam epocham quae hanc anni spatio praevertat in numis notatam, hoc titulo*, לחרות ירושלים lecherút Ierusaláim, libertatis Ierusalem, *exordium sumere ab autumno anni* 170. *quo Demetrius Syriae Rex Iudaeos à tributis liberos pronuntiavit*. In eamdem fere sententiam disputat Soucietus (*Diss. sur les méd. Hebraïq. à pag.* 35.) nimirum ut adstruat bina haec commata: *Annus quartus*, ex. gr. et *Liberatio Sionis* coniungenda non esse, neque alterum ab altero pendere, ut legatur *Annus quartus liberationis Sion*; sed utrumque per se stare. Froëlichius (*Annal. Reg. Syr. Proleg. cap.* 3.) tum demum signari coeptos Simonis numos existimat, *cum capta arce Sionis, ac celebratis sollemnibus festis, constabilita est liberatio Ierusalem et firmatus Simonis principatus*: quae cum anno CLXXI. contigerint, elicit ab eius anni vere numorum Hebraicorum epochen auspicandam. Verum si non nisi post receptam Sionis arcem numi cudi coeperunt, cur in numis primi Simonis anni, atque in eiusdem siclis et semisiclis, nulla *Sionis* mentio exstat, sed tantum *Israëlis* et *Ierusalem*? An omissurus esset Simon memoriam recuperatae ab eo Sionis, quae arx urbis Ierusalem faucibus impendebat *et qui in ea erant* (Graeci) *procedebant et contaminabant omnia quae in circuitu Sanctorum sunt*, ut I. Machab. XV. 36. legitur?

2011 Ministerio de Cultura

sim (8); ac proinde tam in numis qui *Sionis*, quam qui *Ierusalem* atque *Israëlis* nomina prae se ferunt, unam eamdemque epochen designari, nimirum annum centesimum septuagesimum Erae Seleucidarum seu Graecorum, quo *iugum Gentium ablatum fuit ab Israël, coepitque populus scribere in tabulis et gestis publicis*: Anno primo sub Simone, magno duce et principe Iudaeorum.

Id ut clarius ostendamus, observanda haec sunt. I. Siclos Hebraeorum, qui ad primum adeptae per eos libertatis annum pertinent, *Israëlis* et *Ierusalem* nomina prae se ferre; numos autem, *Simonis* nomen cum elogio *Principis Israëlis*. II. Nullum penitus exstare numum, saltem hactenus observatum non fuisse, qui prae se ferat *annum primum liberationis* seu *redemtionis Sion*. (9) III. Siclos ad annum secundum spectantes *Israëlis* itidem ac *Ierusalem* nomina exhibere: maioris moduli numos *Simonis* et *Israëlis*; minores vero omisso Simonis nomine *annum secundum* in

(8) *Et dicas ad Sion: Populus meus es tu.* Isaïae LI. v. 16. Et passim: *Captivitas Sion: Exurgens misereberis Sion: Deus salvam faciet Sion: Diligit portas Sion: In Sion magnus: In bona voluntate tua Sion.* Eadem de *Israële*, et *Ierusalem*, atque item de *Iacob* frequentissime in Sacris libris.

(9) Froëlichius (*Annal. Regum Syr. pag.* 77.) inter numismata Hebraica Simonis Machabaei, alterum recenset cum epigraphe *anno primo redemtionis* SION, citans Tabulam XVIII. in qua veteres Hebraeorum numos collegit atque insculpsit sub eius operis finem. Verum nec ibi, neque alibi eam epigraphen reperire mihi licuit, immo nec alicubi sub caelo exstare arbitror. Certe ab Eruditis hactenus observata non fuit.

* Postquam haec edenda permiseram pervenit ad manus meas *Froëlichii Annalium Regum Syriae Apologia adversus Gottlieb. Wernsorfii commentationem*, cet. *Viennae Austriae* 1749. *à quodam Soc. Iesu Sacerdote edita*: quo in opere pag. 151. et 236. seqq. Cl. Auctor multis contendit potuisse quidem cudi à Simone numos cum epigraphe *anni* 1. *redemtionis Sion*; eos tamen numos non profert: de quo nos fortassis alias.

2011 Ministerio de Cultura

in adversa gerere, in aversa autem *redemtionem Sionis*, et (quod maxime notandum) tunc primum in Hebraeorum numis *Sionis* mentionem iniectam fuisse. IV. Numos omnes qui ad annum tertium et quartum spectant, eumque expressum in adversa exhibent, *Sionis* nomen in aversa gerere, nulla iam amplius *Ierusalem*, aut *Israëlis* mentione facta.

Ex quibus mihi videtur confici annos *liberationis et redemtionis Ierusalem*, *Israëlis*, *et Sionis*, qui in Hebraeorum numis indicantur aut exprimuntur, eamdem omnino epochen importare, nimirum adeptae per eos libertatis à Graecis, sive annum CLXX. Erae Seleucidarum, quo iugum Gentium ablatum fuit ab Israël. Etenim si Hebraei seiungere voluissent annos *redemtionis Sionis* ab annis *liberationis Israëlis* et *Ierusalem*, atque à recuperata Sionis arce novam sibi epochen statuere: eius epoches initium minime omississent, cudissentque proculdubio numos quibus *annus primus redemtae*, sive *receptae Sionis* inscriptus esset; neque iis numis, in quibus vox *Sion* primum legitur, *secundi anni* notam apposuissent, cum is annus non secundus sed primus à recuperata Sionis arce numerandus esset, seu Graecorum centesimus septuagesimus primus.

Praeterea si epoche *redemtionis Sion* diversa est ab epoche *liberationis Israël et Ierusalem*, ac proinde, si secundus ex. gr. redemtae Sionis annus est tertius liberae Ierusalem et principatûs Simonis: consequens fiet ut tertius itidem recuperatae Sionis annus, sit quartus liberae Ierusalem;

2011 Ministerio de Cultura

lem ; et quartus Sionis , quintus Ierusalem. Atqui hoc admisso , numos qui *annum quartum redemtionis Sion* prae se ferunt (quorum varia mox daturi sumus ectypa) quinto demum principatûs Simonis anno percussos fuisse dicamus necesse est , quod nemo Eruditorum probaverit. Etenim Antiochus Sidetes dictus , qui exeunte , ut coniicio , Graecorum anno CLXXIII. aut sub initium sequentis , Simoni cudendae monetae potestatem fecerat , eodem hoc anno CLXXIV. eoque ut videtur ineunte , *rupit omnia quae pactus cum eo antea fuerat et alienavit se ab eo* (10). Ex quo tempore à percutiendis in Israële numis cessatum fuisse Viri docti existimant , et ipse numorum defectus arguit (11). Quamvis enim numi eatenus à Simone propria auctoritate percussi essent , ut alibi innuimus ; ac proinde Antiochus non tam cudendae monetae potestatem Simoni fecerit, quam percussam dissimulanter tulerit : abstinuisse tamen exinde Simon à numis feriundis creditur , *ne alienatum Regis praepotentis animum* (ut cum Froëlichio loquar) *amplius irritaret , et spem aliquam restituendae pacis interea foveret* (12): quam coniecturam centum illa talenta argenti Athenobio pro Ioppe et Gazara à Simone oblata, de quibus *I. Machab. XV. v.* 35. non parum adiuvare videntur.

CA-

(10) I. Machab. XV. 27.

(11) Sunt qui velint exstare numos *sexto* libertatis Israëlis aut redemtionis Sionis *anno* percussos : de quibus Spanhemius (*de praest. et us. T. I. Diss. II. pag.* 68. *Ed. Lond.*).

(12) Annal. Reg. Syr. in Prolegom. cap. III. pag. 83.

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT QVINTVM.

De numis quarto principatûs Simonis anno percussis.

GRATIOREM Hebraeis illuxisse anni principatûs Simonis quarti faciem, indicat varia et multiplex numorum qui eo anno percussi fuere copia. Etenim praeter ectypa, quae magno numero à Scriptoribus de numis Hebraeo-Samaritanis exhibentur, octoni nobis obtigerunt integri, et nulla non ex parte conspicui, quorum ingenuus habitus et nativa simplicitas illico sese prodit atque insinuat spectantium animis. Sistimus illos.

Ac mihi quidem numorum anni tertii raritatem conferenti cum eorum de quibus agere instituo, seu quarti principatûs Simonis anni, varietate et copia, succurrebat non semel Rempublicam Hebraeorum novam faciem induisse ex quo Simon foedus et societatem cum Spartiatis, et postea cum Romanis iniit, cuius posterioris exemplum anno imperii eiusdem tertio, seu Graecorum CLXXII. decima die mensis Elúl in tabulis aereis descriptum et repositum fuisse in titulis in monte Sion, docet nos Machabaeorum historia (1); vel ex quo Demetrius cognomento Nicator ab Arsace Rege Persidis et Mediae captus, et in custodiam missus fuit, quod eodem anno contigisse constat (2). Siquidem ab eo tempore dilatavit Simon gloriam et

(1) I. Machab. XIV. 26. (2) I. Machab. XIV. 3.

2011 Ministerio de Cultura

Tab. IV.

TYPVS NVMORVM ANNI QVARTI.

Pag. 122.

Penes nos.



Aug. Estève delin.

Ferd. Selma incid.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

et fines gentis suae, et siluit omnis terra Iuda, et Reges contriti sunt, et defecit impugnans Iudaeos super terram, et sedit unusquisque sub vite sua et sub ficulnea sua, ut itidem in Machabaeorum libris legimus (3). Eo ergo anno, seu Simonis imperii tertio, liberum ipsi fuit à bellorum curis vacuo de numis qui quartum redemtionis Sionis annum prae se ferunt paulo otiosius cogitare.

Haec autem eo à nobis consilio praemissa sunt, ne quis (quod maxime in proclivi positum erat) numorum anni Simonis quarti copiam referat ad permissam ipsi ab Antiocho percussuram proprii numismatis in regione sua. Etenim ex mea sententia quotquot exstant Hebraeorum numi cum Simonis nomine aut sub eius principatu percussi, omnes in universum eius concessionis epochen, atque Antiochi diploma sive litteras antevertunt; nec Simon attributo sibi monetae cudendae iure ullo umquam tempore usus fuit. Constat enim Antiochum anno demum CLXXIV. sive imperii Simonis quinto in terram patrum suorum exiisse adversus Tryphonem (4). Eius autem litteras ad Simonem Sacerdotem magnum et Gentem Iudaeorum, quibus consilium de bello, quod animo agitabat, deque eius gerendi ratione aperit, ac praeterea Simoni percussuram proprii numismatis indulget, aut eodem ipso ineunte anno CLXXIV. aut sub praecedentis finem scriptas fuisse credendum est. Ex quibus videtur elici, vel postremos omnium numos sub Simonis imperio editos, seu qui quartum *redem-*

(3) I. Machab. XIV. v. 4. ad 13.

(4) I. Machab. XV. v. 10.

2011 Ministerio de Cultura

emtionis Sionis annum prae se ferunt, ante Regium Antiochi diploma et permissam Simoni proprii numismatis percussuram signatos fuisse; cum nullus eorum anno Graecorum CLXXIII. recentior sit (5). Sed iam ad singularem nostrorum explicationem accedamus.

Primus igitur omnium ambitu sive orbitâ ad eos accedit qui in re numaria Romanorum secundi seu medii moduli appellantur, paulo tamen crassior est. Pondus ei granorum 262. quae ternas octavas communis Hispanicae unciae partes efficiunt cum alterius octavae dimidia et decem insuper granis. Nec multum ei attritu aut externa vi decessisse puto, nam scaber est atque integer; ἔλλειψις autem, quam in aversa supra palmam exhibet, videtur ipsi coaeva. Inscriptio antica שנת ארבע חצי *scenát arbáh, chatsí*, id est *Anno quarto, Dimidium*, seu *Dimidius* aut *Dimidia pars*, quam nonnulli ad siclum integrum referunt (6); postica vero לגאלת ציון *legeulát Tsión, redemtionis Sionis*, suppletis bi-

(5) Hinc apparet quam vitiosa sit illorum collectio, qui ut numorum Samaritanorum fidem adstruant sic procedunt: *Simon cudendae monetae potestatem habuit: igitur et numos cudit. Il ne faut pas douter* (inquit Basnagius Histoire des Juifs Lib. VI. c. 24. n. 23.) *que les Juifs ne fissent batre alors de la Monnoie, puis qu' ils en avoient le Droit.* Et paucis interiectis: *Je conçois encore moins, comment on peut imaginer que Simon, qui n' oublioit rien pour établir son autorité, :::: eut négligé de profiter d' un si gran Droit*, cet. Relandus (*Diss. 1. de num. Samar. pag.* 48.): *Et quid quaeso repugnat quominus numi ab Hasmonaeis cusi sint, cum illorum cudendorum licentiam eis datam ipse Cl. Sperlingius confiteatur?*

(6) Guarinus (*Gramm. Hebr. Chald. Lib.* III. *c.* 8. *art.* 1.) Bouterouviano eiusdem ac noster typi et commatis numo, quem paulo antè in Tabula repraesentavit n. XIV. integram vocem שקל *scékel, siclus* deesse putat: in quo Bouterouvii fidem secutus fuisse videtur, qui eumdem numum describens (*Recherch. curieus. Introd. p.* 17. *seq.*) ait: *Il a pour legende en characteres Samaritains, qui signifient* חצי השקל chatsí hascékel: *le Demi sicle; mais le second mot est quasi tout effacé.* Souciet-

eam-

2011 Ministerio de Cultura

binis quae ipsi deficiunt litteris. Scripturae demum ratio quadra sive angularis, praeter τὸ ϖ *Scin* quod rotundiore forma depingitur.

De typo, eiusque ac ceterorum raritate et pretio mox dicemus, ubi omnium descriptionem absolverimus.

Secundus Tabulae nostrae numus dimidio fere minor priore est atque integerrimus, cui nihil omnino videatur deperiisse. Ponderat grana 189. quae duas octavas unciae Hispanicae partes aequant, cum alterius octavae partis dimidia et novem insuper granis; sive tres drachmas Atticas solidas, aut denarios post-Neronianos 63. granorum, non secus ac tridrachmus ille siclus qui tot nobis curarum occasio fuit (7). Inscriptio, adversae quidem שנת ארבע רביע *scenát arbáh, rebiáh*, id est *Anno quarto, Quadrans*, seu *Quartus*; aversae autem לגאלת ציון *legeulát Tsión, redemtionis Sion*, ut in eo qui praecessit. Litterae demum, praeter unam eamdem ipsam vocem שקל *scékel* Bouterouviano numo olim insculptam fuisse existimat. Sed falso. Is numus apud Bouterouvium integer omnino est; in eo tamen, ut in aliis eiusdem commatis numis, adversae faciei epigraphe totam eius περιφέρειαν non implet, neque circulum claudit, sed vacuum inter utrumque cornu spatium relinquit, quod Bouterouvius ab exesa voce שקל *scékel* olim occupatum fuisse arbitratus est; atque hinc videtur error ad posteros permanasse. Numus noster Num. 1. eamdem omnino inscriptionem exhibet itidem superne patulam, cumque intervallo vacuo, sed puro, in quo ne minimum quidem caeli vestigium exstat. Vnde liquet vocem שקל *scékel* numquam huius commatis numis insculptam fuisse, neque aliud, nisi שנת ארבע חצי *scenát arbáh, chatsí*, sive: *Anno quarto, Dimidium.* In numo etiam Num. 2. qui *Quadrantem* (sicli, ut videtur) exhibet, omittitur item vox שקל *scékel*; et tantum legitur, שנת ארבע רביע *scenát arbáh, rebiáh*, sive *Anno quarto, Quadrans, Quartus.* Immo non memini vocem שקל *scékel* alibi quam in siclis et semisiclis proprie dictis legisse.

(7) Casune id an consulto factum, viderint quibus Hebraeorum pondera examinare unum opus est. Et fortassis non eadem apud Hebraeos in aereis numis ad stateram librandis, quae in argenteis accuratio fuit.

MUSEO SEFARDI TOLEDO
CULTURA HEBRAICO ESPAÑOLA-CENTRO DE

2011 Ministerio de Cultura

unam ש *Scin*, quadrae sive angulares, itidem atque in siclis et semisiclis.

Senis minoribus qui in Tabula exhibentur numis una eademque est inscriptio, nimirum hinc שנת ארבע *scenát arbáh. Anno quarto*; inde vero לגאלת ציון *legeulát Tsión, redemtionis Sion*, ut binis prioribus: unus item iis typus, una scripturae ratio; nisi quod terni priores etiam תאו ש *Scin* quadram sive in angulos discretam exhibeant, hac scilicet figura w: modulus omnium, qui numorum argenteorum drachmalium sive denariorum apud Romanos, nostri tamen aliquanto sunt crassiores. Pondus denique idem fere omnibus, nimirum priori seu numeri tertii, granorum 132: quarti, granorum 92: quinti, 117: sexti, 110: septimi, item 110: octavi, 108. Omnes autem conspicui sunt atque integri, litterasque ab area prominentes sistunt, ut nihil negotii legentibus exhibeant.

Typus et symbola in numis nostris non unius generis sunt. Sex minores ramorum fasciculum in adversa gerunt, cui hinc inde malum, ut videtur, citreum erectum inferne adstat; in aversa vasculum patens, unionibus in extima summi labri parte circumdatum, quod mannae *Homer* sive urnam in Foederis sacra arca Dei iussu et Moysis procuratione repositam significare alibi diximus, quamvis aliis aliud placeat (8). E binis numis maioribus, primus,

(8) *Illum calicem* (inquit Relandus Diss. II. de num. Samar. pag. 6.) *non esse urnam Mannae multa evincunt. Primo enim in illo vase nihil contineri, aut certe non ultra dimidiam partem id plenum esse, ipsa docet numi inspectio. Nam in ipsius vasis concavitatem ad medium fere oculi nostri pertingunt. Quod si urnam Mannae hac figura*

2011 Ministerio de Cultura

mus, seu qui *Dimidium* exprimit, malum citreum erectum inter duos ramorum fasces in adversa exhibet, in aversa autem palmam è cuius deciduo fructu bini adstantes hinc inde corbes pleni et superfluentes conspiciuntur. Secundus, qui *Quadrantem*, duos item fasces absque intermedio malo citreo, quod tamen in aversa longe grandius totamque numi aream implens visitur: de quibus singulatim agendum.

Et quidem de ramorum fascibus qui in adversa primi et secundi numi facie bini, in reliquis autem numis singulares observantur, cum ex eorum centro ramus exsurgat prominentior, fuere qui coniicerent, iis duodecim virgas pro totidem tribuum Israëlis numero in tabernaculum Foederis à Moyse Dei iussu illatas designari, è quibus, cùm sequenti die regressus fuisset, invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, et turgentibus gemmis erupisse flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt (9); alii autem singularem fascem in minoribus numis conspicuum significare existimabant frugum manipulum quem

ra exprimere voluissent, aliquam Mannae portionem oculis conspiciendam dedissent, et eo quidem faciiius, quod vas apertum sit::: Denique quid simplicius, quid rationi et mandato divino convenientius credi potest, quam urnam Mannae superne tectam fuisse; ne vel ingresso sanctissimum locum Pontifice Maximo, vel fabris in eum demissis (ut Iudaei tradunt) si pars quaedam huius conclavis eorum operam postularet, vel ab ipso aëre atmosphaerico per tot saecula ei incumbente, aliquid materiae heterogeneae admisceretur, cet.

(9) Numer. XVII. v. 8. Ioann. Bapt. Ottius (Epist. ad Reland. pr. Cal. Mart. 1704.) *Alterius partis figura Num. 1. et 2.::: putabatur fascis esse plurium virgarum, è quibus una folio aut flore oblongo in summo est conspectior, ceteris arentibus, imo fasci adiacet deciduum amygdalum, designare ista videntur duodecim virgas, quas::: uno fasce comprehensas Moses in sancto Tabernaculo reposuit, et postridie illuc reversus, ceteras quidem nihil mutatas, illam autem quae Tribus Leviticae erat, et Aaronis nomine inscripta, reperit germinasse*, cet. Et haec fuit prima Cl. Viri de his fascibus coniectura.

2011 Ministerio de Cultura

quem Hebraei in Paschate, primitias Deo, offerebant, ut testarentur uberrimam lacteque et melle manantem ab eo terram recepisse (10).

Verum primus, quem ego sciam, Ottius probabilius eos fasces ad Iudaeorum לולב *Lulâv* retulit, id est ad ramorum fasciculum quem hodiedum Hebraei in Scenopegiae seu Tabernaculorum festo adhibent; atque ad praeceptum Domini, quo à quintodecimo die mensis septimi, postquam congregassent omnes fructus terrae ferias Domino septem diebus celebrare iussi sunt, assumtisque fructibus arboris pulcherrimae, spatulis palmarum, ramis ligni densarum frondium, et salicibus de torrente, dies laetitiae sollemnes agere, ut in Levitico (11) et in Esdrae secundo legitur (12).

Atque hunc fasciculum, utut ex triplici ramorum ge-

ne-

(10) *Ioann. Bapt. Bianconus* De antiquis litt. Hebraeor. et Graecor. pag. 32. è Deuteron. cap. XXVI. v. 9. et 10.

(11) Levit. XXIII. v. 40. In Hebraeo est: ולקחתם לכם ביום הראשון פרי עץ-הדר כפת תמרים וענף עץ-עבת וערבי-נחל ושמחתם לפני יהוה אלהיכם שבעת ימים: Pagninus: *Et capietis vobis in die primo fructum ligni decoris, curvitates palmarum, et ramum ligni complicati, et salices torrentis, et laetabimini ad facies Domini Dei vestri septem diebus.* Vulgata Versio: *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimae, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente*, cet. Ferrariensis Hispana 1553. *Y tomaredes à vos en el dia primero, fruto de arbol hermoso, palmas de atamarales, y rama de arbol espessa y sauzes de arroyo*, cet. Reyna et Valera: *Y toma- pesso*, cet.

ros eis el primer dia del fruto de algun arbol hermoso, ramos de palmas, y ramos de arboles espessos, y sauces de los arroyos, cet.

(12) Esdrae II. (qui Hebraeis Nehemias) cap. VIII. v. 15. In Hebraeo est: והביאו עלי-זית ועלי-עץ שמן ועלי הדס ועלי תמרים ועלי עץ עבת: Pagninus: *Et afferte folia olivae, et folia ligni olei, et folia myrti et folia palmarum, et folia arboris densae.* Vulgata Versio: *Afferte frondes olivae, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos palmarum, et frondes ligni nemorosi*, cet. Ferrariensis: *Traed hojas de oliva, y hojas de arbol de pino, y hoja de murtha, y hojas de tamarales, y hojas de arbol de espessura*, cet. Reyna et Valera: *Traed ramos de oliva, y ramos de arbol de pino, y ramos de arrayhan, y ramos de palmas, y ramos de* (todo) *arbol espesso*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

nere constaret, nimirum palmae, salicis, ac densae arboris (per quam Doctores Mischnici adstipulantibus numis nostris myrtum intellexerunt) uno Hebraei nomine לולב *Lulâv* seu *palmae ramum* appellavere, à primaria scilicet specie, quòd palma in fasciculo prae ceteris ramis emineat, ut notavit Houtingius (13). Ea vero palma nova et crescens, quaeque nondum folia invicem neque à caule diducta haberet, sed instar pyramidis prodiens sensimque gracilescens et recta in acutum desinens, eiusmodi fasciculo seu τῷ לולב *Lulâv* adhibebatur, qualis omnino in numis nostris exstat, et à Rabbinorum peritissimis describitur (14). Quapropter pro *curvitates*, ut Pagninus habet, Vulgata versio congruentissime כפת תמרים *cappót temarím*, *spatulas palmarum* Latine reddidit.

Et palmae quidem in eo fasciculo ramus, ut diximus, procerior, myrti autem et salicum breviores ac tripalmares erant, nimirum ut facile huc illuc vibrari et contorqueri possent (15). Praeterea palmae et salices nudae atque ἄκαρποι, myrti autem rami fructibus ut plurimum graves

(13) In Comment. ad ראש השנה *rósc hascanáh*, seu *De principio anni* ap. Surenhusium *Mischn. Part. II. pag.* 346.

(14) R.Maimonides in הלכות *Hilcót rósc hascanáh* c. VII. 1. לולב כפת תמרים האמורות בתורה הן חריות של דקל כשיצמחו קודם שיתפרדו העלין של הן לכאן ולכאן אלא כשיהיה כמו שרביט והוא הנקרא לולב: Id est, CAPPOT TEMARIM, *de quibus in Lege fit mentio, sunt rami palmae quando germinant, antequam à se invicem folia hinc inde separentur, sed dum adhuc sunt instar sceptri; et hoc est quod* LVLAV *vocamus*. Ap. Houtingium in Not. ad *Rósc hascanáh* Parte II. Mischn. pag. 346.

(15) *Mischna* Tract. סוכה *Sucáh* seu *De Tabernaculis* cap. III. n. 1. לולב שיש בו שלשה טפחים כדי לנענע בו כשר: Id est: *Ramus trium palmorum ad motitandum eo legitimus est*. Ad quem locum *R. Obadias de Bartenora* (ap. Surenhus. Parte II. pag. 268. col. 1.): *Ramus trium palmorum iuxta longitudinem myrti, et unius palmi magis ad motitandum illum legitimus est; nam necesse est ut commoveatur* LVLAV, cet.

2011 Ministerio de Cultura

ves adhibebantur, cum Scenopegia ineunte autumno perageretur; sed ita ut baccarum numerus, numerum foliorum non excederet: nam eo casu ramus illegitimus Doctoribus Mischnicis habebatur (16). Atque hodiedum eae myrti baccae in numis nostris conspicuae foliisque ramorum interspersae apparent: ut vel hinc huius ritus antiquitas, et mira Simonis atque Hebraeorum in iisdem effor-mandis accuratio deprehendatur.

Denique is fasciculus triplici vinculo binisque internodiis, omnino ut in numis nostris, distinguebatur. Erat autem id vinculum ex ipsis salicum flagellis seu viminibus; neque enim τὸν לולב *Lulâv* nisi cum specie sua religare licebat; et cum aliquando Iudaei Ierosolymitani filis aureis fasciculos circumligassent, atque ob id graviter increpiti fuissent à Legis Magistris, ostenderunt fasciculos re ipsa interius salicibus constrictos, fila autem aurea ornatûs tantum causâ salignis vinculis superiniecta fuisse (17).

Sed ut ad numos redeamus, aversam prioris omnium faciem in qua palma cui bini hinc inde adsident corbes pleni fructibus, ita describit atque explicat Ottius: *Altera fa-*

(16) Mischna Tract. סוכה *Sucáh, De Tabernac.* cap. III. n. 2. חרס הגזול והיבש פסול···או שהיו ענביו מרובות מעליו פסול: Id est: *Myrtus rapta et sicca illegitima est:::aut si grana eius plura fuerint quam folia eius, illegitima.* Quod R. Maimonides ita temperat: *si grana seu semina myrti sint iam nigra aut rubra; nam si adhuc viridia sunt, etsi plura sint quam folia, legitima est myrtus,* cet.

(17) *Mischna* Tractat. סוכה *Sucáh, De Tabernac.* cap. III. num. 8. אין אוגדין את הלולב אלא במינו דברי רבי יהודה רבי מאיר אומר אפילו במשיחה Id est: *Non ligant ramum nisi cum specie sua, sunt verba Rabbi Iehudae. Rabbi Meyr dicit: etiam si sit uno filo.* Et pergit: *Dixit Rabbi Meyr, factum est ut viri Ierosolymitani ligaverint ramos suos filis aureis. Dixerunt ipsi, cum specie sua* (id est cum salicum viminibus) *ligaverunt eum interius.*

2011 Ministerio de Cultura

facies numi eiusdem maioris, quae cum palma duos fasces, aut potius duo vascula habet, vel ad eosdem fasciculos de quibus iam multis dictum est (nimirum ad לולב *Lulâv*) *referri potest; vel quod suprà diximus ad manna depluens, quod puncta illa notare videntur: in quo unum id obstat quod vasa duo compareant; nisi velimus palmarum ubertatem illa notâ significari, atque Iudaeae fertilitatem* (18). Haec Ottius cui numus valde exesus obtigerat, ut ex eius ectypo deprehenditur (19).

Relandus eiusdem commatis alium è Ser. Galliarum Regis cimeliis protulit, meliuscule quidem habitum, sed cui, si cum nostro conferatur, plurimum nativae integritatis decessisse appareat. Etenim nec mali citrei vestigium exstat in priore eius facie, nec myrtea grana in fasciculis; neque in posteriore decidui è palma fructus supereffluentesque iis corbes satis expressi sunt, ut eius ectypum ostendit (20): quo factum ut Relandus binos fasces pro totidem frugum manipulis, corbes autem pro mensuris vel vasis vel modiis frumento recipiendo destinatis habuerit (21); quodque in alio eiusdem numi ectypo, nescio quid inter duos frugum manipulos observaverit, quod pro malo citreo habitum fuit à Ioanne Ottio (22).

Mihi

(18) *Ottius* Epist. ad Reland. De num. Samar. pag. 64.

(19) Exstat ap. Reland. in Tabula v. praefixa Epistolae Ottii, num. 1. pag. 51.

(20) Exstat apud Reland. Dissert. v. Tab. IX. n. 3. pag. 184.

(21) *Manipuli duo frugum* (inquit Relandus Diss. v. de num. Samar. pag. 102.) *hìc conspiciuntur, uti ab altera parte duae mensurae vel vasa, vel modii frumento recipiendo destinati; et inter illos media palma cum hac epigraphe* Liberationis Sion, cet.

(22) *Hoc ideo noto* (inq. Reland. Diss. v. pag. 204.) *quod Cl. Ottius crediderit hunc nu-*

2011 Ministerio de Cultura

Mihi utcumque is numus integer ac perspicuus obtigerit, ut vidimus, nihil hactenus occurrisse fateor, quo Relandi Ottiive coniecturae iuvari, aut iisdem certi quidquam superstrui possit. Verum, quae palmam cum plenis et superfluentibus dactylorum corbibus Iudaeae regionis ubertatis symbolum esse existimat, ea mihi prae reliquis semper visa est simplicior ac verosimilior. Etenim quae ibidem de binis ramorum fascibus ac depluente è caelis Manna; atque alio loco, de duodecim fontibus ac septuaginta palmis ad quas olim filii Israël castrametati sunt in Elim idem Ottius subdit (23), paulo longius petita sunt.

De malo citreo, quod superest, id in priore, atque item in secundo è nostris numis singulariter occurrit, atque in hoc quidem multo prae illo grandius et praestantius. In reliquis duplex est, sed longe minoris formae. Id vero malum per τὰ: פרי עץ הדר *perí héts hadár*, seu *fructum ligni decoris*, ut in Hebraeo et apud Pagninum est, sive *arboris pulcherrimae*, ut in Vulgato textu, iam inde à Machabaeorum aevo ab Hebraeis intellectum et in Tabernaculorum sollemniis usurpatum fuisse ostendunt: quod idem ex Iosepho (24) et perpetua eorumdem usque in hodier-

numum nusquam litteris consignatum exstare, et in ectypo Bouterouano conspiciatur inter duos frugum manipulos nescio quid, quod pro malo citreo habuit Ci. Ottius, cet. Bouterouvius hanc eius numi explicationem dedit: *Didragme ou demi-sicle de cuivre, qui a d' un costé deux gerbes debout avec vn epi qui surpasse, et entre deux une feüille de vigne, ou vne grappe de raisin*, cet. (Recherch. curieus. Introd. p. 17.)

(23) *Ottius* (Epist. ad Reland. pag. 56.) Mansio autem Israëlitarum in Elim, habetur *Exod.* XIV. 20.

(24) Φέροντας ἐν ταῖς χερσὶ ἱερεσιώνην μυρσίνης καὶ ἰτέας σὺν κράδῃ φοίνικος πεπομμένην, τοῦ μήλου τοῦ τῆς Περσέας προσόντος. Id est: *Manibus ferentes fasciculum ex myrto et salice, cum spadice palmae compositum,*

2011 Ministerio de Cultura

diernum diem traditione comprobatur. Quin etiam longo ante Machabaeos tempore mali citreae ἀγλαόκαρποι, seu *pulchrum fructum ferentes* Homero dictae sunt (25), cuius appellationis causam Trypho Medicus apud Plutarchum (26) et Rabbini Veteres attulere (27).

Gestabant autem illud malum Hebraei in Scenopegiae festo sinistra manu, dextrâ vero τὸν לולב *Lulâv*, quem huc illuc circumcursantes motitabant dum caneretur Psalmus *Confitemini Domino quoniam bonus* 117. in eius principio et fine, et praecipue ad versum 25. *O Domine salvum me*

tum, addito Perseae pomo. Iosephus (Antiq. Iud. Lib. III. c. 10. p. 175.) Ad quem locum Notatores pro *Perseae pomo* malum citreum intelligunt, quod *Persicum* à patrio solo dictum quoque fuit.

(25) Vlyss. VII. v. 114.

Ἔνθα δ' ἐνδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα,
Ὄγχναι, καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
Συκαῖ τε γλυκερηαὶ,

Id est

Ibi vero arbores procerae crescebant virentes,
Pirus et malus punica, et mali pulchrum-fructum-ferentes,
Ficusque dulces.

Hispana Odysseae versio

. . . . . *un seto*
Con muy diversos arboles y grandes,
Que estan verdes y frescos de contino,
Perales y granados y mançanos
De lindos frutos, *y dulces higueras.*

(26) *Plutarch.* Symposiac. v. quaest. 8. Cum quaesitum fuisset in convivio in quo omnis generis poma apposita erant, cur Homerus *malum citream* ἀγλαόκαρπον in versu modò citato dixerit, *Trypho Medicus aiebat factum comparatione fructûs cum arbore, quem, parva admodum et vilis aspectu, fert pulchrum atque magnum: Alius quidam dicebat in solo hoc arboreo fructu pulchritudinem ex omnibus compositam formis conspici; nam et contactu est instar violae, ut non inquinet, sed fragrantiâ oppleat tangentem; et saporem habet suavem, estque olfactu et visu iucundissimum malum: ut merito laudetur quod omnes una sensus alliciat. Haec nos* (inquit Plutarchus) *mediocriter nobis probari diximus*, cet.

(27) *R. Salomon* et *R. Ababu* ap. Olavum Celsium (*Hierobotan.* T. I. pag. 251. in עץ הדר *héts hadár*) malum citream ἀγλαόκαρπον et *lignum decoris* dictam putant ob permanentiam, quia eius fructus in arbore de anno in annum perdurat. R. Salomon: *Arborem cuius decor durat de anno in annum, id est* citrum. R. Ababu: *Ne legas* הדר hadár, pulchram, *sed cum* ה emphatico הדר hadár, permanentem: *quasi dicat, talem fructum qui in arbore sua de anno in annum perdurat*: quo etiam respexisse videtur Iosephi Scholiastes ad III. Antiq. Iud. c. x. pag. 175. col. 1.

2011 Ministerio de Cultura

me fac, et geminum quod Chorus personabat הושיעה-נא *hosciáh-na* (*Hosánna*), et חצליחה-נא *chatslicháh-na* id est, *Salva, prosperare fac nunc*: quas voces ingeminantes, ramos quatiebant (28), seseque mutuo salutantes fausta feliciaque omnia invicem adprecabantur, ut moris erat in communibus Hebraeorum gaudiis. Atque eodem fere plausu et acclamatione, caesis arborum ac palmarum ramis, stratisque in via vestimentis Regem ac Redemtorem omnium Christum IESVM excepere postea in urbe sua Iudaei, *Hosanna filio David* identidem accinentes, ut Sacri nos Evangelistae docent (29).

Praeterea malum citreum mole non erat uniusmodi, sed vel parvum instar nucis aut ovi gallinacei, vel paulo grandius quod tamen geminum vola manus comprehenderet, vel denique maximum quod utrâque manu tenendum esset, ut ex Libris Mischnicis constat (30). Et fortas-

(28) *Mischna* Tract. סוכה *Sucáh, De Tabernac.* cap. III. num. 9. *Vbi movebant?* (Luláv). *Ad* Confitemini Domino *in principio et fine*; *et ad* Quaeso Domine, salva nunc. *Sunt verba Scholae Hillelis*; *et Schola Schamai dicit, etiam ad* Quaeso Domine, fac prosperare nunc, *cet. Leo Mutinensis* De caerimoniis et morib. Iudaeor. ex versione Gallica *Ricardi Simonis* Ed. Paris. 1674. pag. 156. loquens de Festo Tabernaculorum haec habet: *Ils* (*Iudaei*) *font si bien qu' ils recouvrent pour ce jour là une branche de palmier, trois de myrrhe* (pro myrto), *deux de saule, une* (in margine è regione legitur: *La branche avec son fruit qui soit bien entier*) *de citronier, qui soit bien entiere: et lors que dans la Synagogue on recite les Pseaumes* Hallél, *ils prennent dans leur droite toutes ces branches liées ensemble, excepté celle de citronier qu'ils tiennent à la gauche, et en les approchant les unes des autres, ils les agitent vers les quatre parties du monde::: et ils font une fois le tour de ce petit autel, ou pulpitre qui est dans la Synagogue, tenant en main ces rameaux et citrons*, cet. Similia ap. Ioann. Buxtorfium F. legas, *Synag. Iudaic. cap.* XVI.

(29) Matthaeus et Marcus: *caedentes ramos arborum*: Ioannes, *palmarum*. Cap. XII. 12.

(30) *Mischna*: De Tabernac. cap. III. n. 7. *Quantitas citrei parvi R. Meyr dicit, est ut* (*quantitas*) *nucis. R. Iehuda dicit, uti ovi; magni vero* (*quantitas est*) *quando duo tenere potest manu sua, sunt verba R. Iehudae. R. Iose dicit, et si duabus manu-*

2011 Ministerio de Cultura

tassis triplicia etiam sunt quae in numis nostris expressa videmus. Nam quod in priore omnium seu *Dimidio*, mediocre est: quod in secundo sive *Quadrante*, maximum: quae in senis reliquis, minimae formae apparent. Relandus simplex illud seu singulare fuisse multis contendit ex Iosepho, R. Ismaële et Maymonide (31); geminum tamen in numis nostris minoribus conspicitur: quod nihil officit, cum et unus לולב *Lulâv* seu ramorum fasciculus à Doctoribus Mischnicis praescribatur, et bini promiscue in numis nostris expresse appareant, non tamen ab eodem neque utraque manu gestandi.

Vlterius observandum mala citrea, quae numi nostri exhibent, integra omnino et perfecta esse, quibus nec superne umbo, neque inferne petiolus desit: nimirum qualia ab Hebraeis in Scenopegiae festo perpetuo adhibita fuisse ex constanti eorum in Libris Mischnicis traditione discimus. Etenim *si caput mali citrei ablatum sit, illegitimum esse* à Legis Magistris declaratur, *non item si petiolus* (32): cuius diversitatis causam profert R. Obadias de Bartenora inquiens: *Si ablatum fuerit caput illius in quantacumque quantitate, illegitimum est: quia eo in loco magis conspicitur quam in ceteris.* פיטמה pithemáh (pergit) *est capitis apiculus, sicut corona malogranati* (33).

De-

nibus unum (*tenere possit.*) Ad quem locum R. Obadias de Bartenora: *Quod si minus fuerit quantitate ovi, citreum sit illegitimum*: cui consonat R. Maimonides, ibid.

(31) Dissert. IV. de numis Samaritanis à pag. 139.

(32) *Mischna* De Tabernac. cap. III. n. 6. Et ibi Doctores Hebraei.

(33) *R. Obadias de Bartenora* ad cap. III. Mischnae *De Tabernaculis* n. 6. quo loco Graecam vocem φίτυμα, *surculus, germen*, in Hebraeum sermonem videtur transtulisse, ut *mali citrei apiculum*, sive umbonem significaret.

2011 Ministerio de Cultura

Denique cum videam mala citrea ab Hebraeis אתרוג *etróg*, ab Onkelosio אתרוגין *etrogín*, in Talmude Ierosolymitano תרונגיא *terongiá*; à Syris vero, Chaldaeis et Arabibus eodem aut non multum absimili vocabulo appellari, ex quibus descendere videntur Hispanica, *toronja*, *torongil* et alia; praeterea cum *mali citrei* nomen non iis modo pomis commune sit quae Hispani *Limones*, sed et iis quae Persae نارنج *naránj*, Nicandri Scholiastes νεράντζια, nos *naránjas*; atque iis etiam quas vernacule *cidras* dicimus: placuit postremo loco notare, mala citrea quae numi nostri exhibent, quaeque olim ab Hebraeis in Scenopegiae festo adhibita fuere et usque in hodiernum diem adhibentur, ad illorum frequentissime genus pertinere, quae ab Hispanis communi vocabulo *Limones* appellantur, et ad coni, pineaeve nucis seu strobili formam accedunt (34): id quod Cui ad Cydippen venire cupienti, sic illa respondet (*Epist. Cydippe Acontio, vers.* 213.)

Quid tamen huc venias . . . . . .
Concidimus macie, color est sine sanguine, qualem
In pomo, refero mente, fuisse tuo.

Atqui color exsanguis minime iis pomis congruit quae nos *naranjas* dicimus, sed illorum peculiaris est quae *Limones* vernacule appellantur. Ea tamen poma quamvis buxea et subalbida, Ovidius *aurea*, et *mala* vocavit *felicia*. Videnda. *Iosephi Scholiastes* loco ante citato, *Petrus Ioannes Nunnesius* in Not. ad Herodiani fragm. in Μῆλα Μηδικὰ. *Reland.* Diss. IV. de num. Samar. pag. 144. seq. praecipue vero Ez. Spanhem. (*De praest. et usu numism. Diss. VI.* §. *V.*) apud quem *vetus et eruditus Ni-*

(34) Ea non modo *mala Medica* et *Persica*, et *Perseae poma*, ut apud Iosephum, sed et *Assyria*, et *Arabica*, et *Maurusia*, et *Massyla* et *Hesperica*, et recenter à Germanis *Iudaica* vocantur ut tradit *Iosephi Scholiastes* ad Lib. III. Antiq. c. 10. *Gerard. Ioann. Vossius* Etymol. et alii; immo et *mala felicia*, *chrysea* sive *aurea*, *aurantia*, et Graeculis νεράντια: quod nomen alioqui peculiare videbatur eorum, quas Hispani *naranjas*, Galli *oránges*, Itali *merángoli* appellant. *Ovidius* Epist. Heroid. in ea quae est Acontii ad Cydippen, vers. 237.

Aurea *ponetur* mali felicis imago,
Causaque versiculis scripta duobus erit:
Effigie pomi *testatur Acontius* huius,
Quae fuerint in eo scripta, fuisse rata.

2011 Ministerio de Cultura

quod nos ipsa eorum figura docere potest. Quamquam non negaverim grandiora illa atque odoratiora succoque carentia mala, quae vulgo Hispani *Cidras*, Valentini *Poncils* vocamus, interdum ab Hebraeis in festo Tabernaculorum adhibita fuisse, ut suo loco ostendendum in nos recipimus.

Haec autem paulo à me fusius tractata sunt, tum quia plurimum affundent lucis iis quae de numis qui epochen adscriptam non habent dicenda restant, tum praecipue quia ad adstruendam numorum Hebraeo-Samaritanorum fidem et γνησιότητα validissimum argumentum suppeditant, cui nos explicando peculiarem hunc locum in priori omnium capite delegimus. Etenim si quis etiamnum eos numos adulterinos putaverit, peritissimum aliquem è Iudaeis *Talmudistis* seu *Rabbanitis* (35) illorum auctorem totius-

Nicandri Interpres μηδὸν *apud illum Poëtam, de quo paulo antè, non solum dicat esse* Medicum malum, *sed addit* ὅ ἐστι τὸ νεράντζιον, *quod est* Neranzium, *seu* Aurantium. Et pag. seq. seu 330. *Mitto, quod pro* Citrio malo, Mala aurea *eo Leviticorum loco* de fructu ligni decoris *Syrus, et Arabes verterint.*

Nec praetereundum hoc loco puto quod olim apud Ioannem Buxtorfium F. legeram, Iudaeos Germanos ad peragendum Scenopegiae festum mala citrea et palmas quotannis ex Hispania petere. Sic enim ille inquit (*Synag. Iudaic. cap.*XVI.) *Citrea mala ex Hispania petunt, ut et palmae, myrti et oleae ramos. Singulis annis sedecim Iudaei illuc proficiscuntur, et quantum plurimum possunt inde efferunt, posteaque per totam Germaniam, ubicumque Iudaei degunt, distrahunt. Ipse hoc Autumno* (scribebat autem Basileae anno 1641.) *vidi malum citreum quatuor florenis emtum.*

(35) Consulto addidi: *è Talmudistis seu Rabbanitis*, ut Samaritanos et Karaitas, fortassis etiam ut Sadducaeos et Baethosaeos excluderem. Samaritani enim et Karaitae in festo Tabernaculorum τὸν לולב *Lulàv* et malum citreum ignorabant, ramos autem qui *Levit.* XXIII. 40. *et II. Esdrae* VIII. 15. praecipiuntur, non fasciculi in morem religatos neque manu gestandos assumebant, sed iis unice ad Tabernaculorum constructionem utebantur, ut ex Samaritanorum litteris ad Scaligerum, et ex novissimis ad Anglos, necnon ex Karaeorum placitis ostendit Adrianus Relandus (*Dissert. Miscellanear.* Part. II. Diss. VII. *de Samaritanis* §. XXXV. n. 7. et in *Antiq. Sacris Hebraeor.* Part. IV. cap. V. n. 9.). Rationes cur Samaritani et Karaitae à Iudaeis Talmudistis seu Rabba-

2011 Ministerio de Cultura

tiusque fraudis architectum in scenam producat necesse est. Quis enim nisi Mosaicae Legis Doctor aut Hebraeorum ritibus à pueritia imbutus de ramis novae palmae ac densae arboris, de salicibus torrentis, deque universi לולב *Lulâv* sive fasciculi structura: quis item de fructu ligni decoris seu de malo citreo, eoque integro, cui nec superne apiculus neque petiolus deesset, deque aliis id genus minutiis tam multa et tam subtilia nôsse, eaque ut numis tam accurate insculperentur efficere umquam potuisset? An qui solius quaestûs gratiâ hos numos confinxit, ut Sperlingius et Basnagius voluere, de iis exactissime ad Mosaycae Legis et Iudaicarum traditionum praescriptum feriundis, magis quam de captando lucro futurus esset sollicitus?

Sed nihil argumentis opus est, cum numi nativam secum ingenuitatem ferant, eamque illico spectantium animis

nitis in hac parte dissentirent, è Karaeorum scriptis, et praecipue ex Epistola magni inter eos nominis Doctoris Eliahú, collegit Iacobus Triglandius in eruditissima Diatribe *De secta Karaeorum* (ap. Vgolin. Tom. XXII. col. 299.) cap. IV. quas huc adducere non vacat. Verum et mali citrei apud Iudaeos usum in Scenopegiae festo, et τοῦ לולב *Lulâv*, seu fasciculi qui manibus gestari et concuti et circumagi posset, iam inde à Machabaeorum temporibus obtinuisse, numi nostri dubitare non sinunt; cum in iis et mala citrea et fasciculi exstent; et in argenteo altero cuius ectypum mox daturi sumus, itidem atque in Ludolfi, Hottingeri, ac Bouterouvii numis, singularis fasciculus manubrio instructus conspiciatur: quo etiam pertinere puto locum II. Machab. x. v. 7. in quo Iudaeos in Tabernaculorum festo *thyrsos*, *et ramos virides*, *et palmas praetulisse* dicitur; et clarius Iosephus (III. Antiq. x.) φέροντας ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην: *ferentes in manibus fasciculum*. Et Plutarchus (Symposiac. lib. IV. quaest. 5.) Iudaeos in Scenopegia, non secus ac Romanos in Bacchi orgiis, thyrsos gestantes Templum ingredi, ait: Ἔτι δὲ (inquit) καὶ κερατηφορία τις (f. κραδηφορία, seu *ramorum gestatio*) ἑορτὴ, καὶ θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσιασιν· *Est etiam sollemne apud eos festum cradephoria à palmitibus gestandis, et thyrsophoria, ubi thyrsos gestantes in Templum intrant.*

2011 Ministerio de Cultura

mis insinuent, quod hoc maxime loco repetendum. Etenim si sex minores de quibus agimus vel leviter consideres, praeter modulum pondus typum scripturam, praeter colorem aeris et structurae indolem, quae in omnibus uniusmodi esse apparet, eamdem perpetuo in iis deprehendes τῆς περικοπῆς, seu circumsectionis rationem, quae efficit ut latior patentiorque sit eorumdem facies quae τὸν *Luláv* cum malis citreis exhibet, quam quae calicem, ut in praecedentium quoque annorum numis observavimus. Nam cum numi, ut ex eorum fabrica coniiciunt harum rerum periti, in ductilis metalli lamina mallei ictu percuterentur, eos deinde lunato sive arcuato scalpro hinc inde circumcidentes in orbem conformabant; neque tamen scalprum integrum perficiebat circulum, sed modicam τῆς περιφερείας partem relinquebat intactam, qua demum forfice abscisâ haerens adhuc laminae numus disiungebatur. Inaequalitatis autem utriusque in numis faciei causam hanc esse aiunt, quod lunatum scalprum qua parte mallei ictum recipiebat non usque adeo fixum atque immotum perstaret; eòque fiebat ut non recta descenderet, sed laminae extima peteret, numo videlicet prae metalli duritie ictum et sectionem refugiente. Quorum omnium cùm manifestissima in numis nostris vestigia exstent, ea ut fide optima in ectypis repraesentarentur non vulgarem operam impendimus. Immo etiam illustria similis sectionis exempla in Regum Syriae, seu Graecis Phoenicum numis, iisque non multum prae nostris recentioribus, atque in Poenorum seu Cartha-

2011 Ministerio de Cultura

giniensium, necnon in Gaditanis, Canacensibus, Abderitanis, quae passim nobis occurrebant (cum rara in Graecorum numis appareant) in peculiarem Tabulam retulimus.

Ex dictis autem numorum de quibus agimus pretium et raritas aestimanda. Prioris omnium sive *Dimidii* ectypum primus, ut opinor, evulgavit Bouterouvius: alterum, sed penitus exesum, Ottius è Fromontii archetypo: tertium, utcumque melius habitum, Relandus è Ser. Galliarum Regis cimeliis. Calmetus, Guarinus, Froëlichius alios eiusdem commatis numos protulere, ex iisdem ut videtur fontibus haustos, sed misere deformatos. Noster integer omnino est atque ab utraque facie conspicuus, nisi quod in aversa binae ipsi desunt litterae facile absque alterius numi praesidio supplendae.

Secundus sive *Quadrans* item integer apud nos est, omnique ex parte illaesus. Litterae in eo ac symbola ab area prominent et anaglypticum opus imitantur. Seu typum autem sive scripturam spectes eximius est et paene singularis. Habetur eius ectypum, sed rude, apud Pembrochiae Comitem (36). In nostro autem τὸ רביע *rebiáh*, *Quartus*, sive *Quadrans* ad plenum expresse legitur: quòd non modicam ipsi commendationem affert.

Sex reliqui, quamquam non usque adeo rari, eximia tamen qua pollent integritate, vel in eorum ectypis conspicua, non vulgari in pretio ab Eruditis habendi.

CA-

(36) Mus. Pembroch. Part. II. Tab. 85. num. 7.

2011 Ministerio de Cultura

Penes nos.

Demetrii Nicatoris.



Alexandri Balae.

Carthaginiensium.

Carthaginiensium.



Gaditanorum.



Gaditanorum.



Canacensium.



Abderitanorum.

Marian. Brandi inc.

© 2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

Pag. 141.

TYPVS NVMORVM ABSQVE EXPRESSA EPOCHE

Penes nos.

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT SEXTVM.

De Simonis numis qui epochen adscriptam non habent.

DEVENIMVS ad numos quibus epoche adscripta non est, ac propterea eorum aetas, sive annus quo percussi fuere, ex typo aliisque adminiculis eliciendus. Quinos eiusmodi nacti olim fueramus, quibus dum haec scriberemus accessit alter singularis Amici beneficio (1); sed eo in opportuniorem locum reiecto, priores sequenti Tabulae incidi curavimus, nimirum:

PRIMVS in ea occurrit numus argenteus eiusdem omnino commatis atque ille quem Christophorus Cellarius è Iobi Ludolfi cimeliis evulgasse à Relando dicitur (2), et propterea Ludolfinus vulgo audit (3), nulli eorum qui post Kircherum de numis Hebraeo-Samaritanis tractavere non dictus, at nulli, uti ego existimo, satis exploratus, certe in ectypis quae vulgo circumferuntur à nemine ad hanc diem satis ex fide expressus.

Kircherus ad annum MDCLIII. eum è cimeliis Francisci Gottifredi Romani buxo incisum protulit (4), sed dimidia litterarum parte decurtatum; cumque in adversa binae tantum superessent priores litterae vocis שמעון *Simhón*, nimirum ש מ *Scin Mem*, iis שלמה מלך *scelomóh mélec*, sive *Sa-*

(1) Is est D. Antonius Iosephus Mosti Civis Gaditanus cuius alibi non sine elogio meminimus.

(2) Historiae Samarit. pag. 41. ap. Reland. Diss. 1. de nūm. Samar. pag. 45.

(3) Hoc nomine appellatur à Relando Tab. 1. numor. Samar. num. 6.

(4) Habetur Tomo II. OEdipi AEgyptiaci Classe II. pag. 101.

2011 Ministerio de Cultura

Salomon Rex designari, atque ita legi debere arbitratus fuit; aversam vero, quae τὸν לולב *Lulâv* sive ramorum fasciculum cum malo citreo exhibet, ampullam varia supellectile instructam repraesentare voluit (5): altum interea silens de lyra quae in medio porticus tetrastylae visitur, deque binis undantibus prae ipsa lineis quae fluminis in morem aedificium adlambere videntur.

Bouterouvius alterum protulit aereum, sed inversa priore facie, ut lyra quam in Kircheri numo exstare diximus templi ianuae ideam quamdam oculis obiiciat, linea autem undatim excurrens, quae in eo singularis apparet, supra aedificium conspiciatur; in posteriore vero fascem sive manipulum cum prominente inde spica contineri existimavit, cui adiacet arbuscula fortassis balsami, botrusve, aut vitis folium (6): de quibus nihil definit.

Relandus neque in eo quem recudit Ludolfi numo *Simonis* nomen agnovit, ac pro eo τὸ שנת *scenát annus*, legi debere ait, donec in Bouterouvii numum incidit (7); prio-

(5) *Kircherus* (OEdip. AEgypt. T.II. pag. 101.) *Altera facies continet ampullam varia supellectile instructam cum his litteris* ··rusalem : *nam prima littera deest.*

(6) *Bouterouvius* (Recherch. Curieus. Introd. pag. 19.) *Sicle de cuivre ayant d'un costé une forme de bastiment avec un rang de colomnes, pour legende* Simeon : *de l'autre costé une gerbe reliée, et une forme d'épi ou de feüille qui en sort, et à costé un petit arbre, peut-estre le baume, ou une grappe de raisin, ou feüille de vigne, mais la pointe tournée en haut*, cet.

(7) *Relandus* (Diss. 1. de num. Samar. pag. 45. seq.) *Litteras tres* שנת, scenát, *etsi tertia tantum dimidia sit, et forte adfuerit* א Aleph *post* ת Tau, *quamvis et abesse possit, annum; et tres litteras è regione harum collocatas numerum anni notare nullus dubito*, cet. *Idem* tamen (Diss. v. pag. 210.) : *Notemus* (inquit) *obiter nomen* Simeonis שמעון *etiam legi in numo Ludolfiano quem Tabulâ 1. num. 6. repraesentavimus. Contulimus eum cum delineatione numi similis ex opere Bouteruano, et illic clare legitur*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

priorem autem faciem itidem inversam sistit, inque porticus sive aedificii medio nudam viri figuram exhibet, qui falce, ut videtur, foenaria instructus, adeuntes à limine arcet (8): unde Gagnierii errorem, *de viri imagine in templi vestibulo, qui gentilium immundities videtur expurgare,* subnatum fuisse arbitror.

Hottingerus in numi aversa vasculum atque urnam cum florente virga contineri falso sibi persuasit: לולב *Lulâv* et malum citreum prorsus non vidit, neque lyram, quam in adversa intra aedificium exstare praediximus; immo eam numi faciem inversam exhibet (9), ut et Calmetus, Guarinus, Froëlichius, Com. Pembrochiae, Kochius, Huberus et alii passim: quorum proinde ectypis atque expositionibus non magis fidendum; cum alterum ab altero quasi per manus tradita, et sine magno examine in messem propriam translata esse videantur.

Numus autem noster integer est, nullaque non ex parte conspicuus, litteris et symbolis ab area prominentibus, quae tamen in eius aversa repercussa ac nonnihil depressa sunt, iterato ut videtur mallei ictu. Pondus ei quatuor drachmarum communium Hispanicarum et unius grani, sive, quod eodem recidit, granorum 289. Argenti qua-

(8) In Ludolfini numi ectypo quod Relandus priori omnium Tabulae inseruit num. 6. pag. 1.

(9) *Hottingerus* (Diss. II. de num. Oriental. cap. XI. ap. Vgolin. T. XXVIII. col. 1354.) *Habet altera numi facies porticum templi cum litteris Samaritanis, illis quidem* ש מ Scin Mem *lectu facilibus; his vero exesis proculdubio* עון hon, *ut* Simeonis *utrobique exprimatur nomen. Altera facies vasculum etiam refert urnam praesentans et florentem virgam, cum inscriptione Samaritice expressa* Libertatis Hierosolymitanae, *cet.*

2011 Ministerio de Cultura

qualitas eadem quae Regio siclo Matritensi, nimirum decem denariorum (*plata de ley de diez dineros*). Modulus ad *medium* accedens, qui et *secundus* in re numaria Romanorum. Scriptura denique quadra sive angularis, si τὴν *w Scin* excipis quae arcuatâ, et *y Háin* quae rotundiore formâ depingitur.

Inscriptio, adversae quidem 𐤑𐤌𐤏𐤍 *Simhón*, *Simon*, aversae autem 𐤉𐤓𐤅𐤔𐤋𐤌 𐤇𐤓𐤅𐤑 *lecherút Ierusaláim*, sive *libertatis Ierusalem*: quae vox expedite scribitur, id est absque interiecto י *Iod* postremis eiusdem litteris ל *Lámed* et מ *Mem*. Hanc autem in siclis et semisiclis perpetuam primi Simonis anni διάκρισιν esse, in septimo praenotabilium dicebamus: quod an et in reliquis Hebraeorum numis obtineat, quamquam par utriusque ratio sit, asserere non audemus.

Et initio quidem ex τοῦ לולב *Luláv* et mali citrei figura, quae symbola in numis tantum ad quartum Simonis annum pertinentibus exstare noveram, existimabam numum nostrum ad hunc omnino annum referendum. Verum cum è contrario neque Simonis nomen nisi in primi et secundi eiusdem principatûs annis observassem, haerebam profecto dubius utri horum numum adscriberem. Kochius ad annum secundum retulit, Gagnierium secutus qui in numo τὰ שנת שתים *scenát scetáim*, sive *anno secundo* legisse sibi visus fuerat (10); verum nihil horum in numo ex-

(10) *Kochius* (Diss. de num. Hebr. inscript. Samar. n. VI.) *Doctissimus Gagnierius integras* (eius numi) *litteras collegit*, et שנת שתים scenát scetáim, *id est* annum secundum *significare docuit* : : *quamquam pro ea qua est modestia, nihil definire ausus. Verum nihil prohibere videtur*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

exstare aut exstitisse umquam, praecedens eius descriptio atque ectypum satis docent, ut in utriusque opinione confutanda nullum amplius conterendum sit otium. Potiori igitur eum iure ad primum Simonis annum retulerim, tum quod argenteus sit expeditamque vocis ירושלם *Ierusaláim* scripturam exhibeat, tum quod in adversa porticum tetrastylam sistat, eius nimirum aedificii quod à Simone primo imperii anno exstructum fuisse in eius gestis legimus.

Is vero typus qua parte aedificii frontem exhibet Hasmonaeorum mausoleum designare creditur quod Simon in urbe Modin *super sepulcra patris sui et fratrum suorum aedificavit, altum visu, lapide polito ante et retro*, cuiusmodi in Machabaeorum libris describitur (11), Iosephus vero *opus visu mirabile* appellat, *cuius adhuc pyramidum vestigia eius aetate superessent* (12). Bouterouvius (13), Calmetus (14), Froëlichius (15) et alii in eamdem sententiam inclinant, cui utcumque iuvandae posset et illud adiici, quod linea pro aedificio undatim serpens (quae in Kircheri numo non simplex, ut in nostro, sed gemina cernitur, omnino qualis *Aquarius* inter Zodiaci signa) mare fortassis referat, à quo non longe id aedificium aberat; cum Simon super columnas quas excitaverat *arma ad aeternam memoriam, et iuxta arma naves sculptas circum-*

(11) I. Machab. XIII. v. 27.

(12) *Iosephus* (Antiq. XIII. cap. VI. alias XI. n. 4.) Θαυμαστὸν ἰδεῖν χῶμα ::: ἃι καὶ (scil. πυραμίδες) μέχρι δεῦρο σώζονται·

(13) *Recherches Curieus. sur les mon. de France* Introd. pag. 21.

(14) *Diction. Biblic.* T. II. in expos. numismatum Iudaeor. num. 5.

(15) *Annal. Regum Syr. Proleg. pag. 90. n. 21. in descr. num. Hebr.*

2011 Ministerio de Cultura

cumposuerit, quae viderentur ab omnibus navigantibus mare (16). Lyra vero in porticûs sive aedificii medio conspicua ad restitutam Machabaeorum ductu ac robore Iudaicae genti laetitiam referri potest; nec propterea loco non suo collocatam quis dixerit, quòd alias parum sepulcris congruat. Etenim id sepulcrum gloriosum, atque à Simone ad patris et fratrum laudem in posteros propagandam, ampliatum fuisse constat. Certe *Lyra* non infrequens est in Hebraeorum numis, deque ea non semel inferius sermo recurret.

Ad aversam numi nostri faciem quod attinet, in ea factitius ille ramus in urnae figuram conformatus τὸν לולב *Lulâv* designat, sive fasciculum ex myrto salicibus et palma, de quo superius dictum. Quamquam enim Hebraei in Lege simplices, id est nativos earum arborum ramos in Scenopegia sumere iuberentur, cultûs tamen ac decoris gratia circumornari atque in varias formas contorqueri ab iisdem solebant, quod praeter nostrum et alios eiusdem fere commatis numos, evincit allatum superiùs Hebraeorum Ierosolymitanorum factum, qui saligna fasciculorum vincula filis aureis circumornaverant. Praeterea Iosephus τὸν לולב *Lulâv*, sive palmam cum myrto et salice, πεποιημένην asserit, quam vocem Latinus Interpres *compositam*, *confectam* reddit; alii tamen *factitiam* malunt, id est *arte elaborato*

(16) I. Machab. XIII. v. 29. Et *Relandus* (Palaest. Lib. III. in *Modin*): *Non videtur* (inquit) *longe à mari abfuisse, aut certe in loco alto sita, quia monumentum illic erectum conspicere potuerunt navigantes in mari magno.*

2011 Ministerio de Cultura

boratam (17): quemadmodum et apud nos palmae in Dominicae ramorum sollemniis adhibitae, et maxime quae Viris principibus destinantur, multiformes esse, longeque à nativa simplicitate declinare solent; et Iosephus pro τῷ לולב *Lulâv* sive fasciculo εἰρεσιώνην posuit, ramum scilicet oleaginum lanâ obvolutum ante aedium fores appendi solitum, ex quo circumpendebant omne genus arborum fructus (18). Atque hodiedum in Hebraeorum numis τοὺς לולבים *Lulavim*, sive ramorum fasciculos de quibus agimus, arte elaboratos atque in varias figuras contortos videmus apud Relandum, Hottingerum, Huberum et alios, hac nimirum forma

I. *Reland.* II. *Hottinger.* III. *Huber.*

Hoc amplius in numo nostro notandum, quod palma è medio τοῦ לולב *Lulâv* prominens ad perpendiculum fissa ex-

(17) *Iosephi Scholiastes* (Lib. III. Antiq. c. 10. n. 4.) *Si quis* (inquit) *malit* πεποιημένη, *vertendum* manibus gestantes myrti salicisque ramum cum spadice palmae apparato aut elaborato: *ac si palmae ramus elaborari consueverit, additis quibusdam ornamentis, ut fieri solebat in Ethnicorum* εἰρεσιώναις: De quib. vid. Schol. Aristoph. in *Plutum*, et *Equites*.

(18) Appendebant Graeci τὴν εἰρεσιώνην prae foribus aedium ex oraculi praecepto ad famem et sterilitatem depellendam, cui puer ingenuus florensque (ἀμφιθαλὴς) statos accinebat versus, apud Scholiasten Aristophanis in *Plutum* Act. IV. Sc. v. vers. 1055. et in *Equites* Act. II. Sc. II. vers. 725. videndos. Alias ἡ εἰρεσιώνη pro exsiccato arboris ramo et vel minima ignis scintillâ statim inflammando sumitur ab Aristophane, loco citato ex *Pluto*, et in *Vespis* vers. 298. et à Q. Sept. Florente Christiano *in Schol.* ad eumd. loc. Adhibebatur quoque is ramus, sive εἰρεσιώνη, in Deorum supplicationibus et praecipue in Apollinis, *sed è sacra olea, et lana candida revinctus*, ut apud Plutarch. in Theseo: ἦν δὲ (ἱκετηρία τοῦ Ἀπόλλωνος) κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐρίῳ λευκῷ κατεστεμμένος.

2011 Ministerio de Cultura

exhibeatur, atque adeo spathen potius sive termitem illum referat qui dactylos prius quam in lucem proferantur continet, quam sterilem palmae ramum: id quod etiam in Kircheri et Ludolfi numis observare licet. Doctores Mischnici viderint quo haec pacto cum Levitici et Nehemiae locis concilient. Nobis indicasse sufficiat. Et fortassis foecundae illi et conspicuae spathe sterilis palmae ramus suberat, quem bina ab utroque eiusdem latere erumpentia folia, cincinni in morem contorta, designent.

In malo demum citreo, quod Bouterouvius et Guarinus pro arbuscula aut botro (19), Calmetus autem et Froëlichius (20) pro racemo erecto habuere, illud notandum, quod in numo nostro non sensim in acutum desinat, sed in medio sese coarctans in bina quasi corpora dividat, et collum effingat non multum ei absimile quod in vinariis peregrinantium cucurbitis passim videmus: qua etiam figura conspicue in Ludolfi numo visitur. Id autem coniiciendi ansam praebet, non solum vulgaria mala citrea *Limones* à nostris appellata, sed et grandiora illa atque odoratiora, quae passim *Medica* et *Assyria*, vernacule autem *Cidras* vocamus, ab Hebraeis in Tabernaculorum festo adhibita fuisse, ut alibi à nobis indicatum; eoque pertinere laudatam eodem loco decisionem Rabbi Iosé de malo citreo quod vola manus capere non posset, sed utrâque

(19) *Bouterouvius*, loco non ita pridem citato. *Guarinus* Tom. II. Gramm. Hebr. Chald. in expos. numor. Hebraicor. *cap. VIII. art.* I. num. III.

(20) *Calmetus*, Dict. Biblic. Tom. II. in expos. numism. Iudaicor. n. V. *Froëlichius*, Annal. Reg. Syr. Proleg. in recensione numism. Hebraeor. num. 21.

2011 Ministerio de Cultura

que gestandum esset : cuiusmodi fortassis est, quod in superiore Tabula numus secundus, sive *Quadrans*, erectum in aversa exhibet; immo sunt qui voce אתרוג *etróg*, non malum citreum vulgare, sed speciem maiorem significari omnino existiment (21).

De numi raritate, quod superest, ea mihi, seu materiam, seu typi atque emblematum ab area prominentiam, sive epigraphes integritatem consideres, videtur eximia et paene singularis : id quod una eiusdem cum aliorum ectypis collatio satis ostendit. Kircherus et Relandus aerei an argentei fuerint archetypi numi è quibus illa descendunt indictum reliquere, Bouterouvianum et Pembrochianum aereos fuisse constat. Praeterea quae retulimus doctorum Virorum de huius numi symbolis dubia, aperte indicant in nullo eorum quos archetypos viderant exstitisse conspicua: cuiusmodi ea numus noster exhibet, ut omnem de cetero dubitationem amoveant.

Atque hic idem ille numus est, quem me olim Romae interventu doctissimi atque amicissimi viri Mauri Sarti Camaldulensis Monachi nactum fuisse pridem dixi ; et ut ne de pretio quidem quidquam Lector ignoret, cum Sartus aureo eum Romano numo quem vulgo *zecchinum* vocant prostare dixisset : temperare mihi non potui, numum-

(21) *Olavus Celsius*, Hierobotan. T. I. in עץ הדר *héts hadár* sive *arbor decora* pag. 251. *Intelligunt autem* (R. Salomon, R. Abahu et R. Aben-Esra) *nomine* אתרוג etróg, *non citrum vulgo notam, sed speciem maiorem quae* Malus Medica *vel* Assyria *appellari solet : de qua Golius ex Beitharide affert, proprie dici de maiore citro, quae cortice est dulciore et magnitudine fere melones aequat* ::: Et paucis interiectis: *Haec poma per festivitatem Tabernaculorum manu gestabant Iudaei*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

mumque item aureum Florentinum, triplo quam zecchini Romani sunt crassiorem (22), ipsi offerens: *habeat sibi* (inquam) *possessor*, *atque amico Numine*; *utinamque mihi plures huic similes obtingant*, *tam honesta conditione parabiles* (23).

Secundus in Tabula numus aereus omnino ad primum Simonis annum pertinet; eadem enim est eius structura atque illorum qui primi anni epochen adscriptam habent. Modulus paene qui sicli quadrantis. Pondus, granorum CXI. Inscriptio, adversae quidem שמעון *Simhón*; aversae autem לחרות ירושלם *lecherút Ierusaláim*, nisi quod ipsi deest extrema omnium littera מ *Mem*. Scriptura rotundior. Typus demum, hinc palma pendente utrimque fructu, inde botrus, de quibus dictum plus vice simplici.

Eius numi ectypum apud unum Froëlichium videre mihi contigit ex archetypo, ut ipse ait, desumtum, quem sicli trientem vocat, atque ita describit: *Alius noster parvi moduli, botrum hinc inde palmam ostendens grana sistebat* LXXIII. *Fuit igitur sicli triens, à quo aberat granis* III. (24). Citatur autem ab Eodem apud Villalpandum et Harduinum (25), sed neutrubi eum reperi. Ab Huberi numo-

(22) Numi Romanorum aurei, *zecchini* vulgo dicti, fere drachmam pendunt, et XLI. Hispanicis nùmis quos *reales de vellon* vernacule dicimus aestimari solent. Florentini communes XLII. Sunt tamen inter eos nonnulli triplo graviores, qui proinde CXXVI. Hispanicis numis permutantur.

(23) Exstat hic numus argenteus in Cel. Hunteri Gazophylacio ut nos monuit Cl. Woide, in illius numorum Hebraicorum catalogo: quem suo loco describemus integrum.

(24) Annal. Regum Syriae Proleg. part. V. c. IV. pag. 85.

(25) Ibid. cap. V. pag. 90.

2011 Ministerio de Cultura

morum Samaritanorum typo certe abest, ut vel hinc numi raritatem coniicere liceat.

Tertius item aereus, atque ad eumdem seu primum Simonis annum ex mea coniectura referendus, in adversa quae lyram trichordem exhibet, binas tantum retinet litteras ן.... *Vau Nun*, quae sunt postremae omnium in voce *Simhón*, et propterea supplendae praepositis... שמע *Simh*.. ut ex utrisque *Simonis* nomen confiat. Aversae inscriptio maxima etiam ex parte sublata est incisoris cultro; quae autem supersunt in ea litterae nimirum ושלם... capite mutilae, et ex Relandi numo restituendae לחרות ירושלם *lecherút Ierusaláim*, à qua voce abest littera ׳ *Iod*, quod alterum primi Simonis anni indicium esse diximus. Modulus ad quadrantem accedit. Pondus granorum CIX. Scriptura demum, si שׁ *Scin* excipias, quadra.

Relandus adversae huius numi typum describens ait: *Cithara hìc conspicitur, instrumentum quo laudes Deo celebrari, et gratiarum actio pro acceptis beneficiis significari consuevere, uti ex pluribus locis Psalmorum. Haec antè, dum Hebraei à Gentibus premebantur, inter eos defecerat, uti I. Machab. III. 45. legitur* ἐξέλιπεν ὁ ἀυλὸς καὶ ἡ κιννύρα (defecit tibia et cithara) *quod Iesaïas* (XXIV. 8.) *diceret* שבת משוש כנור, sabát mesós cinnór, *id est* laetitia citharae quievit. *Deinde per Hasmonaeos redditus fuit usus citharae, et occasio celebrandi favorem Numinis* (26).

Et quidem Hebraeorum populum excusso tandem Gen-

tium

(26) Diss. v. de num. Samar. pag. 210. seq. כנור *Synon.* pro κιννύρα.

2011 Ministerio de Cultura

tium iugo recreatum, atque è gravi in quo erat moerore ob recens editam à Triphone ad Ptolemaidem trium millium virorum stragem, exstinctosque insigni perfidia Ionathanem cum filiis suis, in summam laetitiam traductum, inque Dei laudes et gratiarum actiones effusum fuisse existimandum est; cumque eius laetitiae significationem aliquam, reique gestae memoriam sempiternam exstare cuperet, apud Simonem effecisse ut lyram, tibias, aliaque id genus communis gaudii atque hilaritatis argumenta numis insculperet: qualia noster, aliique passim Hebraeorum numi inferius citandi ostentant (27).

Palmae item ramus intra sertum laureum erectus, qui in eiusdem numi aversa visitur, ad triumphum et ovationem Hebraici populi proculdubio spectat. Relandus utrumque indictum reliquit. Nos ad coronam auream et bahem, sive palmae ramum, referenda putamus à Simone in ipso imperii sui limine Demetrio Nicatori missas (28): quae cum eatenus Regum Syriae annum vectigal essent, Demetrii rescripto Iudaeis remissae sunt, populusque exinde immunis pronuntiatus (29); nisi quis ad coronam illam palmamque auream pertinere malit, quas Alcimus Summus olim Sacerdos

(27) Praeter hunc numum de quo agimus, argenteumque illum quem paulo ante descripsimus, Kircherianus in primo omnium capite à nobis evulgatus: bini Bouterouviani num. 6. 7. totidem Relandini Tab. IX. num. 2. 9. aliique passim apud Guarinum, Froëlichium, Huberum.

(28) I. Machab. XIII. v. 37. *Coronam auream et bahem quam misistis* (ait Demetrius ad Simonem et Seniores et Gentem Iudaeorum) *suscepimus*, cet.

(29) Ibid. v. 39. *Remittimus quoque ignorantias, et peccata usque in hodiernum diem, et coronam quam debebatis; et si quid aliud erat tributarium in Ierusalem, iam non sit tributarium.*

2011 Ministerio de Cultura

dos Demetrio Soteri ad annum Graecorum CLI. obtulit, in spem eius gratiae et Summi Sacerdotii recuperandi (30); de quibus nos alias.

In numo autem nostro sertum inferne discinctum visitur, ut illud palma non intersecet neque decusset, sed intacto utroque redimiculo rectà prodeat, mediamque interiorem serti aream dividat: quod propter Hottingerum notare placuit, qui, ut in priori omnium capite dicebamus, *gemmeam torquem in VI. Villalpandi numo conspicuam captae, et quasi monili vinctae Iudaeorum libertatis indicem* esse existimavit.

Numus insigniter rarus est, quem è Museo D. Henrion Linguae Syriacae Professoris Regii, primus atque unus omnium Relandus evulgavit (31), à nemine quem viderim postea recusus. Relandi autem ectypum si cum nostro conferas, non eamdem tantum officinam monetariam, sed eiusdem artificis manum in utroque deprehendes.

Quartus atque item *quintus* Tabulae nostrae numus eodem parente prognati, et uno partu videntur editi: usque adeo sunt inter se similes. Modulus ad *secundum* proxime accedit. Pondus prioris granorum CCIX. posterioris CCXLIX. Inscriptio eadem prorsus, nimirum שמעון *Simhón*, quod nomen plene sed undatim in utriusque adversa legitur, ut in ternis illis quos secundi anni numorum Tabula

(30) II. Machab. XIV. v. 3. et 4. *Alcimus autem quidam, qui Summus Sacerdos fuerat ::: venit ad Regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream, et palmam*, cet. Quae I. Machab. VII. VV. 1. et 5. anno CLI. facta fuisse narrantur.

(31) Diss.v. de num.Sam. Tab. IX.n. 8.

2011 Ministerio de Cultura

la post siclum exhibet ; et in aversa לחרות ירושלם *lecherút Ierusaláim* absque expresso ו *Iod*, perpetuâ numorum primi Simonis anni διαχρίσει, ut pridem diximus. Litterarum forma, si τὰ ש *Scin* et ע *Háin* excipias, quadra sive angularis. Typus denique hinc palma dactylifera, inde vitis folium extentum : de quibus omnibus toties dictum.

In priore tamen seu numeri quarti illud peculiare, quod aversa litteram מ *Mem*, quae ultima est vocis *Ierusaláim*, ac proinde extrema omnium sede collocanda erat, ad dextram termitis è quo pampinus pendet singulariter insculptam exhibeat, ac si ab ea littera epigraphes initium ducendum esset : quod caelatoris oscitantiâ, magis quam casu aut consilio factum existimo.

Posterior ex his numus minime vulgaris est ; prior eximie rarus, et à nemine quem sciam, praeter Huberum (32), evulgatus. Exstant quidem similis formae ectypa apud Scriptores de numis Samaritanis passim ; at in paucis integra, ut in nostro, *liberationis Ierusalem* inscriptio legitur ; qui autem postremam eius inscriptionis litteram מ *Mem* ad dextram pampini collocatam, et cum priore omnium ל *Lamed* coniunctam exhibeat, hactenus nullum archetypum videre mihi contigit.

CA-

(32) *Ioannes Henricus Huber* in Typo numorum Samar. nn. 7. et 8.

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT SEPTIMVM.

De binis Simonis numis arcanam, ut videtur, scripturam exhibentibus.

DE binis illis Simonis numis agendum nobis hoc loco est, quorum adversam arcanis characteribus inscriptam fuisse pridem coniecimus, ac propterea eos denuo repraesentandos et peculiari tractatione complectendos ediximus.

Prius tamen quam fidem liberemus in memoriam revocare oportet aversae eorum typum, nimirum botrum cui dexter haeret pampinus, cum epigraphe ..יש שנת אחת לגאלת *scenát achát legeulát Israél*, sive *anno primo redemtionis Israëlis*, cuius postremae vocis binae tantum priores litterae..יש *Is*.. à caelatore expressae sunt.

De pondere ac modulo illud addimus, eorum alterum, seu minimum, sextantis formam aequare, eique granorum 117. pondus inesse; alteri vero, sive maiori, qui ad quadrantis modulum accedit, granorum 139.

Quibus praemissis utriusque adversam sistimus.

Noster I.

Io. Harduini.

Noster II.

Ioannes Harduinus Vir non minus doctrinae et scriptorum laude quam opinionum singularitate clarus, prioris

2011 Ministerio de Cultura

ris è nostris qui praecedunt numis ectypum è cimeliis Domini de Boze Secretarii perpetui Regiae Academiae Inscriptionum et Numismatum primus omnium eruit vulgavitque cum eiusdem interpretatione : subdens singularem, et nemini eorum qui post centum quinquaginta annos de numis Samaritanis scripserunt eatenus cognitum fuisse.

Hanc igitur ob causam , ne quid Lector desideret, eius quoque numi ectypum in superiore tabula exhiberi curavimus , nimirum ut et cum nostro eiusdem commatis ectypo conferri possit , et Harduiniana numi , quem vulgavit , expositio melius percipiatur.

Primum autem omnium Harduinus statuit ignotis, quos prolatus ab eo numus characteres exhibet , binas has voces שמעון נשיא *Simhón nassí* , id est *Simon Princeps* contineri ; idque ex sequentibus. I. *Quòd hae duae voces versus duos efficiant* , ut in alio quem vulgavit numo. II. *Quòd idem numerus litterarum in his vocibus ignotis in utroque numo deprehendatur* : *nimirum quinque* , *quae nomen* Simonis *exprimant* , *et quatuor quae vocem qua designatur* Princeps , itidem ut in Samariticis שמעון נשיא *Simhón nassí*. III. *Quòd tertia littera vocis Hebraeae* נשיא nassí , *quae est* ' Iod , *sit etiam hoc loco tertia* , *et eiusdem formae qua est* ' Iod *Samaritanum*. IV. *Quòd in omnibus numis in quibus ab altera parte legitur* Libertatis Ierusalem , Redemtionis Israël , Redemtionis Sion : *ab altera parte* (ut ipse in pluribus aliis numis observavit) *legatur nomen* Simon *simpliciter* , *aut cum titulo* Principis Israël , *aut saltem annus quo*

2011 Ministerio de Cultura

quo Hebraeorum populus liberatus fuit à servitute Gentium. Vnde colligit : *Cum annus huius liberationis perspicue designatus sit in aversa parte numismatis* (nimirum primus, sive Erae Seleucidarum CLXX.) *nihil superesse nisi quod in adversa , quae characteres ignotos continet , nomen et Principatus Simonis lateat* (1).

Cuius autem populi aut gentis ignoti hi characteres fuerint , mirum quantum divinando se torqueat Vir ad auguria pronus , et nimio plus genio suo indulgens. Itaque asserit Babylonios Cuthaeosque à Salmanásare in Samariam traductos peculiarem atque inter se diversam, quam singuli in patria habuerant , scribendi rationem , etiam extra eam , id est postquam translati fuere , constantissime retinuisse ; atque ex duplici utriusque huius scripturae genere , Samariticam illam quam numus in aversa gerit epigraphen , nimirum 𐤋𐤑𐤌𐤏𐤓 𐤊𐤋𐤑𐤋 𐤇𐤁𐤑 𐤊𐤉𐤏 *scenát achát legeulát Israél* , sive *anno primo redemtionis Israëlis* , Cuthaeorum litteris constare ; eam vero quae ignotos characteres in adversa exhibet , Babyloniorum: seu, quod eòdem recidit , numum de quo agimus Cuthaeorum et Babyloniorum litteris insculptum fuisse : *Id quod* (subdit) *maximae gloriae esse debuit Summo Pontifici , et Summo Duci Israëlitarum , quod suo honori cuderentur numi characteribus duarum gentium quae olim suae fuissent inimicissimae* : : :

At-

(1) Haec nos ex Harduini Opusculo *de binis numismatis Samaritanis*, cuiusmodi exstat in Eiusdem Notis et Emendationibus ad Plin. Lib. VII. Tom. I. Edit. Paris. 1723. pag. 432. atque ex eodem quale habetur ap. Vgolin. T. XXVIII. Thesaur. Antiq. Sacrar. col. MLXV. Mire enim utrumque variat.

2011 Ministerio de Cultura

Atque hoc est, (pergit) *ut mihi videtur*, *quod in his numis conspicitur* : : : *et qui peritiam aliquam habent in re numaria mecum convenient hunc characterem ignotum fuisse characterem Magistratûs peregrini*, *qui iussus fuerat hoc numisma cudere* : *eo quod iste character in praecipua parte numismatis conspiciatur*, cet. Quod autem in numo non legatur vox *Israël*, *hoc* (inquit) *designat sine dubio hunc Magistratum fuisse Principi* (id est Simoni) *subditum*, *neque tamen fuisse ex eadem gente et religione*, cet. Et concludit, hos numos reipsa non esse Samaritanos, *quamvis hoc sensu Samaritani appellari possint*, *quod cusi fuerint in Samaria* : *cogente nimirum Simone Cuthaeos Babyloniosque ut eos percuterent*, *quod non facile obtinere potuisset à populo Ierosolymitano*, cet. (2).

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet Vir summus et vere παράδοξος ut viam sibi praeparet ad singulam illam opinionem, quam alibi retulimus et ex parte confutavimus, nimirum Hebraeorum numos, qui vulgo Samaritani audiunt, non Ierosolymis neque à Iudaeis, sed apud Samariam à Cuthaeis Babyloniisve percussos fuisse ; et maxime ut τῇ ש *Scin* (quam litteram in altero quem simul explicat Samaritico numo redundare existimavit) urbem designari probet in qua uterque is numus percussus fuit, nimirum *Sichem*, quam demum communem numorum Hebraeo-Samaritanorum officinam fuisse pronuntiat, his verbis quibus opusculum suum claudit : *Verum quod omni-*

(2) Apud Vgolin. Tomo XXVIII. Thes. Antiq. col. MLXX. seq.

2011 Ministerio de Cultura

omnino satisfacere debet in hoc argumento, et quod aestimationem prioris è duobus his numis auget (nimirum in quo litteris Samariticis legitur Ⱡⱷⱴⱳⱥ ⱷⱥⱳⱻ ⱻⱱⱳⱳ *Simhón nassí Israél*, id est *Simon Princeps. Israëlis*) *hoc est, quod nobis in fine designet, in qua civitate hi numi qui dicuntur Samaritani praecipue percussi sint. Etenim* ⱱ *Scin, qui in ima parte lectionis ad sinistram legitur, non fuit impressus nisi ut designet primam litteram urbis in qua numus percussus fuit. Vrbs ista fuit* Sichem, *Metropolis Samariae* (3). Quibus ex asse refellendis sufficiat meminisse, quae suprà de *primi principatûs Simonis anni numis* ediximus.

Soucietus, qui Harduiniani numi ignotos characteres buxo insculptos exhibet (4), in alia it omnia. Cum enim in antiquis gentium numis qui duplici ac diverso charactere constant, et maxime in iis qui in finitimis Tyri et Sidonis urbibus percussi fuere, Graecam epigraphen Graecis, Phoeniciam Phoenicum litteris exaratam observasset; nec nisi pro Linguarum diversitate alphabeta in numis diversa esse: confici inde existimavit in duplici illo, quem numus de quo agimus gerit, charactere, duplicem quoque dialectum contineri; ac proinde, cùm aversa eiusdem facies, quae Samariticas sive Hebraicas litteras exhibet, Hebraeo sermone exarata sit, adversam, quae ignotis characteribus constat, diversam ab Hebraica dialectum importare.

Agnoscit quidem cum Harduino Soucietus iis chara-

cte-

(3) Ap. Vgolin. Tom. XXVIII. Thes. Antiq. col. MLXXIV. seq.

(4) Diss. sur les médailles Hebraïques pag. 47.

2011 Ministerio de Cultura

cteribus *nomen* et *principatum Simonis* involvi. Nam altera numi facies expressum habet *annum primum redemtionis Israël*, quo anno Simoni principatus à populo delatus fuit. Constat autem in eiusdem numis tria tantum contineri, nimirum Herois nomen, annum quo percussi sunt, et argumentum: quorum cùm postrema duo iam in aversa expresse legantur, superest ut adversa numi facies quae characteres ignotos gerit, Simonis nomen et principatum contineat; ac proinde in iis omnino legendum *Simon Princeps*.

Animadvertit item eorum characterum numerum et sedem, quodque in binos versus totidemque vocabula discreti sint, quorum priori quinque, posteriori quatuor attribuuntur. Cumque alias Simonis nomen quinque itidem apud Hebraeos litteris scribatur, nimirum שמעון *Simhón*, coniicit iis quinque ignotis signis idem nomen in peregrina aliqua Lingua exprimi: subdens minime id mirum videri debere, cum nomina virorum propria, vel cum in alienas Linguas transferuntur, eumdem litterarum numerum retineant, quod maxime in Orientalibus usu venit ob earum affinitatem; de ea tamen voce nihil certi statui aut definiri posse ait.

De quatuor autem characteribus secundi versûs, asserit iis minime contineri posse Hebraeam vocem נשיא *nasí*, *Princeps*. Primus enim eorum characterum multum figurâ discrepat à quinto seu postremo prioris versûs, qui tamen in hypothesi deberet esse idem; cum uterque sit lit-

2011 Ministerio de Cultura

littera נ *Nun*. Praeterea, secundus secundi versûs differt itidem à primo primi, cum utrobique occurrat eadem littera ש *Scin*, ut patet ex litterarum tum Assyriacarum, tum etiam Samariticarum utriusque vocabuli inter se collatione, nimirum שמעון נשיא .. ꟻꓤꓢꓽ ꓽꓠꓢꓤꓢ .. *Simhón nassí*.

Vult itaque Soucietus, in quatuor secundi versûs characteribus latere quidem vocabulum quo in peregrina aliqua Lingua significetur *Princeps*, id tamen vocabulum Hebraicum non esse, sed eius Linguae ad quam ignoti illi characteres pertinent. Cuius autem populi aut gentis fuerit peregrina haec Lingua? Hoc opus, hic labor est (5).

Ego

(5) , Or je soutiens (inquit Soucietus *Diss. sur les médaill. Hebr. pag.* 47.) , qu' en effet la langue exprimée par ces , charactères extraordinaires n' est point de , l' Hebreu. En voici la preuve, ou plûtôt , la demonstration.

, Tout inconnu que je suppose ce cha- , ractère je ne puis cependant douter qu' , elle ne contienne le nom de Simon et , sa qualité de Prince que le Peuple lui , avoit déférée cette année-là même. Car , 1.° cette médaille est de Simon, com- , me il paroît par l' époque marquée sur , l' autre face. Or sur toutes les médailles , de Simon il n' y a jamais que trois cho- , ses au plus qui fassent la matiére des , inscriptions. 1.° Le nom et la qualité , de Simon. 2.° L' époque. 3.° Le sujet , pour lequel la médaille a été frapée. , L' époque et le sujet sont marqués sur , l' autre face; reste donc que ce soit ici , le nom, et la qualité de Simon; et de , vrai c' est-là le côté, c' est la place, , c'est la disposition dans la quelle on a , tôujours gravé le nom de Simon, et sa , qualité de Prince; il n' est aucune de , ses médailles qui ne le vérifie. Je l' ai , même remarqué aussi sur toutes les mé- , dailles de ses successeurs, que j' ai vûës. , De plus le prémier mot de cette in- , scription extraordinaire a justement le , même nombre de lettres que le nom de , Simon, c' est-à-dire, cinq. Ce seroit donc , se vouloir tromper à plaisir, que de nier , que ce fut là le nom de Simon. Ce pré- , mier mot étant un nom propre, il a , pû, il a dû même ne pas changer dans , une autre langue, sur tout les langues , Orientales qui avoient cours dans ces , contrées, ayant autant d' affinité qu'elles , en ont entre-elles. Il s' ensuit de là que , c' est le nom de Simon; mais il s' ensuit , aussi que je ne puis rien conclure pré- , cisément de ce prémier mot.

, Il n' en est pas de méme du second , qui exprime la qualité de Simon; car

2011 Ministerio de Cultura

Ego vero illud Soucieto atque etiam Harduino assentior, ignotis illis novem characteribus Simonis nomen et principatum contineri; sermonem vero quo utrumque id exprimitur peregrinum aut ab Hebraeo diversum esse, numquam adduci potero ut credam. Quin etiam quae pro sua opinione Soucietus affert, non omnino explorata, atque ex parte mihi falsa videntur. Et primo quidem, quod ait propria virorum nomina, vel si in peregrinam Linguam transferantur, totidem atque in primaeva litteris scribi debere, perpetuum non esse, ostendunt Hebraea Ezechielis, Danielis, Ioëlis, Amosi et aliorum nomina, si cum Chaldaeis, et praecipue cum Arabibus conferantur (6). Etenim Interpretes, vel in propriis nominibus transferendis, non minus solliciti fuere de retinendo vocabulorum in primaeva Lingua sono, quam de eodem in novae genium conformando: quod facere solebant unius et alterius litterae

, si c' est de l' Hébreu, il faut que il y , ait נשיא *nassí* ; ni l' Ecriture ni les , Médailles ne lui donnent jamais d'autre , titre. Or ce second mot n' est point , certainement נשיא *nassí* ; s' il y avoit , נשיא *nassí*, la prémiere lettre seroit la , même que la derniere du prémier mot; , et la seconde du second mot seroit en- , core la même que la prémiere *du seconde* , (rest. *du prémier*); cependant toutes les , lettres sont tres-differentes ::: Il n' y a , donc point ici נשיא *nassí*, et par con- , séquent l' inscription de ce côté-là n' est , point en Hébreu, cet.

(6) In Polyglottis passim *Ezechiel* Hebraice scribitur יחזקאל *Iechezkel*, Arabice autem حزقيال *Hazkiél*. Item *Daniél* Hebraice דניאל Daniel, Arabice دانيال *Daniél* ἐξαγράμματον. Item *Ioël* Hebraice יואל *Ioél*, Arabice يويبل *Iouiél* πενταγρ. Item *Amos*, Hebraice עמוס, Arabice عاموص *Amos* πενταγρ. Praeterea qui Hebraeis שמואל *Semuél*, Arabibus اسمويل *Esmuil* audit: qui Hebraeis עזרא *Hezra* sive *Esdras*, Arabibus عزير *Hozair*, seu *Ozair*, teste Hottingero *Hist. Orient. lib. I. cap. III. de Muham. geneal. pag.* 63. Quod confirmat etiam Relandus *Part. I. Dissertationum Miscell. Diss. III. de monte Garizim pag.* 152. *ex Alcorano Surat. IX.* 30. atque idem in *Salomonis*, *Israëlis* et aliis nominibus Virorum propriis usu venit.

2011 Ministerio de Cultura

rae detractione vel adiectione (7). Interdum etiam, penitus neglecto vocabulorum sono, rem iisdem vocabulis significatam in novam Linguam transferebant (8). Immo etiam in una Hebraica Lingua *Areunae* Iebusaei nomen non uno modo scriptum et prolatum novimus, atque in *Ornan* deflexum, non tantum dissimili vocis sono, sed et dispari litterarum utrobique numero (9).

Praeterea qui Hebraeis *Nehemias*, idem Chaldaeis *Athersata* (10); et qui *Ananias Azarias Misaël*, *Sidrach Misach* et *Abdenago* (11): quae nomina quantum inter se et sono et structurâ et litterarum numero distent, nemo non videt. Ac si sacra profanis coniungere fas est, qui Phoenicibus *Abdásar* et *Aserscemór*, Graecis *Dionysius* et *Serapion* dicti in epigrammate Phoenico-Graeco Melitensi, de quo

(7) Vt in exemplis paulo antè allatis.

(8) *Psalm. LXXI. vers.* 10. Hebraeus textus מלכי שבא וסבא: *malché scebá, usebá*, pro quibus Vulgata Versio: *Reges Arabum et Saba*, ut vox שבא *scebá*, respondeat voci *Arabum*: quomodo in Arabico etiam textu legitur, nimirum ملوك العرب لرابيا وسابا *muluchúl-arabí arabiá uasabá*: id est, *Reges Arabum*, *Arabia*, *et Saba*; nam ibi pro Hebraico שבא *scebá*, redditur عرب *Arabiae* sive *Arabum*, ut in Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus, atque in Bibliis Arabicis Edit. Romanae *De Propaganda* 1671. in quibus وملوك العرب وسبا: *uamuluchúl-arabiá uasabá*, seu: *Et Reges Arabum et Sabá*. Quo loco Interpretes neglecto sono vocis שבא *scebá*, quam exhibet Hebraeus textus, rem ea voce significatam transtulerunt, nimirum عرب *Arabiae* sive *Arabum*. Augustinus tamen Iustinianus Episc. Nebiensis *in Psalterio Quadrilingui*, retinuit vocem Hebraeam שבא *sebá* in Latina eius versione, quamquam in Arabico textu legisset عرب *Arabia*: quae vox in Polyglottis modo laudatis videtur redundare, et uberioris tantum explicationis causa posita.

(9) *Reg. II. cap. XXIV. v.* 16. גרן הארונה היבסי *góren haaráunah haiebusí*: id est: *Area Arauna Iebusaei*. At I. Paralip. XXI. v. 18. בגרן ארנן היבסי *begóren ornan haiebusí*: id est: *In area Ornan Iebusaei*: quam etiam nominis diversitatem retinet Vulgata versio. Et *Ionathas* nunc יונתן *Ionathán*, nunc יהונתן *Iehonathán* passim in Hebraico textu.

(10) Dixit autem Nehemias (ipse est Athersata) et Esdras Sacerdos et Scriba, cet. *II. Esdr. VIII. v.* 9.

(11) *Daniel. III. v.* 88. *et* 93.

2011 Ministerio de Cultura

quo nos σὺν Θεῷ secundis curis acturi sumus, cum de Hispano-Phoenicum numis sermo nobis erit (12).

Verum utut in propriis virorum nominibus perpetuum id esse concesserimus, in appellativis tamen locum habere minime potest. Atqui ut sermo qui novem ignotis characteribus occultatur peregrinus aut ab Hebraeo diversus sit, oportet in eo, itidem atque in Hebraico, non modo nomen *Simonis* proprium quinque litteris scribi, sed et vocem qua appellativum *Princeps* significatur, quatuor non pluribus neque paucioribus litteris constare; cum totidem constet apud Hebraeos vox נשיא *nassí*, cui designandae quatuor postremi ex ignotis characteribus attribuuntur. Id autem ut in diversis Linguis contingat difficile admodum, immo fere impossibile est.

Demum, numus alter à nobis exhibitus, eiusdem seu primi Simonis anni, atque eiusdem typi et commatis, immo ab eadem officina monetaria, atque ab eiusdem ut apparet artificis manu profectus, novem itidem characteres ignotos in adversa gerit, eadem sede atque ordine ad utrumque palmae latus collocatos, ut noster hic de quo agimus; sed, quantum ad formas attinet, longissime ab iis diversos, ut ex utriusque ectypi collatione constabit. Iam vero si ignoti characteres prioris nostri numi, atque item Harduiniani, ad peregrinum aliquem ab Hebraeo diversum sermonem spectant, consequens fiet ut pro ignotis

(12) De ea nos olim, in *Diss. De litteris et sermone Phoenicum* adiecta versioni Hispanicae C. Crispi Sallustii à Regio Hispan. Infante GABRIELE BORBONIO anno MDCCLXXII. in lucem emissae pag. 350.

2011 Ministerio de Cultura

tis posterioris numi nostri characteribus novum alium sermonem effingamus, qui non modo ab Hebraico diversus sit, sed etiam à peregrino illo sermone ad quem prioris numi characteres pertinent; cum ex Soucieti placito, characterum seu scripturae diversitas sermonis quoque diversitatem inducat; quodque his proximum est, si qui posthac in Eruditorum cimeliis apparent numi eiusdem commatis, qui itidem ignotos sed diversos ab hactenus evulgatis characteres exhibeant, pro singulis novum planeque ab aliis diversum sermonem inveniendum.

Ioannes Baptista Bianconus Bononiensis Graecarum litterarum Professor, quocum mihi dum ad annum 1754. ea in urbe agerem non vulgaris necessitudo intercessit, nova et compendiosiore via ignotorum de quibus agimus characterum nodum expediisse sibi visus fuit. Itaque existimavit Harduiniani, ac proinde prioris è nostris numi, inscriptionem, quae eos characteres continet, non à dextra ad sinistram Hebraeorum more, sed è contrario, quemadmodum Latini facimus, legendam. *Singularis* (inquit) *est, et maxime insignis numus hic: quippe ostendit Hebraeos à sinistra ad dextram aliquando scripsisse more nostro: cuius rei unicum est, quod equidem sciam, exemplum. Hinc legitur* שנת אחת לגאלת ישראל scenát achát legeulát Israél, *sive* anno primo redemtionis Israël. *Verba* לגאלת ישראל legeulát Israél *pendent à ceteris ex vi phrasis Hebraicae: : : Altera pars sicli facile explicatur, si, ut dixi, advertantur voces à sinistra dextrorsum procedere. Sic deprehenduntur*

tres

2011 Ministerio de Cultura

tres voces. Prima et altera littera sunt Aleph *et* Lámed, אל, El, Deus: *tertia* Hain, *quarta* Koph, *cuius corpus, sive sinus quadratus est, et pes incurvus, et differt à sequenti* Res, עקר hakár, exstirpavit, eradicavit, abstulit. *Postrema vox* היהב haieháv *sine articulo,* יהב iehávi, *occurrit semel in Bibliis Psalmo* 54. *Hebraeis* 55. v. 23. *Pagnus et Buxtorfius interpretati sunt* onus, pondus, sarcinam; *Chaldaeus Paraphrastes habet* סברך soberách: *quam vocem Augustinus Iustinianus Episcopus Nebiensis* (13) *pariter explicat* onus tuum *à* סבר sabar, portare. LXX. μέριμνάν σου: μέριμνα *significat* curam, *non quamcumque, sed* anxiam, molele-

(13) Psalter. Quadriling. edito Genuae *anno* 1516. *mense Novembri*, ut in eiusdem fine Hebraice, Graece, et Latine legitur. Quod ideo accurate notare placuit, quia Bianconus in Not. ad hunc locum (*Tract. De ant. litt. Hebr. Graecor. Bononiae* 1748. *pag.* 29.) asserit: Augustinum Iustinianum edidisse Psalterium Hebraice, Graece, Arabice cum Latina interpretatione cuiusque textûs, addens: *eoque nobili exemplo praeivisse Ximenio, et ceteris qui Biblia Polyglotta confecerunt*: quod manifeste falsum est. Biblia Complutensia, seu Cardinalis Francisci Ximenii, hoc ordine edita fuerunt, ut ex ipsis liquet: *Novum* quidem *Testamentum Graece et Latine anno* 1514. *mensis Ianuarii die decimo*: *Vocabularium Hebraicum et Chaldaicum*:: *cum introductione artis Grammaticae Hebraicae et Dictionario Graeco* 1515. *Integra Editio ab anno* 1514. *ad* 1517. *mensis Iulii die decimo.* Haec Iac. Le-Long. *Biblioth. Sacr. T. I. c.* 1. *pag.* 8. 9... D. Du Contant de la Molette (*Essai sur le Ecriture Sainte Edit. Paris.* 1775. *pag.* 2.) ,La , prémiere des Bibles Polyglottes qui aient , paru dans le monde doit son origine et , sa naissance au Cardinal Ximenès. *Et pag.* 4. , Quoique cette Bible Polyglotte , ait été commencée des l'an 1502. on , n' en vit neanmoins la fin qu' en 1517. , Encore n' en tira-t-on que 600. exem- , plaires. *Et pag.* 5. Celle-ci aurà toû- , jours la gloire de avoir été la prémiere, , et le modele de toutes les autres. Ioann. Buxtorf. Pater (*Praef. Lexici Hebr. et Chald.*): ,Anno (*inquit*) MDXV. in Hispa- , nia prodiit insigne *Opus Biblicum Compluten- , tense* studio Francisci Ximenii Archiepi- , scopi Toletani... Sequenti anno editum , est in Italia *Psalterium octoplum*, Hebrai- , ce, Graece, Arabice, Chaldaice, cum , tribus versionibus Latinis, et Commen- , tario ex Hebraeis potissimum Scriptori- , bus elaborato per Augustinum Iustinia- , num Genuensem, Episcopum Nebiensem, cet. Vid. etiam Ioann. Morin. (*Exercit. Eccl. in utr. Samar. Pentateuc. Exerc.* 1. *n.* 2.)

2011 Ministerio de Cultura

lestam, affligentem, *ut ex etymologia definit Servius in I. AEneid. quae* cor urat. *Antiqua versio Italica* cogitatum tuum : : : *Sententia ergo* (concludit) *inscriptionis est* : Deus eradicavit, exstirpavit, *vel* abstulit onus, *vel* afflictionem Anno primo redemtionis Israël. *Confirmat hanc interpretationem illud I. Machab. XIII.* 41. Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum Gentium ab Israël, *cet.* (14).

Verum, quod Viri Amici pace dixerim, ea lectio atque interpretatio parum probabilis est. Etenim nec ignotorum characterum è quibus eam lectionem conflat, vim potestatemque certa aliqua lege aut ratione definit; neque orationis structura satis Hebraica est, quod vel Bianconus agnoscere videtur, cum ait vocem היהב *haiehâv* semel tantum ac sine articulo in Sacris Bibliis occurrere. Quominus autem cum ה *He* praefixo, ut in hypothesi de qua agimus, occurrat Grammaticae leges prohibent. Etenim is articulus plerumque recti casûs est, certe numquam praeponitur nominibus in quae verborum actiones transeunt, quale est profecto hoc loco יהב *iehâv*, quod ex Bianconi mente pendet ἀπὸ τοῦ עקר *hakâr*, eiusque vim atque ictum in se recipit.

Sed neque inversa eius numi inscriptionis legendi ratio ulli umquam ut ego existimo Eruditorum probabitur, cum sine exemplo id fiat. Immo mirari subit, quod insolens et plane singularis opinio Viri non vulgariter docti animum pervaserit, tamque alte ipsi insederit. Ei ulterius con-

(14) Bianconus *de antiquis litt. He- braeor. et Graecor.* pag. 29. seq.

2011 Ministerio de Cultura

convellendae plurima nobis in promtu succurrebant ; sed unum sufficere puto , quod ex utriusque arcani numi nostri et inter se et cum Harduiniano collatione statim enascitur. Est autem huiusmodi.

Ignotis novem characteribus, quos secundus è numis nostris in adversa gerit, eadem omnino inscriptio et sententia involvitur quae in primo atque item in Harduini numo, quamvis illius, sive secundi numi nostri characteres, quod ad figuram spectat, longe ab horum characteribus discrepent : id quod eorumdem sedes, numerus, typique inter eos numos convenientia satis ostendunt. Iam vero ut Bianconus quam lectionem Harduini numo aptavit, eamdem et secundo è numis nostris, qui longe diversos prae illo characteres exhibet, accommodet, novum alphabetum effingat necesse est ; atque ita fiet ut unius Linguae varia alphabeta sint, quodque in eodem sermone diversae longeque inter se dissitae litterarum formae unam prorsus atque indiscretam sententiam contineant : quod quam absurdum sit nemo non videt.

Haec autem à me non impugnandi aut contradicendi oestro, cum vix meliora è penu propria proferre queam, sed unius veritatis eruendae studio dicta sunto. Eveniet contrà ut alii rursum vitia mea inquirant, quorum ego iudicium non refugio, neque tamen ipsis, si pauca adquirere possum, invidendus. Itaque meas de his numis, deque ignotis eorum characteribus coniecturas, plane ac simpliciter exponam, non tam ut eas Lectoribus approbem, quam

2011 Ministerio de Cultura

quam ne post decursum à Viris doctis cum laude stadium ad metam otiosus sedere videar.

Existimo igitur novem ignotos quos numi exhibent characteres, ad scripturae genus pertinere quod steganographicum sive arcanum vocant; atque ad totidem vulgares Hebraeorum litteras reducendos, nimirum ad שמעון נשיא; proindeque in iis legendum *Simhón nassí*, atque Hebraicam sententiam involvi, quae Latine reddenda sit, *Simon Princeps*.

Id ut fiat verisimile notanda haec sunt. I. Hebraeorum statum perfecte Democraticum fuisse, in quo cives omnes non modo pares, sed veluti fratres haberentur, quasi ab eodem patre Abrahamo prognati. II. Simoni à Populo non magis quam eius fratribus Iudae ac Ionathani cudendae monetae potestatem cum Israëlis principatu delatam. III. Ipsum proinde sibi eius consilii auctorem et suasorem exstitisse, atque adeo numos procudisse atque evulgasse inexpectata Regum Syriae veniâ. IV. Samariticas litteras Simonis aevo iam diu apud Hebraeos exolevisse, vix dum in Populo esset qui eas internosceret (15). V. Ignotos de quibus agimus characteres affiniaque iis litterarum aenigmata et metatheses numquam in numis qui ea gerunt occurrere, nisi quo loco in iis qui Samariticum characterem simpliciter exhibent, Simonis nomen ac Dignitas perspicue rectoque litterarum ordine legitur.

Qui-

(15) Videndi de hoc Hieronymus (*in Ezechielem* IX. 4.) Eusebius (*Chronic. ad an.* 2. *Olymp.* LXXX. quamvis aliis aliud placeat. Nos de his aliàs.

2011 Ministerio de Cultura

Quibus praemissis pronum iam fuerit coniicere Simonem, ex quo primum ei Principatus à Populo delatus fuit, et maxime ex quo Iudaeorum opes et potentiam agnovit, de numis sub proprio nomine cudendis atque evulgandis, exemplo finitimorum Regum, cogitasse. Verum cum non unum sibi discrimen subeundum fore animadverteret, nimirum à Demetrio Nicatore, cuius Regia iura violanda erant, atque à Iudaeis fratribus quibus in tyrannidis suspicionem venire poterat (16): alterum generose contemsit ac pro nihilo habuit, alterum effugere posse existimavit, si nomen suum non vulgaribus Hebraeorum litteris proderet; sed ignotis atque arcanis characteribus occultaret; et maxime si numos praemitteret in quibus omisso Simonis nomine, sanctae Vrbis et populi Iudaici laudes, collataque in eum Dei beneficia unice continerentur.

Ad hanc coniecturam nos quasi manuducit ipsa numorum Hebraicorum series eorumque per annos distributio. Etenim qui numi omnium existimantur primigenii, nimirum sicli et semisicli, *Sanctae Vrbis* atque *Israëlis* titulum insculptum exhibent, impositâ supra mannae urnam numerali littera א *Aleph*, anni quidem primi principatûs Simonis indice, sed eius nomine suppresso. Hos putantur excepisse qui *novem ignotos*, de quibus agimus, *characteres*, et

(16) *Licet enim Simon* (inquit Harduinus, Expos. duor. numor. Samar. ap. Vgolin. Tom. XXVIII. col. 1072.) *sibi persuadere posset ab Iudaeis pro suis promeritis maximam sui habitum iri rationem, eo quod ab se et à suis fratribus Respublica, quae perdita erat, instaurata esset; tamen si suo nomine numos signare vellet iuxta consuetudinem Regum Syriae et AEgypti, verendum sibi erat ut in Democratia, in qua omnes cives pares habebantur, ubi inauditum foret consilium suum, improbaretur.*

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

INSCRIPTIONES NVMORVM SAMARITANORVM.

ANNI PRIMI.

Sicli duo..... *Adv.*..... 𐤔 𐤋𐤔𐤑𐤅𐤀 𐤋𐤓𐤅..... *Siclus Israel, Anno 1.*
Tab. I. n. 1. 2..... *Av.*..... 𐤎𐤅𐤕𐤓 𐤖𐤋𐤅𐤋𐤑𐤀..... *Ierusalem sancta.*

Numus aereus..... *Adv.*..... 𐤄𐤀𐤔𐤉 𐤁𐤉𐤈𐤃𐤊..... *IX. IGNOTI CHARACTERES.*
Tab. I. n. 4..... *Av.*..... 𐤅𐤀𐤍𐤋𐤔𐤋 𐤍𐤂𐤔 𐤍𐤉𐤅..... *Anno 1. redemtionis Israel.*

Numus aereus..... *Adv.*..... 𐤑𐤇𐤎𐤑𐤔 𐤏𐤁𐤔 𐤍𐤑..... *IX. IGNOTI CHARACT.* (Diversi)
Tab. I. n. 5..... *Av.*..... 𐤅𐤀 𐤍𐤋𐤔𐤋𐤍𐤂𐤔 𐤍𐤉𐤅..... *Anno 1. redemtionis Israel.*

Numus aer..... *Adv.*..... 𐤄𐤏𐤖 𐤖𐤅..... *SIMON* (Transpositis litteris.)
Suprà, pag. 29..... *Av.*..... 𐤖𐤋𐤅𐤓𐤑𐤀 𐤍𐤓𐤑𐤂𐤋..... *Libertatis Ierusalem.*

Numus aer..... *Adv.*..... 𐤔𐤅𐤀 𐤔𐤇𐤅𐤉 𐤉𐤕𐤏𐤖𐤅..... *SIMON PRINCEPS ISRAEL.*
Tab. I. n. 3..... *Av.*..... [illegible]𐤋 𐤍𐤂𐤔 𐤍𐤉𐤅..... *Anno 1. redemtionis Israel.*

Numus arg..... *Adv.*..... 𐤎𐤋𐤏𐤖𐤅..... *SIMON.*
Tab. VI. n. 1..... *Av.*..... 𐤖𐤋𐤅𐤓𐤑𐤀 𐤍𐤓𐤑𐤂𐤋..... *Libertatis Ierusalem.*

IV. Numi aerei..... *Adv.*..... 𐤉𐤓𐤏𐤖𐤅..... *SIMON.*
Tab. VI. n. 2. 3. 4. 5..... *Av.*..... 𐤖𐤋𐤅𐤓𐤑𐤀 𐤍𐤓𐤑𐤂𐤋..... *Libertatis Ierusalem.*

ANNI SECVNDI.

Sichus..... *Adv.*..... 𐤎𐤅𐤋𐤔𐤑𐤅𐤀 𐤋𐤓𐤅..... *Siclus Israel Anno II.*
Tab. II. n. 1..... *Av.*..... 𐤄𐤅𐤀𐤕𐤓𐤄 𐤖𐤀𐤋𐤅𐤕𐤑𐤀..... *Ierusalem sancta.*

III. Numi aerei..... *Adv.*..... [illegible]𐤏𐤖𐤅..... *SIMON.*
Tab. II. n. 2. 3. 4..... *Av.*..... 𐤋 𐤔𐤑𐤅𐤀 𐤑𐤂𐤋 𐤎𐤅..... *Anno II. libertatis Israel.*

III. Numi aerei..... *Adv.*..... 𐤇𐤉𐤅 𐤖𐤀𐤇𐤅..... *Anno secundo.*
Tab. II. n. 5. 6. 7..... *Av.*..... 𐤉𐤕𐤀𐤃 𐤇𐤑𐤂..... *Libertatis Sion.*

ANNI TERTII.

IV. Numi aerei..... *Adv.*..... 𐤅𐤕𐤋𐤅 𐤇𐤉𐤅..... *Anno tertio.*
Tab. III. n. 1. 2. 3. 4..... *Av.*..... 𐤉𐤕𐤀𐤃 𐤇𐤕𐤑𐤂..... *Libertatis Sion.*

Numus aereus..... *Adv.*..... [illegible]𐤅 𐤇𐤉[illegible]..... *Anno tertio* (Dub.)
Tab. III. n. 5..... *Av.*..... 𐤉𐤕𐤀𐤃 [illegible]..... *Libertatis Sion.*

ANNI QVARTI.

Numus aereus..... *Adv.*..... 𐤍𐤃𐤂 𐤏𐤑𐤒𐤍 𐤇𐤉𐤅..... *Anno IV. Dimidius.*
Tab. IV. n. 1..... *Av.*..... 𐤉𐤦𐤍𐤃 𐤇𐤋𐤍𐤋𐤇..... *Redemtionis Sion.*

Numus aereus..... *Adv.*..... 𐤏𐤑𐤑 𐤏𐤑𐤒𐤍 𐤇𐤉𐤅..... *Anno IV. Quadrans.*
Tab. IV. n. 2..... *Av.*..... 𐤉𐤦𐤍𐤃 𐤇𐤋𐤍𐤋𐤇..... *Redemtionis Sion.*

VI Numi aerei..... *Adv.*..... 𐤏𐤑𐤒𐤍 𐤇𐤉𐤍..... *Anno quarto.*
Tab. IV. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Av.*..... 𐤉𐤦𐤀𐤃 𐤇𐤋𐤍𐤋𐤇..... *Redemtionis Sion.*

2011 Ministerio de Cultura

et sub iisdem latens Simonis nomen in adversa gerunt, in aversa autem *annum primum redemtionis Israël.* Tertio loco veniunt in quibus *Simonis* nomen nudum Samariticis litteris sed transpositis inscriptum exstat, atque in aversa *libertas Ierusalem*: quos aeque ac praecedentes iure arcanos dixeris. Quarto, qui nomen et principatum Simonis plane ac simpliciter exprimunt, nimirum *Simon Princeps Israël*, et in aversa *Anno primo redemtionis Israël.* Quinto demum loco, quorum in priore facie *Simon* absque epitheto legitur, in posteriore autem *libertatis Ierusalem*: quae summa est numorum primi principatûs Simonis anni.

Ad secundum pertinent etiam sicli et semisicli cum epigraphe *siclus Israëlis* et *Ierusalem sancta*, cumque binis supra mannae urnam litteris ב ש *Scin Beth*, quarum postrema numeralis est, annique secundi Simonis index, eius tamen nomen ibi non exstat. Item aerei maiores numi sub eiusdem anni initia percussi, quorum fronti nudum *Simonis* nomen inscribitur, aversae autem *annus secundus libertatis Israël*; ac demum minores alii quibus *anni* tantum *secundi* nota et *libertas Sionis* insculpta est, absque Simonis nomine.

In tertii demum et quarti principatûs Simonis anni numis eius nomen amplius non exstat.

Quod ut fiat dilucidius, Samariticarum quas Hebraici numi gerunt inscriptionum syllogen uno obtutu lustrandam exhibere hoc loco placuit, subiectâ Latina earumdem interpretatione.

2011 Ministerio de Cultura

Ex quibus videtur erui Simonem, cum primum numos cudere coepit, id est priore eius imperii anno, quasi per gradus processisse, nimirum à siclis et semisiclis qui nullam ei apud populum invidiam conflaturi erant, ad numos qui proprium eius nomen sed ignotis characteribus tectum exhibent: tum ad eos in quibus id nomen Samariticis quidem litteris sed transpositis legitur; ac demum ad illos qui idem *Simonis* nomen cum epitheto *Principis Israëlis* atque eodem charactere expressum gerunt: neque tamen diu in ea sententia perseverasse; cum numi quos eodem anno exeunte et sub initium sequentis edidisse constat, quique omnium postremi sunt ex hactenus detectis cum expresso *Simonis* nomine, nudum illud exhibeant, id est absque principatûs Israëlis titulo.

Simon igitur, ut nostra fert coniectura, ex quo primum Princeps Israëlis salutatus fuit, et maxime ex quo Populus *scribere coepit in actis et gestis publicis*, *Anno primo sub Simone Summo Sacerdote magno Duce et Principe Iudaeorum*, vel gloriae eiusdem populi, aut gentis Machabaicae, amplificandae, vel nominis demum sui in posteros propagandi studio (quod in militari Viro minime reprehendendum erat) de numis sub proprio nomine cudendis cogitavit, eamque diu molem animo agitabat (17). Cum autem sub-

ve-

(17) Harduinus non dissimulat Simonem desiderasse ut nomen suum numis insculperetur; ita enim inquit (*Expos. duor. num. Samar. ap. Vgolin. Tom. XXVIII. col.* 1071.): *Cuthaei et Babylonii, qui sedes habebant in hac regione* (Samariae) *coacti fuerunt cudere hoc numisma nomini Principis cui subiecti erant* (nimirum Simonis), *cum cuperet ut conspiceretur suum nomen impressum in moneta figurata iuxta morem Regum sibi finitimorum, quod obtinere non potuisset à populo Hierosolymitano.*

2011 Ministerio de Cultura

vereretur si palam id faceret popularium offensionem incursurum, numos de quibus agimus arcanos quasi exploratum praemisisse, deinde anagrammaticos, donec tandem ad eos pervenit in quibus nomen eius palam et absque aenigmate legitur. Tum vero seu à populi Senioribus admonitum, sive quod ex perlatis ad eum vulgi rumoribus intellexisset offensos sibi ob id Iudaeorum animos, civium gratiam desiderio suo praetulisse, atque exinde à numis sub proprio nomine cudendis abstinuisse: quod nomen non in reliquis modo secundi anni numis, sed in iis etiam qui ad tertium et quartum principatûs Eiusdem annum pertinent amplius non exstat.

Sed ne cui ex dictis occasio praebeatur Simoni obiiciendi quod immoderato gloriae studio flagraverit, aut, quod minus ferendum esset, quod Iudaeorum libertati insidias struxerit: de priore capite hoc notandum, Simonem nihil exorbitans, quodque egregiis tum propriis tum Machabaicae gentis erga Iudaeos meritis debitum non esset, affectasse; cùm fratres toties patriam manu et consilio iuvissent ac demum pro ea gloriosam occubuissent mortem, ipse autem collapsam Remp. restituisset amplificassetque. De posteriore autem, longe aliam mentem Simoni fuisse quàm ut Iudaeos fratres opprimeret aut eorum libertati insidiaretur; idque unum atque unice propositum sibi fuisse, ut quemadmodum Consulum et Archontum nomina Romanorum et Atheniensium numis salva utriusque Populi libertate passim videbat insculpta, ita et proprium

2011 Ministerio de Cultura

prium percussis ab eo numis inscriberetur, quin Iudaeorum Resp. quidquam propterea detrimenti caperet (18).

De utriusque autem numi nostri raritate (quod paene iam exciderat) sufficiat repetere, priorem seu num. 1. Harduino teste, nulli ex his qui post CL. annos de numis Samaritanis scripserunt suo adhuc tempore cognitum; certe ante eum à nemine evulgatum fuisse scimus. Soucietus ignotos eius characteres buxo incisos exhibuit (19), Froëlichius integrum protulit (20). Exstare autem archetypum Londini in Celeb. Hunteri Gazophylacio testatur nobis per litteras Doctiss. Woide, cuius praeterea iconem manu Cl. Combe delineatam, ac plumbum paris atque numus est ponderis, nimirum granorum 104. perbenigne ad nos transmisit. De posteriore autem seu numeri II. nunc primum in lucem prodire existimo: quod item et Eruditi Londinenses in iis quas modo laudavimus Cl. Woide litteris affirmare nihil dubitant.

Sed illud, antequam hinc abeam, praetereundum non pu-

(18) Simonem ut numos suo nomine inscriptos cuderet non modo finitimorum Syriae et AEgypti Regum, sed Atheniensium et Romanorum, aliarumque etiam Rerump. exemplo permotum fuisse, suadent insculpta ipsius numis symbola. *Cum enim aliae gentes* (inquit Relandus *De num. Samar. Diss. II.*) *Deos aut Genios suarum urbium tutelares, vel sacra quaedam vasa numis suis imprimerent: Hebraei hoc voluerunt exstare in suis numismatibus omnipotentiae Divinae et curae quam pro iis provida Numinis sapientia gesserat adeo manifestum indicium*: vas nimirum quo manna servabatur. Pondus quoque siclorum ab Atheniensibus videtur Simon mutuasse, cùm eo tempore Atticae drachmae Romanis adhuc incognitae essent.

(19) *Diss. sur les méd. Hebr. pag.* 47.

(20) *Annal. Reg. Syr. Tab.* XVIII. *n.* 26. De quo tamen numo in *Annal. Proleg. pag.* 91. *n.* 26. haec habet: *In aversa palmae arbor, epigraphe vero litteris incognitis expressa. Forte Babylonici characteres, legendi* SIMON PRINCEPS. *Videatur Harduinus in Not. ad Plinium.*

2011 Ministerio de Cultura

puto, cum Harduinus et post eum Froëlichius ignotos numorum de quibus agimus characteres Babylonios esse existiment, mirandum sane neutri eorum aut ulli umquam, quem ego sciam, Scriptorum venisse in mentem ut inde elicerent, eos characteres fuisse primaevas Chaldaeorum litteras, quibus usus fuit Iudaeorum populus è Babylonia redux; atque ex iisdem Assyriacas seu vulgares Hebraicas litteras, quantumlibet deformatas, descendere. Et quidem nihil magis optandum, quam ut priscae litterarum Chaldaicarum formae numorum de quibus agimus ope conservatae atque ad nos transmissae essent, quemadmodum veteres Hebraeorum litteras Samaritanis numis concreditas, atque optima fide ab iisdem redditas accepimus. Verum inanem prorsus illam spem et coniecturam (si quis ita divinaverit) fore, arguit duplex planeque diversa earumdem litterarum conformatio, quam in ignotis utriusque numi nostri characteribus observavimus. Etenim cum, ut paulo ante diximus, novem tantum Hebraicae litterae, nimirum שמעון נשיא, sub ignotis characteribus lateant, hosque octodecim esse constet: singulae atque eaedem prorsus in utroque numo litterae sub duplici figura occultantur: quod arguit ignotorum characterum formas arbitrarias esse, neque ad unius alicuius sermonis alphabetum pertinere: de quo Lectores tempestive admonendos duximus.

CA-

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT OCTAVUM.

De Ieochannahanis, seu Ioannis Hyrcani numo; deque iis qui sub Ionathanis nomine circumferuntur.

IEOCHANNAHANIS, seu Ioannis cognomento Hyrcani, Simonis filii numus, mole quidem exiguus, sed quantivis apud Eruditos pretii, venit nobis ordine explicandus. Quem cum plerique Viri docti patruo eius Ionathani adscribendum censeant, rationes quibus in eam sententiam adducti fuere, tum quae nos ut diversa sentiamus faciunt, suo loco in medium afferemus, ut invicem conferri possint. Primum autem omnium accuratum eius numi ectypum sistere placet, nimirum

Penes nos.



Continet autem quïnque versus seu lineas laureo serto inclusas, quarum postrema omnino detrita est; quatuor reliquae has litteras exhibent

IV.	III.	II.	I.
ש צ ף ע :	ך כ ך ך ן	ך ן ך ן ן ם	צ ף ז
ש י א :::	כ ו ה נ ה נ	ח נ נ ה נ ה	י א ו

Quae totidem Assyriacis seu vulgaribus Hebraicis iisdem sub-

2011 Ministerio de Cultura

subiectis respondere videntur ::: Atque haec in adversa numi facie.

Aversa geminum cornu copiae inferne decussatum exhibet, è cuius medio prodit flos fructusve instar papaveris aut malogranati, eique binae impendent litterae, seu potius fugientium litterarum vestigia; à dextris autem cornu copiae adiacet alia littera non dissimilis ךָ כ *Caph finali* in quadra vulgari Hebraeorum scriptura, nimirum ך, cui è regione in sinistro areae latere videtur alia respondisse, sed eam incisoris culter abstulit. Modulus omnium, quos viderim, minimus. Pondus granorum 33. Circumsectionis demum ratio eadem quae in tertii et quarti Simonis anni numis; ac proinde adversa in eo quam aversa facies aliquanto amplior.

Similem huic alium archetypum Romae olim me vidisse memini apud Cl. Iosephum Simonium Assemanum Vaticanae Bibliothecae Pro-Praefectum, è cuius cimeliis binos item alios Hebraicos numos descripseram et in schedas retuleram. Vbi autem ad hunc de quo agimus ventum est, cum typum ex utraque parte adumbrassem, ut nihil iam restaret praeter litteras, significavit mihi Assemanus operam me abuti in iis describendis; cum is numus non Hebraeo-Samaritanus esset, sed Illyricus. Atque ego male credulus cessavi ab opere, cuius perficiendi nulla mihi amplius spes superest.

Exstat item eiusdem commatis alius in cimeliarchio Regii Hispaniarum Infantis LVDOVICI BORBONII, quem olim

2011 Ministerio de Cultura

à me visum descriptumque in schedis habeo. In eius vertice singularis Graeca, ut videtur, littera laureo serto inclusa visitur, hac figura A: post quam in priore versu *Iehochanan* ἑξαγράμματον perspicue legitur, hoc modo 𐤉𐤄𐤅𐤇𐤍𐤍, seu vulgaribus Hebraeorum litteris, יהוחנן. Secundus versus maxima sui parte exesus ternas tantum postremas litteras retinet, nimirum חנן, sive הנה. Tertius quartusque non melius ac praecedens habiti.

Relandus similis alterius numi ectypum protulit (1), et ad Ottium transmisit, non satis, ut ipse ait, explorata eius lectione (2): quod mox à Ioanne Henrico Hubero in generalem *numorum Samaritanorum typum* relatum fuit (3). Ac de eodem Huberi ectypo loqui videtur Soucietus, cum illud in Scriptoris Germani Tabula à se visum fuisse, inque eo *Ieochananis* nomen יהחנן satis clare legi ait (4).

Ioannes Clericus numum alium eiusdem typi, sed tribus tantum versibus constantem edidit (5), in quo, itidem atque in illo Huberi, *Ieochananis* nomen legi testatur Soucietus (6).

Co-

(1) Diss. IV. de num. Samar. Tab. VI. n. 6. pag. 120.

(2) Diss. IV. sub finem pag. 149. *P. S. Tabula VI. Praeter quinque numos Samaritanos, duos alios n. 6.* (hic noster est de quo agimus) *et 7. addidi, quorum lectio non mihi certa est*, ait Relandus ad Ottium scribens.

(3) Typus numorum Samar. Ioann. Henr. Huber num. 33.

(4) Il' y a quelques années (inquit Soucietus *Diss. sur les méd. Hebraïq. pag.* 86.), qu' il en parut une de *Jean* fils de , *Simon* et son successeur. Je ne sai si , l' Auteur Allemand qui la fit graver, la , conut, et l' expliqua. Car je n' ai point , vû son Livre ; j' ai seulement vû la plan- , che qu' il fit graver ; où je lis tres-bien , יהחנן IOHANNES.

(5) Bibliotheque Choisie Tom. XI. art. 2. pag. 105.

(6) Loco paulo ante citato, not. 4.

2011 Ministerio de Cultura

Comes demum Pembrochiae binos eiusdem typi et commatis exhibet (7), quorum alter Graecam, ut coniicimus, litteram A eadem prorsus sede et figurâ qua in Regii Hisp. Infantis LVDOVICI BORBONII numo exstare diximus, conspicuam gerit; ac, nisi vehementer ego fallor, *Ieochananis* nomen non obscure in utroque legitur.

Septem horum numorum ectypa, totidem arithmeticis notis distincta, suo nos loco exhibituri sumus, ut uno obtutu lustrari atque invicem conferri possint. Prius tamen singulares numi nostri litterae analytice inspiciendae atque examinandae sunt, nimirum ut ex earum vi ac potestate veram et germanam eius lectionem eliciamus.

Et primo quidem littera ⊻ (qua figurâ in numo nostro τὴν, *Iod* exprimi diximus) ex Relandi et Regii Infantis numis non alia esse dignoscitur; cum in duobus iis eadem sede ac figurâ conspicua exstet, eamque Soucietus (8) et Cl. Barthelemius (9) in Relandi et Ioannis Clerici ectypis principem esse agnoscant vocis *Ieochanan*.

Se-

(7) Mus. Pembrochian. Part. II. Tab. 85. litt. H. H.

(8) *Soucietus* (Dissert. sur les méd. Hebr. pag. 86.) „Monsieur Le Clerc à peu „près au même temps dans sa Bibliotheque „choisie, an. 1707. Tom. XI. p. 105. en „a donné une (*médaille*) qui certainement „n' est pas de Simon. La prémiere lettre „est manifestement un *Iod* ל. Celui qui „produit cette médaille, et qui l'explique, „en convient, quoi qu' il n' en ait bien „connu, à mon sens, ni les autres lettres, „ni les figures, et qu' il y mette *deux cors* „*dont on joüoit* l' année de Jubilé *parmi* „*ceux qui observoient la Loy de Moyse*. Qu' on „l' éxamine (*pergit*) de nouveau, et l' on „verra que ce sont deux Cornes d' abon„dance, comme sur plusieurs autres; et „qu'il y a au prémier mot de l' inscription „יהוחנן *Jehohhanán*. Qu' elle est par con„séquent de *Jean*, fils et successeur de „*Simon*, ou peut être de *Jannéus* fils de „*Jean*, et petit fils de *Simon*, cet.

(9) Cl. Iac. Barthelemius (*Diss. sur deux médaill. Samar. d' Antigonus Roi de Judée Tom. XXIV. Memoir. del' Acad. Roy. des Inscript. et Bell. Lettr. pag. 62.*), Celle médaille „que le P. Souciet a commencé d' en don-

2011 Ministerio de Cultura

Secunda prioris versûs littera, hac ut vidimus figura depingitur ∃. Ea vero ipsissima est atque illa quae in siclis et semisiclis postremâ sede visitur in voce קדושה *kedosáh*: quo tamen loco nos eam pro ה *He* usurpavimus, in numo autem nostro reddimus per א *Aleph*. Cur, inquis, tam varie? Nimirum quia in eo numo alia est atque alia littera quae תּחת ה *He* vicem et locum suppleat atque occupet; et maxime quia eadem littera ∃ superne mutila, seu ∃, postremam in eodem numo sedem obtinere videtur in voce נשיא *nassi*, quae proculdubio est א *Aleph*. Hac eadem figura ∃ depictam videas alteram ex arcanis illis litteris quas ignotorum characterum numi exhibent, nimirum in secundo sive maiore ad dextrum palmae latus: quae tamen eo loco sit eius potestas incertum plane est.

Littera ו *Vau* tertiâ et ultima sede in priore versu visitur hac figura ϒ. Tertio autem versu sub diversa, nimirum ϒ, secundum locum occupat. Vtramque tamen Hebraeo-Samaritanam esse constat (10).

Prima secundi versûs, seu ⊟, eadem figurâ occurrit in numis Samaritanis passim, et Assyriacae ח *Chet* perpetuo respondet. Exstat etiam in Cl. Barthelemii numo.

Se-

, ner, est bien plus conforme à la vérité; , ce Savant avoit crû voir le nom de *Jo-* , *hannes* sur les médailles publiées par Ré- , land et par le Clerc: on l' y distingue , en effet très-nettement, et sur une au- , tre médaille du cabinet du Roi il me , paroit associé avec la qualité de Grand- , prêtre, *cet.*

(10) *Ioannes Swinton* (Diss. de num. quibusd.Sam. et Phoen. pag.46. seq.) litteram ו *Vau*, AEolicum digamma haud parum referentem, nimirum ϒ, qua figura in anni secundi numulo à se edito visitur, insolitam et plane singularem depraedicat, *quamque nullus* (inquit), *si bene memini, hactenus evulgatus et explicatus ostentavit Samaritanus numus.* Sed nihil ea litterâ tritius in siclis et semisiclis, immo et in aliis passim Hebraeorum numis, praesertim in iis qui ad tertium Simonis annum pertinent.

2011 Ministerio de Cultura

Secunda, tertia et quinta, seu נ *Nun*, ter in eodem versu, bis autem in sequenti cernitur, hac figura *1*: quae plane singularis est. In aliis eiusdem typi numis, atque item in Barthelemiano, ita depingi solet ע, aut ע.

Quarta et sexta eiusdem versûs littera ה *He*, sub hac figura ק, quater in nostro, ac toties in Cl. Barthelemii numo visitur: eâdem utrobique potestate.

In tertio versu agmen ducit littera כ *Caph* sub affini figura sed ad quadram accedente, nimirum ⊐. Eam vero litteram priscis Hebraeis omnino incognitam fuisse docent antiqua et indubia eius Gentis numismata sub Simone, desumtaque ex iisdem alphabeta, in quibus loco τῆς כ *Caph*, vacuum perpetuo spatium relinquitur, ut apud Waltonum (11) Soucietum (12) Bianconum (13) Finettum (14) Huberum (15) et alios. Cl. Barthelemius eam litteram in numo suo agnoscit sub hac figura ɔ: quam ego, ut et τὴν כ *Caph* numi nostri, sive ⊐, Chaldaicam esse existimo: quemadmodum olim Iosephus Scaliger observavit (16).

De reliquis tertii versûs litteris, nimirum ו *Vau*, ה *He*, נ *Nun*, superius à nobis dictum.

Prima quarti versûs littera ש *Scin* sub hac figura Ψ, in altero tantum ex numis Pembrochianis postremâ omnium se-

(11) *Waltonus*, Appar. Polygl. Londin. T. I. pag. 38. in Tab. Charact. Hebraicor. è numis.

(12) *Soucietus*, Diss. sur les médaill. Hebr. pag. 142. seq.

(13) *Bianconus*, De antiquis litt. Hebr. in Alphab. numismat.

(14) *Finettus*, Tratatto della Lingua Hebraica e sue affini: in Tab. Alphabetor.

(15) *Huberus*, in Typo numor. Sam.

(16) *Ios. Scaliger*, ap. Montfauconum Palaeogr. Gr. lib. II. c. 3. pag. 129. quo loco de Graecorum *Kappa*, haec habet: Kappa *retinet nomen Syriacum. Hinc manavit maiusculum* Caph, *Chaldaicum, et inde Iudaicum.*

2011 Ministerio de Cultura

sede sub affini forma visitur, et quidem post litteras ק, ע sive ה, נ *He*, *Nun*: ut coniunctae reddant ...ענק, *hanas*... et plene הנשיא *hanassí*, seu *Princeps*, itidem atque in numo nostro. Existimo autem et hanc formam ע origine Chaldaicam esse. In Relandi numo post easdem litteras ה, נ *He*, *Nun* hac figura ע occurrit, quae proprie Samaritica est, et passim in siclis et numis obvia.

De binis reliquis in quarto versu litteris, nimirum ס sive *Iod*, et א *Aleph* superne decurtato, ex integro seu א, non ita pridem dictum.

Ex quibus confici existimamus numi nostri epigraphen vulgari Hebraeorum alphabeto restituendam, ut legatur ....יאוחנגהן הכוהן הנשיא *Ieochannahán hacohén hanassí*.... Latineque reddendam, *Ieochannahán*, sive *Ieochanan*, *Sacerdos Princeps*.... ac proinde numum ad Ioannem cognomento Hyrcanum Simonis filium, eiusque in principatu successorem pertinere (17).

Quae si vera sunt, maiores hic numus turbas nobis concitabit quam olim Terentianus ille Eunuchus. Primum enim lis intendenda est iis qui Ioanni Hyrcano numos quos numquam cudit attribuunt, tum qui eidem et quos cudit abiudicant, Viris utrisque eximiis à quibus vinci non

(17) Non me latet *Iochanánis* nomen in Regum, Paralipoménωn, Esdrae, et Ieremiae libris sex passim, interdum etiam et quinque tantum litteris apud Hebraeos scribi, ubi de cognominibus filiis Caree, Iosiae, Elioenai, Meselemiae, Eliasib, et Eccetan sermo est, nimirum יהוחנן *Iehochanán*, aut יוחנן *Iochanán*. Verum, praeterquam quod à diversis nulla est illatio, si ἀπὸ τοῦ יאוחנגהן *Ieochannahán* ὀγδοογραμμάτου (quale id nomen in numo nostro exstat) primùm detrahas otiosum א *Aleph*, dein alterum è τοῖν נ *Nun* (quae littera hìc repetitur ob nondum inventam notam duplicantis *Daghésc*), habebimus *Iochanánis* nomen ἑξαγράμματον, sive sex litterarum.

2011 Ministerio de Cultura

non tam turpe fuerit quam decorum est cum iis contendisse.

Ioannes Swinton Artium Magister Oxoniensis editis scriptis clarus vulgatum à Relando numum bilinguem aereum, cuius adversa ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΝΤΙΓΟΝ.. aversa vero sex Samariticas litteras exhibet, quemque Ipse ita depingit,



E Thesauro Ser: Galliar: Regis.

hoc modo legit הן גדל . . . . ח, id est: Hh . . *hén gadól*; deficientiumque litterarum hiatum supplevit הורכן הכהן גדל, *Hhurcán hacohén gadól*, et Latine reddidit, *Hyrcanus Sacerdos magnus* (18): idque cum altera numi facies *Antigoni Regis* nomen Graecis characteribus exhibeat.

Eius numi ectypum è Ser. Galliarum Regis cimeliis miserat Antonius Gallandius ad Relandum, ut patet ex illius litteris XXI. Decembris MDCCVIII. quas Relandus quintae Dissertationi de numis Samaritanis inseruit (19). Cum autem ad numi explicationem devenisset, putavit eum, atque eiusdem fere commatis alium quem paulo ante de-

scri-

(18) Diss. *De numis quibusdam Samaritanis et Phoeniciis, vel insolitam prae se litteraturam ferentibus, vel in lucem non editis*, cet. Oxonii MDCCL. pag. 49.

(19) Pag. 183. Editionis Traiectinae MDCCIX.

2011 Ministerio de Cultura

scripserat, ad Antigonum Iunioris Aristobuli filium Iudaeorum Regem pertinere (20), superstites autem Samaritícas in eo litteras partem efficere vocum ארבע לחרות, ut integra inscriptio fuerit שנת ארבע לחרות ציון, *scenát arbáh lecherút Tsión*, *anno quarto liberationis Sion* (21); nihil tamen de his definire ausus, neque satis sibi fidens, id unum Lectores admonuit, in eo atque in affini alio Antigoni numo, *litterarum Samaritanarum bases proximas esse margini exteriori numismatis, et vertices respicere cornu copiae, sive medium numi : quum in aliis numis ita legantur litterae, ut partes earum supremae, margini sint proximae* (22): quod et ipse litterarum in utroque numo situs indicat.

Swintonus Relandi monito edoctus eius numi lectionem tentavit, sed ἀπὸ τοῦ ⊟ *Cheth* Samaritico exorsus (quam litteram falso sibi persuasit principem esse vocis חורכן *Hhurcan*, ut ipse legit), reliquas pro ingenio, ne dicam pro lubidine, supplevit: non animadvertens, ut coniicio, τὴν ⊟, sive Hebraicum ח *Cheth*, qua potestate et sono ea littera vulgo effertur, minime accommodari posse vocabulo *Hyrcani*, quod simplici tantum *h* sive adspiratione scri-

(20) *Altera numi facies* (inquit Relandus Diss. v. pag. 205.) *repraesentat coronam*:::*et hanc epigraphen* ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ: *quem esse Antigonum Regem ex numo sequenti liquet. At quis ille Antigonus*?::: *Antigonum suspicor esse Aristobuli* (Iunioris) *filium Iudaeorum Regem.* Iunioris inquam Aristobuli, Alexandri Iannaei filii; nam prior ille Antigonus Ioannis Hyrcani filius, à fratre Aristobulo in ipso imperii limine sublatus fuit, nec Iudaeorum regnum obtinuit. Et pag. 207. de numo hoc de quo agimus: *Quintus* (inquit) *numus eiusdem est Antigoni cum epigraphe* ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Ab altera parte unum modo cornu copiae conspicitur, et eaedem litterae, cum iis quae in numo praecedenti erant.*

(21) Dissert. v. de numis Samaritanis pag. 204. Edit. Traiect.

(22) Eadem Diss. v. pag. 208.

2011 Ministerio de Cultura

scribitur; neque τὸ *Hyrcanus* merum atque adscititium *Ioannis* cognomen fuisse (23): quod proinde proprio eius nomine omisso minime numis insculpi oportuit. Sed levia haec sunt. Illud gravius et sane mirandum, quod hunc Antigonum, quem numus aperte *Regem* vocat, Swintonus Ioannis Hyrcani filium atque adeo Senioris Aristobuli et Alexandri Iannaei fratrem esse existimaverit (24); cum constet Antigonum Hyrcani filium numquam ad regnum pervenisse, sed à fratre Aristobulo cui aetate proximus erat interemtum, vacuam imperii sedem Alexandro natu minori praeparasse (25).

Cl.

(23) Iosephus *Antiq.* XIII. cap. 7. n. 4. Ἔπεμψε καὶ ἐπὶ Ἰωάννην τὸν τρίτον, τούτῳ δέ ἐστι καὶ Ὑρκανὸς ἦν ὄνομα, τοὺς διαφθερούντας· *Misit* (Ptolemaeus) *qui tertium quoque* (è Simonis filiis) *Ioannem interficerent, cui etiam Hyrcanus nomen erat.* Et cap. 8. n. 4. Καὶ προϊουμένῳ τὴν ἐπὶ Πάρθους αὐτῷ στρατείαν συνεξώρμησεν Ὑρκανός· *Cumque ille* (Antiochus Pius) *in Parthos expeditionem faceret eum comitatus est Hyrcanus.* Eusebius *Chron. Lib. post. ad Olymp.* CLXIII. *Iohannes Dux Iudaeorum et Pontifex adversus Hyrcanos bellum gerens Hyrcani nomen accepit.* Sulpicius Severus *Sacr. Histor. Lib.* II. *Huic* (Simoni) *Iohannes filius successit: qui cum adversum Hyrcanos, gentem validissimam, egregie pugnasset, Hyrcani nomen accepit.* Vid. tamen Georgii Hornii, et Ioannis Drusii notata hoc loco.

(24) *Vera si haec sint* (ait Swintonus Diss.de num.quibusd.cet. pag. 52. n. 5.) *perrarum, de quo hìc agitur, numum cum ad Hyrcanum patrem, tum ad filium Antigonum, utpote* IIO°. *ante Christum anno percussum, et utriusque Principis nomine signatum, pertinuisse, par est ut agnoscamus.*

(25) Iosephus Antiq. XIII. cap. 11. n. 2. Nec me movet quod paulo antè, scilicet n. 1. dixerit Aristobulum, fratrem Antigonum sibi aetate proximum adamasse, *eumque pari* (id est Regio) *honore dignatum fuisse*, τοῦτον μὲν τῶν ὁμοίων ἠξίου; et paucis interiectis, *in primis regni consortem habuisse*, μάλιστα δὲ καὶ κοινωνὸν εἶχε τῆς βασιλείας: quod forsan Cl. Pellerinum impulit ut diceret (*Recueil de médaill. de Rois: Rois de Iudee pag.* 171.) *Antigonum binos circiter annos cum fratre Aristobulo regnasse.* Non inquam me movet. Haec enim de extremo quo eum colebat, quoque ab aliis coli iusserat, honore, aut de negotiorum communione, potius quam de regni consortio intelligenda sunt; cum paulo pòst idem Iosephus Antigonum *hominem privatum* vocet, eoque censu à popularibus suis habitum fuisse asserat, inquiens, calumniatores invidiam ei apud Aristobulum creasse, *quasi singula quae*

2011 Ministerio de Cultura

Cl. Abbas Iacobus Barthelemius Ser. Galliarum Regis Cimeliarcha cui Phoenicum et Palmyrenorum litterae plurimum debent, cum numum de quo agimus archetypum vidisset, aliam in eo praeter sex illas litteras à Gallandio expressas deprehendit, nimirum תּוֹ כ *Caph*; et universas ἔξωθεν lustrans, binas ex eis conflavit voces כהן גדל *cohén gadól*, quibus *Sacerdotii magni* dignitas exprimitur. De superstite autem singulari littera ⊟, sive Hebraico ח *Cheth*, quam Swintonus nominis *Hhurcán* atque universae inscriptionis principem esse existimabat, haud improbabiliter coniecit, eam priorem litteram fore alterius ex iis epithetis quibus Ethnarchae Iudaeorum post Sacerdotium magnum reliquos honorum titulos exprimere solebant (26). Numum vero certo atque indubitato eius auctori, nimirum Antigono Aristo-

ab illo fierent non essent hominis privati, sed pro animi Regii argumentis habenda, ὡς ἑ κατ' ἰδιώτην ἕκαστον ἦν τῶν γινομένων, ἀλλὰ φρονήματος ἔνδειξιν ἔχειν βασιλικοῦ. Videnda. eod. libr. cap. 12. n. 1.

(26) , Je ne m'attacherai (inquit Cl. Barthelemius Diss. *de binis Antigoni num. Tom. XXIV. Reg. Acad. inscript. et numism. pag.* 53.) qu' aux deux premières (*médailles*), on les trouvera gravées sous , les n. 1. et 2. Si Reland les avoit eues , entre ses mains, si M. Galland, avant , que de lui en envoyer les desseins, les , avoit examinées avec plus d' attention, , ils auroient sans doute expliqué les mots , hébreux qui subsistent encore: on y voit , d' abord un *caph*, un *he*, et un *noun*, , c' est-a-dire, le mot כהן *cohén*, qui en , hébreu signifie *Sacerdos*; on lit ensuite , un *ghimel*, un *dáleth*, et un *lámed*, , c' est-a-dire גדל *gadól*, qui signifie dans , la même langue *magnus*: les deux mots, , joints ensemble, désignent la qualité , de Grand-prêtre, ce qui prouve que ces , médailles ont été frappées pour un Roi , de Judée. Après ces mots l' on trouve , sur la mieux conservée des deux, un *heth*, , & de foibles traces de quelques lettres, , dont on ne sauroit former le nom d' An- , tigonus; c' étoient, selon les apparences, , des titres qu' on avoit joints à celui de , Grand-prêtre, tels que celui d' Evergè- , te, d' ami des Grecs, et d' autres sem- , blables, qu' on a quelquefois donnés aux , princes Asmonéens, au rapport de Josè- , phe *Antiq. lib. XIII. c.* 11.

2011 Ministerio de Cultura

stobuli Iunioris filio Alexandri Iannaei nepoti restituit (27), qui postremus omnium ex Hasmonaeorum Gente Iudaeae regnum et Sacerdotium magnum obtinuit ad annum circiter XXXVIII. ante Christi nativitatem.

Verum idem ipse Barthelemius numum alium Ionathani Simonis fratri adscribit, quem Ieochannahanis, seu Ioannis Hyrcani esse multa arguunt, et meo iudicio evincunt. Ignoscet spero Vir prudens, cuius olim et alloquio fruitus et humanitatem per litteras expertus sum, si plus ego coniecturis meis quam oculatae ipsius fidei tribuere quodammodo videor. Nam si spes subesset numum videndi archetypum, eâ me interea lactassem, et iis quas dicebam coniecturis valedixissem utique. Verum quo tempore litteras ad eum apparabam, oratum ut numi ectypum τῇ ἰχθυοκόλλῃ impressum ad me mitteret, inaudivi Regio iussu in Orientem profectum ut Codices et vetera numismata conquireret, nec tam brevi Parisios rediturum.

Hoc ego nuntio, quem falsum esse eventus postea docuit (28), ad priores de Barthelemii numo cogitationes et

(27) , Antigonus (ait *idem Auctor* pag. 53.) , étoit fils de cet Aristobule, , qui après avoir forcé Hyrcan son frère , aîné à lui céder la couronne et le sou- , verain Pontificat , en fut à son tour dé- , pouillé par Pompée , qui le fit partir , pour Rome avec toute sa famille , l'an , 63. avant l'ère vulgaire. *Ioseph. Antiq. l. XIV. c.* 4. *De bell. Iud. lib. I. c.* 7.

(28) Quadrimestre, ut puto, spatium effluxit ad hanc diem 2. Octobris 1780. ex quo per litteras Cl. Equitis de Heredia, Exc. Dom. Comiti Arandensi Legato Hispan. ap. Galliarum Regem à Secretis, certior factus sum D. Barthelemium Parisiis agere : quod mihi pergratum accidit ; et continuo ad Eum litteras dedi, rogatum ut numi de quo agimus ectypum cerae Hispanicae aut τῇ ἰχθυοκόλλῃ impressum ad me mitteret. Retulit autem D. de Heredia litteras meas suo tempore D. Barthelemio redditas fuisse.

2011 Ministerio de Cultura

et ratiocinia redii, queïs dum diutius immoror, praeceptae de eodem, deque reliquis Ionathani attributis numis, opinioni confirmandae in dies praesentiora visa sunt. Sed ne Lectorum animos aut gratiam occupare velle videar, ea in medium afferam Sapientum virorum iudicium subitura, praemissis nonnullis quae utrosque non ignorare oportet.

Cl. Barthelemius ad annum MDCCXLIX. opusculum conscripserat de binis Samaritanis numis in quorum adversa Antigoni Iudaeae Regis nomen Graecis characteribus insculptum legitur: quod opusculum anno demum MDCCLVI. in Tomum XXIV. Actorum Regiae Academiae Inscriptionum et Numismatum relatum fuit à pag. 49. Agit autem in eo Cl. Auctor de alio itidem Samaritano numo, quem ex quatuor conspicuis, ut ipse narrat, in priore versu litteris *Iod*, *Nun*, *Tau*, *Nun*, Ionathani Simonis fratri Summo Iudaeorum Duci et Sacerdoti adscribere nihil dubitat: addens eas litteras figurâ nihil differre ab illis quas Simonis numi exhibent, ac proinde earum lectionem atque explicationem, nullam sibi difficultatem ingessisse (29); necnon de aliis numis bilinguibus in quorum altera facie ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, *Regis Alexandri* Graecis, in altera 𐤉𐤍𐤕𐤍 *Ionathan* sive *Ionathanis* nomen Samariticis litteris legitur (30); ac demum de aliis, nostro huic de quo agimus mul-

(29) , L' analyse (*inquit Cl. Barthelemius T. XXIV. Actor. Reg. Acad. Inscr. pag.* 60.) , que je vais faire de cette in- , scription (*videlicet numi de quo agimus*) , est absolument nécessaire pour justifier , la manière dont je pense qu' il faut la , lire : les quatre lettres *Iod*, *Noun*, *Tau*, , *Noun*, qui forment le nom de *Jonathan*, , ne font aucune difficulté, elles paroissent sous la même forme sur les médailles , de Simon Macchabée, cet.

(30) , Je passe (*inquit pag.* 61.) à , l'

2011 Ministerio de Cultura

multum affinibus, in quorum ectypis à Relando et Ioanne Clerico prolatis, *Ieochannanis*, seu *Ioannis Hyrcani*, nomen satis clare contineri agnoscit (31).

Sub idem tempus Ioannes Henricus Bruckerus Historiarum Professor Basileensis, quocum Cl. Barthelemius Parisiis tres illos numos à se in eo quod praelaudavimus opusculo explicatos, atque opusculum ipsum communicaverat (32), Oxonium delatus multa de iis praesens cum Ioanne Swintono disseruit, eique postea Londino accuratam trium numorum descriptionem, qualem à Barthelemio acceperat, misit (33). Hac Swintonus occasione arrepta numum de quo agimus explicandum sibi proposuit, eumque ni-

, l' examen d' une médaille de *Jonathan*, , conservée dans le cabinet de M. Cary , de Marseille : elle ne diffère de celles , du cabinet du Roi (*nimirum à binis Antigoni Regis numis quos pridem explicaverat*) , que par ces deux mots ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕ-, ΞΑΝΔΡΟΥ, *cet. Et paucis interiectis*: ' On , peut attribuer au même *Jonathan* d' autres , médailles de petit bronze que j ' ai vûes , en différens cabinets, & qui représentent , d' un côté une anchre avec cette légende ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, et au revers une espèce de roue, *cet.*

(31) , Ce Savant (*nimirum Soucietus, inquit Barthelemius pag.* 62.) , avoit cru , voir le nom de *Iohannes* sur les médailles , publiées par Reland et par Le-Clerc: , on l' y distingue en effet très-nettement, , et sur une autre médaille du cabinet du , Roi, *cet.*

(32) , J' avois lû (*inquit Barthelemius T. XXIV. Hist. Actor. Reg. Academ. pag.* 60. *in Not.*) , ce Mémoire à l' Aca-, démie en 1749. je le comuniquai dans , le même temps à un étranger qui se trou-, voit alors à Paris (*Bruckero*), et qui , ayant passé tout de suite en Angleterre, , fit part à un Docteur d' Oxford (*Swin-, tono*) de l'explication que j' avois donnée , de la médaille de Jonathan. Ce dernier , m' a fait l' honneur de l' adopter dans une , savante Dissertation imprimée à Oxford , en 1750. à la suite d'une autre Dissertation sur deux inscriptions Phénicienes.

(33) *Bruckerus* (in litt. ad Swinton. Londin. 4. April. 1750. quas hic Dissertationi suae *De num. quibusd. Samar. et Phoen.* inseruit pag. 62. *Memini* (inquit Bruckerus) *me tibi dixisse numos istos mihi communicatos fuisse à Rev. Barthelemio R. S. S. et numophylacii Regii custode* : : : *Conspiciuntur ibi duo cornua copiae coniuncta*: : : *Postica pars hanc exhibet epigraphen laurea corona inclusam*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

nihil haesitans Ionathani Simonis fratri adscripsit, praemissa singularium litterarum analysi, in qua priores quatuor *Iod*, *Nun*, *Tau*, *Nun*, itidem ac Barthelemius agnovit (34); et in omnium postrema *Beth* secundum Ionathanis annum designari arbitratus est (35).

Ego vero Swintonum nihil moror, quippe qui numum archetypum non vidit, Barthelemio oculato testi plurimum tribuo, neque tamen in hoc Viro docto assentiri possum; immo existimo numum de quo agimus, vel si Ionathanis nomen expressum gerat (de quo dum mihi ad manum non est nihil pronuntiare audeo), non à Ionathane Simonis fratre, sed à Ioanne Hyrcano percussum, atque ad hunc omnino referendum esse: de quo mox.

Nunc, quod olim pollicitus fui, Barthelemiani numi ectypum cum Ioannis Hyrcani numo superius explicato, cumque aliis eiusdem commatis à Relando, Ioanne Clerico et Comite Pembrochiae in lucem editis, necnon cum illo quem archetypum in Museo Regii Hisp. Infantis exstare dixi, conferendum sistere placuit: ut rationum pro thesi nostra pondus et efficacitas vel uno eorum obiectu sese spectantium oculis insinuet. En illos.

Quisquis animo à praeiudiciis vacuo senos qui Barthelemiano subiiciuntur numos inter se contulerit, illico deprehendet omnes ab eadem officina monetaria descende-

re

(34) *Swint.* Anal. litt. numi VI. p. 64. n. 2.

(35) *Swinton.* p. 67. Numi inscriptio:

יונתן הכהן וחבריו ב

B vecheberáu hacohén Ionathán

Et Latine

Ionathan Sacerdos et socii eius. Secundo, scilicet *anno post datum ei ab Alexandro Bala sacerdotium*, ut pag. 68. n. 3.

2011 Ministerio de Cultura

Pag. 190.

IOANNIS HYRCANI NVMVS

cum senis qui sub Ionathanis nomine circumferuntur collatus.

Barthelemii.

Noster.



Relandi.

Reg. Hisp. Inf.

Io. Clerici.



Pembroch. 1.



Pembroch. 2.



2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

re atque unius artificis manum et genium redolere : praeter typum qui ab utraque eorum facie sese unum atque eumdem prodit. Nec dubitandum quin idem sit etiam omnium modulus, scilicet minimus ; quamvis prolata à Ioanne Clerico, Comite Pembrochiae et Swintono ectypa maiori ambitu in eorum scriptis depingantur. Certe quos olim archetypos Romae apud Assemanum, et hìc Matriti in Museo praelaudati Regii Hisp. Infantis me vidisse memini, non maioris prae nostro molis sunt, vixque orbitâ aut pondere argenteos numulos Hispanicos aequant quos *realillos de ocho quartos* vernacule appellamus : cuiusmodi etiam fuisse Relandi numum, tertio loco in Tabula depictum, ipsum eius ectypum satis ostendit.

Praeterea si Ioannis Clerici numum excipias, qui non integre apud eum describitur, unus est in omnibus versuum numerus atque inscriptionis oeconomia : eadem litterarum indoles et conformatio : idem omnium situs atque ordo. Eae vero litterae quantum figurâ inter se similes sunt, tantum ab iis quas sicli et numi Simonis exhibent diversae apparent, ut una prae aliis litera ה *He*, hoc modo depicta ק, docere potest ; necnon litterae קלק.. et ללם quae eodem ordine in omnibus iis numis conspiciuntur : prorsus ut qui senos à nobis prolatos non illico ab eodem parente progenitos agnoverit, iure ad Carneadis asseclas ablegandus sit (36).

Ex

(36) Possemus et his numis ternos alios eiusdem commatis adiungere quorum ectypa ex Cel. Hunteri Gazophylacio benigne ad nos transmisit Cl. Woide. In iis autem, non secus atque in senis nostris, *Ieochannanis* nomen legi existimo ; *Ionathanis*, non exstare affirmo, ac nihil de eo haesitans. Vid. litt. Woid. inf.

2011 Ministerio de Cultura

Ex his Cl. Barthelemius in tertio et quinto, sive in Relandi et Ioannis Clerici ectypis, *Ioannis* nomen apertissime legi ait (37). Ergo bini minimum ad *Ieochannanem* sive *Ioannem* Hyrcanum pertinent, quod etiam Vir doctus agnoscit (38). Atqui, nisi vehementer ego fallor, in nostro, in Regii Infantis, atque in utroque Pembrochiano idem *Ioannis* nomen multo clarius quam in Ioannis Clerici ectypo visitur.

Nunc si Barthelemii numum seorsum inspicimus, eosdem in illo atque in senis reliquis characteres, eumdem modulum, typum, versuum numerum, litterarum formas, earumque situm atque ordinem deprehendemus: ut omnino necesse sit septem quos Tabula exhibet numos ad unum Ionathanem vel ad unum Ieochannanem referre; nam disiungi nullo modo possunt.

Sed si disiunctos volumus, hoc saltem fatendum, qui ex his recentiores sunt ad vetustiorum similitudinem effictos, atque adeo senos quos protulimus numos, ceu sub Ioanne Hyrcano cusos, ad unius Barthelemiani (qui sub Ionathane, atque adeo prae ceteris antiquior asseritur) normam atque exemplar conflatos fuisse; seu, quod eodem recidit, Ioannem Hyrcanum in cudendis numis patruum Ionathanem pressis vestigiis secutum atque imitatum fuisse. At,

(37) , Le Pere Souciet (*inquit Barthel. pag.* 63.) , avoit cru voir le nom de , Johannes sur les médailles publiées par , Reland et par le Clerc: on l' y distingue en effet très-nettement, et sur une , autre médaille du cabinet du Roi, *cet.*

(38) , Ces médailles (*nimirum prolati à Relando et Clerico numi*) , doivent , être attribuées à l' un des successeurs de , Simon Macchabée, et peut être à Jean , Hyrcan son fils qui fut Grand-prêtre des , Juifs, *cet. Barthelemius pag.* 62. *fin.*

2011 Ministerio de Cultura

At, inquam ego, cur non potius Simonem parentem, praecipue cum tot tamque illustria numorum illius exempla ad manum ei essent? Curve in tanta numorum Simonis varietate et copia minimum atque abiectissimum omnium qui eatenus percussi essent imitandum sibi delegisset? Cur litteras exoticas, nec nisi in eo de quo lis est numo aliàs aut alibi uspiam visas, iis praetulisset quas Simon parens perpulchras atque elegantes in siclis semisiclisque, tum in aliis quos cudit numis adhibuit? Cur *Sacerdotii magni* titulum numis insculpi iussisset, quod nec Simon, cum posset, fecit? Curve hic non fecerit, cum frater Ionathas (si vere ad eum numus de quo agimus pertinet) exemplo ei praeivisset?

Praeterea quis credat geminum cornu copiae, symbolum, ut Cl. Barthelemius agnoscit, Diis Gentium specialiter consecratum (39) à Ionathane praeeligendum, quod primùm percussis ab eo numis insculperetur, neglectis interea tot sacris domesticisque paternae Dei erga Iudaeos curae monumentis? At, inquiet Barthelemius, et Hyrcanus hoc fecit, pius ceteroquin Princeps nec semel, ut Iosephus narrat, alloquio Dei dignatus (40). Fecit quidem; sed postquam Iudaei Graecorum moribus assueverant, et utraque Gens in unum quasi Populum coaluerat: quo tempo-

(39) , Ce Prince (*Antigonus*) y fit , mettre d' un côté une couronne, et de , l' autre côté des cornes d' abondance, , symboles particulièrement consacrés aux , divinités du paganisme, *cet. Barthelemius pag.* 57. Vid. Cl. Woid. litt. inf.

(40) Iosephus, *Antiq. XIII. c. X. n.* 3. Περὶ τοῦ ἀρχιερέως Ὑρκανοῦ λέγεται, τίνα τρόπον αὐτῷ τὸ θεῖον εἰς λόγους ἦλθε· Et num. 7. Συνῆν γὰρ αὐτῷ (Hyrcano) τὸ θεῖον· Et cap. XII. n. 1. Φανέντα κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ (Hyrcano) τὸν Θεὸν ἐσπρώτα, cet.

2011 Ministerio de Cultura

pore Divina atque humana omnia apud Hebraeos permixta aut plurimum perturbata fuisse constat.

Sed concedamus id quoque à Ionathane factum. Videat, quaeso, Vir Clarissimus quae huius doctrinae sint consequentia: Ionathanem, numorum apud Hebraeos cudendorum auctorem, Gentilium symbola iis primum insculpsisse: Simonem fratrem, qui ipsi in principatu successit, sacra ac domestica, nimirum urnam mannae, virgam Aaronis, cet. Ioannem tandem Hyrcanum qui tertius à Ionathane fuit, neglecto patris exemplo, patrui memoriam instaurasse atque ad Gentilium symbola rediisse: quae quam parum inter se cohaereant, nemo non videt.

Mitto aliam quae ex diversa planeque insolenti nominis *Ionathanis* orthographia peti ulterius posset pro nostra opinione coniecturam; cum id nomen in Sacris Regum, Paralipoménon, Esdrae et Ieremiae libris quinque minimum litteris, et sex etiam frequentissime scribatur; quod tamen in Barthelemii numo quatuor tantum constare animadvertimus.

Verum aut *Ionathanis* inscriptio ex eius persona sustinetur, quasi ipse Barthelemianum numum cuderit, aut Simonis qui suam erga fratrem pietatem eo monumento testatam voluit? (41). Cl. Barthelemius priori thesi acquiescit,

(41) Pellerinus (*Troisiem. supplem. aux six vol. de recueils des médaill. de Rois, cet.* à *pag.* 119.) adducit atque explicat numum Antigoni Iudaeorum Regis in quo tamen Mathathiae nomen Samariticis litteris legi videtur, nimirum 𐤌𐤈𐤉𐤄: fortassis ut atavi, Asmonaeorum familiae Principis, memoriam renovaret: quemadmodum et in Consularibus Romanorum numis vetusta *Quirini*, *Numae*, *Anci* aliorumque Regum atque Heroum nomina passim insculpta videmus.

2011 Ministerio de Cultura

scit, ac ne dubium, quod ego sciam, super hac re movet. Kochio posterius placitum arridet (42), cuius nos cõniecturas suo loco refellemus. At Swintonus è vestigio Ionathanem numi auctorem pronuntiat, eique ab Alexandro Syriae Rege cognomento Bala ad annum Graecorum CLX. cudendae monetae potestatem factam fuisse asserit: subdens id satis clare innui *Lib. I. Machab. cap. x. v.* 17: *ad* 21. et *v.* 59. *ad* 65. (43); quibus tamen locis ne verbum quidem de iure cudendae monetae, aut ex quo id iùs certa aliqua ratione aut coniectura elici possit, habetur (44). Neque enim si Alexander Ionathanem Summum Hebraeae gentis Sacerdotem constituit, et amicum Regis vocari voluit, Ducemque et participem principatûs fecit, continuo sequitur, et ipsi cudendae monetae ius eo facto attributum fuisse; cum non eiusmodi id ius sit quod ambiguis aut

(42) *De numor. Hebraicor. inscript. Samar. num.* 3. ap. Vgolin. Tom. XXVIII. col. 1297.

(43) Swintonus, *De quibusd. num. Sam. et Phoen. Numo VI. n.* 6. *Ionathani* (inquit) *centesimo sexagesimo Erae Seleucidarum anno ab Alexandro Bala concessam fuisse monetae cudendae potestatem, sat clare innuunt sequentia primi Machabaeorum libri Scriptoris verba*: Καὶ ἤγειρεν, cet.

(44) Scriptoris Sacri verba sunt, ut in Vulgato textu I. Mach. x. v. 18. *Rex Alexander fratri Ionathae salutem.* 19. *Audivimus de te, quod vir potens sis viribus, et aptus es ut sis amicus noster.* 20. *Et nunc constituimus te hodie summum Sacerdotem gentis tuae, et ut amicus voceris Regis (et misit ei purpuram et coronam auream), et quae nostra sunt sentias nobiscum, et conserves amicitias ad nos.* 21. *Et induit se Ionathas stolâ sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die sollemni scenopegiae, et congregavit exercitum, et fecit arma copiosa.* Et vers. 59. *Et scripsit Rex Alexander Ionathae ut veniret obviam sibi.* 60. *Et abiit cum gloria Ptolemaidam, et occurrit ibi duobus Regibus* (Alexandro et Ptolemaeo), *et dedit illis argentum multum et aurum et dona, et invenit gratiam in conspectu eorum*::: 62. *Et iussit* (Alexander) *spoliari eum vestibus suis, et indui eum purpurâ; et ita fecerunt. Et collocavit eum Rex sedere secum*:::: 65. *Et magnificavit eum Rex, et scripsit eum inter primos amicos, es posuit eum ducem et participem principatûs.*

2011 Ministerio de Cultura

aut in alium finem conceptis verbis concessum alicui intelligatur (45). Quod autem subdit de postrema eius numi littera *Beth*, quam numeralem esse vult et secundi Pontificatûs Ionathanis anni indicem, nollem profecto Viro docto excidisset; nisi velit communem receptissimamque Machabaicae gentis chronologiam penitus convellere, quodque caput est, novam et inauditam Hebraeorum epochen contra expressum Sacrae Scripturae textum inducere. Quid quod nec ipsis qui numum archetypum viderunt, Barthelemio et Regio Interpreti Bernardo, satis de ea littera exploratum, fueritne *Beth*, an *Dáleth*, an demum *Resc* (46): ut magis mirandum sit Swintonum, qui numum non inspexit, tam levi atque infirmo fundamento tantam aedificii molem superstruxisse.

Verum, ne in his diutius immoremur, Ionathan ex mea sententia nec numos cudit umquam, neque cude-

re

(45) Iac. Basnagius, (*Hist. des Juifs livr. VI. chap. XXIV. n. 22.*), Si vous (*inquit*) prenez la peine de relire les pri-, vileges que Démétrius avoit accordé à , Jonathan ou à Simon, vous n' y trouve-, rez point celui de la Monnoye. D'ailleurs , Antiochus s' éxprime d' une maniere , différente; car il confirme ou rétablit , l' exemption des Impôts; mais il accor-, de à Simon le droit de battre monnoie , à son coin, parce que c' étoit un droit , nouveau, dont aucun de ses Prédéces-, seurs n' avoit joui. *Et paulo antè*: , Antio-, chus accorda à Simon la liberté de faire , *dans son Païs un coin de sa propre monnoie.* , C' est là (*pergit*) le prémier endroit de , l' Histoire des Juifs, où il soit parlé *de* , *Monnoie*, et *de Coin*. Vid. litt. Cl. Woide inf.

(46) Barthelemius numum de quo agimus describens (*pag. 60. fin.*): , Après , ces mots הכהן הגדל *hacohén hagadól*, , *Sacerdos magnus*, sont un *Vau*, un *Heth*, , un *Beth*, un autre *Beth*, ou un *Resc*, un , *Iod*, un *Hé* ou un *Vau*, un *Beth* (*haec , est super qua dubium incidit littera*) ou un , *Daleth*, ou *même* un *Resc*. Ces incerti-, tudes (*pergit*) donnent lieu à plusieurs , leçons différentes. M. Bernard, Inter-, préte à la Bibliothèque du Roi, soup-, çonne qu' on peut lire וחבריו, *et socii , eius*, en supposant que la dernière let-, tre est un *Beth* ou un *Daleth*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

re potuit. Anno demum centesimo septuagesimo Graecorum ablatum fuit iugum Gentium ab Israël, quae est una ac certa Iudaeorum epoche. Eo anno *coepit* (*coepit* inquam) populus scribere in tabulis et gestis publicis: *Anno primo sub Simone Summo Sacerdote, magno Duce et Principe Iudaeorum*, ut nos docet Machabaeorum Historia. Atqui si Ionathan aut numos cudisset (et vel maxime cum adiectione anni), aut à stabilito ei per Balam Sacerdotio annorum initium duci iussisset, iam non una neque certa futura esset Iudaeorum epoche; neque populus primum sub Simone, neque demum anno centesimo septuagesimo, sed sub Ionathane, atque anno centesimo sexagesimo *coepisset* scribere in tabulis: *Anno primo*, cet. Etenim assumto semel à Ionathane, et evulgato in numis Sacerdotii magni et Principatûs titulo, populus eius exemplum continuo secutus fuisset, novamque Eram et utrumque eum titulum in acta publica retulisset.

Praeterea cum Ionathan nec initio sui principatûs, nec postquam, superato Bacchide et foedere cum eo icto, pacifice habitavit in Machmas et coepit iudicare populum, de cudendis numis cogitasse umquam videatur: non ideo sententiam mutare debuit, quòd solido postea octennio ab Alexandro Bala Sacerdotii magni titulo auctus fuerit, aut quòd simul cum illo Demetrium Soterem vicerit deleveritque. Probe enim noverat Ionathan delatum sibi ab Alexandro honorem non tam à benevolo animo profectum, quam ut eum in fide et amicitia retineret adversus Demetrium

2011 Ministerio de Cultura

trium Demetrii Soteris filium cognomento Nicatorem, quem propediem cum exercitu venturum providebat; et praeterea, non parum sibi atque universo populo Israëlis ab Alexandro victore vel amico timendum esse.

Denique si Ionathan aut numos cudisset, aut de nova condenda epoche quidquam cogitasset, credibile est aliquam alterutrius saltem horum facti mentionem aut vestigium in Sacris Libris aut apud Auctores profanos exstiturum, immo etiam indubium aliquem numum cum expresso *Ionathanis* nomine in Eruditorum cimeliis inveniendum; quem tamen nullibi hactenus observatum fuisse scio. Certe quem Cl. Barthelemius apud D. Cary Massiliensem exstare ait, quosque alibi à se visos, atque item ille quem à Froëlichio evulgatum fuisse narrat cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ (47), *Ionathae* nomen non exhibent; et mea quidem sententiâ vel ad Alexandrum Iannaeum Iudaeae Regem, vel potius ad alterum Alexandrum Iunioris Aristobuli filium Antigoni fratrem referendi sunt, quem constat

(47) , Je passe (*inquit Barthelemius* , *pag.* 61.) à l' examen d' une médaille de , Jonathan conservée dans le cabinet de , M. Cary de Marseille: elle ne diffère , de celles du cabinet du Roi, que par , ces deux mots ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, , dont on voit encore de traces sensibles , autour des deux cornes d' abondance; , ils marquent l' alliance étroite qui subsistoit entre Jonathan et Alexandre I. , et dont il est fait mention dans le premier livre des Macchabées :: :: On peut , attribuer au même Jonathan d' autres , médailles de petit bronze que j' ai vûes , en différens cabinets, et qui représentent d' un côté une anchre avec cette , légende ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, et au , revers une espèce de roue; le P. Froë- , lich en a fait graver une dans ses annales des Rois de Syrie, en avertissant , que le revers est destitué de légende: , cependant sur toutes celles qui me sont , tombées entre les mains, j' ai distingué , entre les rayons de la roue des lettres , Samaritaines, qui se dérobant presque à , la vûe, et se trouvant la plus part dé- , gradées, ne m' ont offert jusq' ici que la , terminaison du nom de *Jonathan*, *cet.*

2011 Ministerio de Cultura

stat recuperato per vim Iudaeae principatu magnas turbas Romanis concitasse, donec acie à Gabinio superatus fuit: quo tempore numos cum proprio nomine cudisse verosimile est (48).

Ex tot difficultatibus unum Cl. Barthelemii responsum verbo me fortassis expediet, quod facit ut illud in dies avidius exspectem. Sed interea temperare mihi non possum quin subiungam in Eiusdem asserto duplicem thesin contineri, alteram, ut aiunt, *facti*, nimirum: *Ionathanis nomen in numo de quo agimus legi*; alteram *iuris*, scilicet: *Eum numum à Ionathane Simonis fratre percussum fuisse.* De posteriore hac, quominus Viro Cl. assentiar facit expressi Machabaeorum textus reverentia. Priorem illam non temere negaverim, maxime cum *Ionathanis* nomen caelatoris oscitantiâ aut errore numo insculpi potuerit; aut quòd *Ioannes Hyrcanus* etiam *Ionathan* seu *Ionathas* vocatus fuisset, quemadmodum utroque nomine nec semel eum vocavit Eusebius (49). Quamvis enim hunc Scriptorem in eo me-

(48) Iosephus, *Antiq. XIV. cap. VI. n. 2.* Ὁ γὰρ Ἀριστοβούλου παῖς Ἀλέξανδρος, παρελθὼν ἐξ ὑστέρου πάλιν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν κατὰ βίαν πολλοὺς τῶν Ἰουδαίων ἀπέστησεν· στρατεύματι δὲ μεγάλῳ τὴν χώραν ἐπερχόμενος, ἔκτεινε πάντας ὅσους ἐπιτύχοι τῶν Ῥωμάιων, id est: *Nam Aristobuli filius Alexander recuperato denuo per vim principatu multos quidem Iudaeorum ad defectionem impulit; ingentique manu regionem incursans interficiebat quotquot nactus erat Romanorum.* Et n. 3. Στρατῷ γὰρ τρεῖς ὕστερος ἔχων μυριάδας Ἰουδαίων ἀπήντησε Γαβινίῳ, καὶ συμβαλὼν ἥττᾶται· *Is enim* (Alexander) *cum triginta Iudaeorum millia in exercitu haberet, obviam ivit Gabinio; et cum eo congressus, victus est.*

(49) Eusebius in Chronic. Olymp. CLXII. ann. 2. qui primus principatûs Ioannis Hyrcani fuit: *Iudaeorum Rex Hyrcanus, qui et Ioannes*; Idem tamen anno XXIV. *Ionatha* (id est Ioannes) *gloriose apud Iudaeos principatum gerit*; Et in Aristobulo Ioannis filio Olymp. CLXIX. anno I. *Aristobulus filius Ionathae* (id est *Ioannis*) *Rex pariter et Pontifex primus apud Iudaeos*, cet.

2011 Ministerio de Cultura

memoriâ lapsum fuisse Viri docti existiment (50); si tamen *Ionathanis* nomen in hoc de quo agimus atque in aliis affinibus numis expresse legeretur, non sine ratione *Ioannem Hyrcanum* ab Eusebio *Ionathanem* etiam vocatum fuisse agnituri essent. Quae de Cl. Barthelemii numo.

Sed restat nobis Kochius, qui non eum modo numum, sed et alium qui apertissime ad Simonem eiusque principatûs annum primum pertinet, Ionathani attribuit. Is numus est quem Eisenschmidius (51) et Relandus (52) è Ser. Galliarum Regis cimeliis protulere, quique in adversa *Simonis* nomen gerit cum epitheto *Princeps Israëlis*; in aversa vero: *Anno primo redemtionis Israël.*

In eo igitur numo, quòd priores nominis *Simonis* litterae nonnihil detritae atque exesae sint, Kochius legendum existimavit יונתאן נשיא ישראל *Ionathan Princeps Israëlis*: non tamen quasi Ionathas illum cudisset, sed Simon in fratris dolo à Tryphone occisi memoriam (53). Leves autem sunt ac futiles quas Kochius adducit pro sua opinione coniecturas, quaeque uno alterius eiusdem commatis nu-

(50) Iosephus Scaliger, *Animadvers. ad Chron. Euseb. ad ann.* MDCCCXCVII. *Sed illud* Ἰωνάθης, *quod aliud agens pro* Ἰωάννης *scripsit Eusebius*, cet. Arnaldus Pontacus ad eumdem locum Eusebii: *Ionathas (legendum erat* Ioannes *ex Iosepho) gloriose regit*, cet. Ioann. Drusius *in not. ad Sev. Sulpicii Histor. lib.* II. *Hunc Ioannem* (nempe Hyrcanum) *Eusebius non semel* Ionathan *appellat*: *in quo memoriâ lapsus mihi videtur*, cet.

(51) Eisenschmidius, *De pond. et mensur. vet. Rom.* cet. *Tab.* I. *n.* 10.

(52) Relandus, *Diss.* V. *de num. Samar. Tab.* IX. *num.* 7. *pag.* 184.

(53) Corn. Dieter. Kochius *De num. Hebr. inscr. Samar. ap. Vgolin. T.* XXVIII. *col.* 1297. *Quae litterae* (inquit) *sic, nî fallimur, restituendae et legendae sunt* יונתאן נשיא ישראל Ionathán Princeps Israëlis. *Legit quidem Cl. Relandus et Harduinus pro* Ionathane *in hoc numo* Simeonem. *Verum si ductûs litterarum praesertim primae contemplemus, quales in numo apud Eisenschmidium*

2011 Ministerio de Cultura

numi in quo *Simonis* nomen perspicue legitur obiectu diluuntur. Is autem numus est quem è Museo Cl. Philippi Barton AEdis Christi Oxoniensis Canonici evulgavit Carolus Mortonus (54) quemque nos in huius operis fronte repraesentari fecimus.

Ieochannahanis, sive Ioannis Hyrcani, numos non usque adeo raros esse docent prolata à nobis ectypa; pauci tamen bene habiti, et pauciores ab Eruditis agniti sunt. Harduinus quidem nullum eius aevo observatum fuisse affirmat, inquiens: *Cur non deprehenduntur numi nisi Simonis nomine impressi? Cur nulli, ne dicam David, Salomonis, et reliquorum Regum Israël et Iuda, sed ne quidem* Iohannis filii Simeonis, *neque alicuius ex posteris* (55)? Froëlichius autem: *Sane consequentium Principum Regumque Iudaeae nulla sunt inventa numismata, quae quidem certa sint, usque ad Herodem Idumaeum aut forte Antigonum* (56).

CA-

dium et ipsum adeo Relandum expressi leguntur, nequaquam prima littera pro ש (Sch) *sed pro* י Iod (I), *quae est prima in nomine* Ionathanis *habenda videtur. Quo accedit quod penultima earumdem litterarum quae sunt in prima linea, et nomen exprimunt, minime sit* ו Vau (V), *sed* א Aleph (A), *quae antiquitus nomen* Ionathan *una cum* נ *Nun* (N) *finiebat* (numquam, inquam ego, sub caelo Ionathanis nomen cum א *Aleph* in penultima sede scriptum in probatis Hebraicis Codicibus exstat) *Quibus de causis* (pergit) *in sententia nostra permanere, et à Cl. Relando tantisper dissentire licebit, dum numus similis formae alius proferatur qui nomen Principis huius Israëlitarum clarius expressum habeat. Neque enim non constat lectioni nostrae ratio, si pietas consideretur Simonis in Ionathanem fratrem dolo occisum, de qua* I. Machab. XIII. 25 : : : *Nam si tantum dedit honori et memoriae fratris, etiam numos eius nomine insignitos procudisse credendum est, qui numi annum quidem primum liberatae Sionis referrent* (nullus exstat numus *anni primi liberatae Sionis*, saltem hactenus observatus non est); *nomen autem* Ionathanis *Principis, quasi in fratre resuscitati*, cet.

(54) *Supplem. ad tabulam Eduardi Bernardi inscriptam*: Orbis eruditi litteratura, *ann.* 1759. *Londini editam.*

(55) *In expos. duor. numor. Samar. ap. Vgolin.* T. XXVIII. col. MLXXI.

(56) *Proleg. Annal. Reg. Syr. v.* 3.

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT NONVM.

De numis Alexandro Iannaeo, aut Aristobulo Iuniori per coniecturam adscriptis; deque vite aurea Templi Ierosolymitani.

QVATVOR aereos numulos, de quibus hoc capite acturus sum, cum, ubi primum in eos incidi, ex typo et litterarum vestigiis, praecipue vero ex structurae indole atque incisionis ratione Hebraeo-Samaritanis omnino accensendos esse existimarem; cumque in iis praeterea nullam annorum quibus percussi fuere notam expressam aut indicatam animadverterem: in tabulam numorum epoche carentium non satis exploratos retuli: nimirum ut quando nihil mihi in promtu erat quo eos in publicum commendarem, Eruditorum, quibus hactenus inobservatos fuisse noveram, de iisdem placita et opiniones exquirerem.

Verum cum assidua eorum numorum tractatio varias multiplicesque de ipsorum typo et symbolis ideas animo obiiceret, earum alteram, quae mihi non omnino improbabilis visa est, sapientum Virorum examini et iudicio submittendam duxi, destinata pro iisdem peculiari tabulâ, nimirum:

Ioannes Baptista Ottius inter vitis folium, quod passim in minoribus Hebraeorum numis visitur, et vitem illam auream à Iuniore Aristobulo Alexandri Iannaei Iudaeorum Regis filio Pompeio Magno Ierosolymam adventan-

2011 Ministerio de Cultura

Numi vitem, *ut videtur*, auream *exhibentes; ac propterea Alexandro Iannaeo aut Aristobulo Iuniori per coniecturam adscripti.*

Penes nos.





2011 Ministerio de Cultura



2011 Ministerio de Cultura

tanti, ut Iosephus narrat, oblatam, nonnihil affinitatis intercedere voluit, ut capite secundo dicebamus: quo loco et singularem docti Viri opinionem reiecimus, et eam cum aurea illa vite affinitatem in aliis fortassis Hebraeorum numis clarius et expressius observandam fore polliciti sumus.

Si qui ergo ex hactenus detectis ad vitem Aristobuli auream referri possunt, hi profecto numi sunt de quibus agimus; eamque repraesentare existimanda est facies illorum altera, in qua vitis truncus nonnihil incurvus, ex quo hinc pampinus inde botrus implexi ac decussati pendent, ut nostra de his numis coniectura est; quos propterea vel ad Alexandrum Iannaeum vitis aureae, ut perhibent, auctorem, vel potius ad Aristobulum, qui eam Pompeio obtulisse dicitur, referendos esse arbitror.

Nec multum ab his abludit facies numorum altera, quae urnam diotam stantem et contectam exhibet. Eá enim si ad veterem illam referatur quae depluens è caelis manna in Templi sacrario continebat, Regale Hebraeorum Sacerdotium, quo munere Alexandrum atque Aristobulum defunctos fuisse constat, indicare non incongrue poterit. De hoc tamen nihil certi statuendum, donec aliquis nobis OEdipus singularium circa urnam litterarum nodos, et aenigmata solvat.

Sed cum apud Veteres Scriptores non unius tantum vitis aureae mentionem exstare animadvertam, in quibus sunt qui earum alteram olim in Templi adyto collocatam,

2011 Ministerio de Cultura

ibique à Pompeio Magno visam fuisse affirment : paucis de hac vite, quotuplex fuerit, quaque formâ, tum quo loco reposita servaretur, edicere opportunum duxi : nimirum ut appareat, quo iure vitem in numis nostris conspicuam ad Alexandri sive Aristobuli potius quam ad aliam vitem auream referri debere existimaverim.

Et quidem in descriptione prioris Templi sive Salomonici, in qua et Cherubim et palmae et anaglypha valde prominentia auroque obducta saepius memorantur, nulla vitis aureae mentio exstat ; cum alias ea iugem in Israëlis populo procerae illius vitis è terra Chanaan ab exploratoribus advectae, atque insignium in eius terrae traditione beneficiorum Dei memoriam perennatura esset. Paulus quoque utrumque prioris Templi tabernaculum, vasaque in eis contenta describens ac singulatim enumerans, eius vitis non meminit (1).

Sed neque in secundo seu Zorobabelis templo vitem auream umquam exstitisse arbitror : quidquid alii contrà sentiant. Fuit quidem in mensa illa aurea, quam Ptolemaeus Philadelphus à se delineatam templo consecravit, *corona omne genus fructuum, ex qua racemi pendere, et spicae consurgere videbantur*, ut Iosephus tradit (2) : fuit item circum eius mensae pedes *toreuma tenuissimum atque operosissimum, ex hedera, palmitibus et racemis constans* (3). Cra-

(1) Ad Hebr. IX. vers. 1. seqq.

(2) Ὑπὸ δὲ τὴν τῶν ὠῶν διατύπωσιν, στέφανον περίπλεγον δι τεχνῖται παντοίου καρποῦ φύσιν ἐντετορευμένον, ὡς ἀποκρέμασθάι τε βότρυς, καὶ στάχυς ἀνασπάναι, cet. Iosephus *Antiq. lib. XII. c. 2. n. 8. pag. 591.*

(3) Ἀνέγλυψαν δὲ λεπτομερεῖ καὶ φιλοπόνῳ τῇ τορείᾳ τῶν ποδῶν ἕκαστον, κισσὸν αὐτοῖς, καὶ κλήματα ἀμπέλων σὺν βότρυσιν ἐκφύσαντες, cet. Iosephus, *ibidem pag. 592.*

2011 Ministerio de Cultura

Craterum quoque aureorum labia *cincta erant liliorum foliis et anthemidibus et vitium capreolis in orbem circumductis*, ut idem Scriptor narrat (4).

Praeterea fuere in eo templo *thalli* sive rami olivarum *aurei*, quos Alcimus furto, ut videbatur, sublatos, Demetrio Soteri ad annum Seleucidarum CLI. obtulisse, non ita pridem diximus (5); ac demum trabs aurea ponderis minarum CCC. quam Eleazarus sacri thesauri custos Crasso in Parthos proficiscenti dono dedisse fertur, in redemtionem reliqui ornatûs templi, accepta prius ab eo fide, nihil praeterea ex eius supellectile ablaturum (6). Quae utcumque ad vitem auream videantur accedere, nihil tamen cum ea commune habent.

Vlterius, cum Antiochus Epiphanes ad annum Seleucidarum CXLIII. victor ex AEgypto rediens *ascendisset Ierosolymam et intrasset sanctificationem cum superbia, accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa eius; et mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et*

(4) Περιεστέφετο δ' ἐ τὰ χείλη τῦ κρατῆρος κρίνων σμίλαξι καὶ ἀνθεμίσι, καὶ βοτρύων σχοινίαις εἰς κύκλον περιηγμέναις, cet. Iosephus *ibidem num. 9. pag. 592.*

(5) II. Machab. XIV. v. 3. et 4. *Alcimus autem quidam qui Summus Sacerdos fuerat ::: venit ad Regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno* (I. Machab. VII. v. 1. *Centesimo quinquagesimo primo*) *offerens ei coronam auream et palmam, super haec et thallos, qui Templi esse videbantur,* cet.

(6) Λαμβάνει δ' ἐ καὶ δοκὸν ὁλοσφυρήλατον χρυσῆν, ἐκ μνῶν τριακοσίων πεποιημένην::: παρέδωκε δ' ἐ αὐτῷ τάυτην τὴν δοκὸν ὁ τῶν θησαυρῶν φύλαξ ἱερεὺς, Ἐλεάζαρος ὄνομα, ὐ διὰ πονηρίαν, ἀγαθὸς γὰρ ἦν καὶ δίκαιος::: ὅρκους παρ' αὐτοῦ λαβὼν μ δ'εν ἄλλο κινήσειν· *Cepit* (Crassus) *et trabem solido auro factam ex minis trecentis::: Hanc verò trabem ei tradidit Sacerdos* (sacri) *thesauri custos nomine Eleazarus, non malitia* (quidem) *nam vir bonus erat et iustus::: cum quidem Crassum iureiurando obstrinxisset, nihil aliud ex templo moturum.* Iosephus *Antiquit. lib. XIV. cap. VII. n. 1.*

2011 Ministerio de Cultura

et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum quod in facie templi erat, et argentum, et aurum, et vasa concupiscibilia, et thesauros occultos quos invenit, ut nos docet Machabaeorum historia (7): in quibus et vitem auream à sacro Scriptore recensendam existimo, si ea tunc in templo exstitisset.

Demum, ut mittamus alia, Iudas Machabaeus ad annum CXLVIII. templum expiaturus, et ex eius voluntate Sacerdotes, *fecerunt vasa sancta nova, et intulerunt candelabrum et altare incensorum, et mensam in templum; et incensum posuerunt super altare; et accenderunt lucernas; et posuerunt supra mensam panes, et appenderunt vela, et consummaverunt omnia quae fecerant*, ut itidem in Machabaeorum libris legimus (8). Atqui si et vitem intulissent auream, minime indictam praeteriisset eorum Auctor.

In tertio demum, ut populariter loquamur (9), sive in Herodis Magni templo, fuit quidem vitis aurea supra exteriorem portam, vel, ut alii probabilius existimant, supra propylaei ianuam *expansa, cum racemis ex illa sublime pendentibus: ea quasi materiae profusione facta, ut aspicientibus tam magnitudine quam arte stuporem incuteret*, ut Iosephus narrat in Antiquitatum libris (10); et alibi *ex ea vi-*

(7) I. Machab. I. v. 23. 24.

(8) I. Machab. IV. v. 49. 50. 51.

(9) Herodis templum *tertium* proprie dici nequit, sed *secundi* seu Zorobabelici instauratio quaedam, et quasi per partes innovatio: quod neque Iudaei diffitentur, Herodianum templum בית שני *Bâit scení*, id est *Domum secundam* appellantes; idque cum eorum vel maxime interesset impletum non fuisse Haggaei de Christo vaticinium, qui *desideratum cunctis gentibus* Messiam stante *secundo templo* venturum praedixerat cap. II. v. 8.

(10) Καθύπερθεν δ' αὐτῶν (nimirum supra

2011 Ministerio de Cultura

vite botros pependisse, ait, *staturam humanam exaequantes* (11). Consonant Iosepho Mischnici (12), et Gemarici Doctores (13): quibus hoc superaddit Gorionides, *grana atque acinos eius vitis ex lapidibus pretiosis confectos, admirando plane opere, quodque esset gaudium cordis omnibus illud intuentibus* (14).

Mihi haec, ut verum fatear, Salomonicis quam Herodianis opibus congruentiora videntur (15), atque ab utroque

pra templi fores, quibus et flores purpurei et columnae intextae erant) ὑπὸ τοῖς θριγχώμασιν, ἄμπελος διετέτατο χρυσῆ, τοὺς βότρυς ἀπηωρημένους ἔχουσα· θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους, καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν, οἷον ἐν πολυτελείᾳ τῆς ὕλης τὸ κατασκευασθὲν ἦν· Ios. *Ant. lib. xv. c. xi. n. 3.*

(11) Εἶχε δ'ἑ (propylaei porta) καὶ τὰς χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς ἀμπέλους, ἀφ'ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο· Ioseph. *De bell. lib. i. c. v. n. 4.*

(12) Cod. מדות *Middót*, seu *De mensuris templi*, cap. III. n. 8. *Vitis aurea extendebatur supra portam templi: erigebaturque super cantherios. Quicumque vovebat folium, aut uvam, aut botrum, adducebat suspendebatque ex ea. Dixit R. Eliezer filius R. Zadok: evenit ut numerarentur trecenti Sacerdotes in ea dimovenda occupati.*

(13) R. Bartenora, ad h. l. *Totum enim templum auro coopertum erat.* R. Maimonides, ibid. *Ceterum trabis figuram auream supra templi portam fecerunt ad benedicendum ei, ut viti, quia coetus Israëliticus viti assimilatur*, cet.

(14) וענביה וחרצניה ווזגיה אבני יקרה:: תמהה העני כל רואיה ושמחת לבב לכל המביטי אליל· Ioseph. Gorion. ap. Dan. Frid. Ianum *Diss. de vite aurea.* Thes. Vgolin. Tom. XI. col. 1114. Idem Gorionides apud Gabr. Brotierium in *Not. et Emend. ad Tacit. lib. v. cap. v. Herodes Rex vitem ex auro puro confectam columnarum capiti imposuit, cuius pondus mille talenta auri puri aequabat.*

(15) Gabrieli Brotierio in *Not. et Emend. ad Tacit. lib. v. cap. v.* tantum auri pondus videtur omnino absurdum. Itaque primo temperat vitis aureae pretium ad Gallicae monetae libras 8. 700. 000. mox, cum et hoc fidem superare videatur, subdit: *Quod quidem vix probabile adhuc videretur, nî sciremus hanc vitem non unius Herodis, sed totius Gentis Iudaicae per omnem terrarum orbem diffusae, et ad eam magnificentiam per nonaginta ferme annos pronae monumentum fuisse.* Quae ferme repetit in Not. ad cap. VIII. Atqui ab anno Vrbis conditae DCLXXXXIX. quo Crassus Templum depeculatus fuit, ad annum circiter DCCXXXVI. quo Herodes Templum et vitem auream dedicavit, anni non amplius XXXVII. effluxere: ut proinde in iis temporis angustiis vix credibile videatur tantam auri vim congestam fuisse. Sed fortassis Vir Cl. hoc temporis spatium à direpto per Crassum Templo ad Titum usque, et ad Ierosolymae excidium computat: quod aliquanto longius excurrit.

2011 Ministerio de Cultura

que Iosepho et Iudaeorum Magistris ἀυξητικῶς magis quam ex fide narrata. Etenim si tanta ea vitis fuit quantam illi nobis obtrudere volunt, profecto Titus qui post annos octoginta Ierosolymam cepit, in templo repertam, non minore iure quam mensam et lychnuchum aureos triumpho suo reservasset. At nec vitem Titiano arcui insculptam, neque alicubi inter templi spolia relatam scimus (16) : ut proinde inauratam bracteolisve aureis obductam, atque intuentibus undequaque auri speciem obiicientem, potius quam è solido auro confectam fuisse existimandum sit.

Immo si utrumque Iosephi locum conferimus (Gemarici enim parum in hac parte morandi sunt) eliciemus eum in Antiquitatum libris *auream vitem*, ἄμπελον χρυσὴν, pro *inaurata* scripsisse; cum idem in *De bello* de pronai porta loquens dixerit: *At interior in propylaeo porta inaurata erat ut dixi tota, totusque circum eam paries* (17); et paulo ante de exteriori templi porta: *Omnisque eius frons erat inaurata*:: *quaeque circa interiorem templi portam erant, tota auro coruscantia aspicientibus occurrebant* (18).

Nec refert quod adiicit, interiorem propylaei portam *desuper habuisse vites aureas*, τὰς χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς ἀμπέλους, non διαχρύσας, sive *inauratas*. Nam et paulo inferius, de interiore aedis porta loquens, eam *fores*, inquit, *habuisse au-*

(16) Vid. Iosephus *De bell. Iud.* lib. VII. cap. 5. n. 5. quo loco Titi triumphum describit. Item Relandus *De Spoliis Templi Ierosolymitani, in arcu Titiano Romae conspicuis.*

(17) Ἡ δὲ διὰ τοῦ ἴκου πύλη κεχρύσωτο μὲν, ὡς ἔφην, πᾶσα, καὶ ὅλος περὶ αὐτὴν τεῖχος· Ioseph. *De bello lib.v. c.v. n.4.*

(18) Κεχρύσωτο δὲ τὰ μέτωπα πάντα:: Καὶ τὰ περὶ τὴν ἔισω πύλην πάντα λαμπόμενα χρυσῷ τοῖς ὁρῶσιν ὑπέπιπτεν· Ioseph. *Ibidem.*

2011 Ministerio de Cultura

aureas, θύρας εἶχε χρυσᾶς, *quinquaginta quinque cubitorum altitudine*, *latitudine vero sedecim* (19): quas nemo è solido auro confectas dixerit.

Atque ego sic existimo, eam vitem superliminari interioris Templi porticus anaglyptico aut emblematico opere, ornatûs tantum causâ, insculptam aut impositam fuisse, nimirum ut palmitum capreolis, prominentibusque ac circumpendentibus hinc inde racemis portam ambiret, atque undique complecteretur; eamque à reliqua murorum porticûs superficie plana, atque itidem inaurata, disiungeret discriminaretve (20).

Quae cum ita sint, facile iam hinc erit elicere numorum de quibus agimus faciem illam quae vitem cum pampino et botro ex ea pendentibus exhibet, ad nullam ex iis quas in utroque templo exstitisse diximus vites, earumve propagines pertinere. Etenim racemi ex aurea Ptolemaei Philadelphi mensa pendentes; item palmites vites-

que

(19) Ταπεινοτέρα τῆς ἔξωθεν ὄψεως ἡ ἔνδον (porta) ἦν, καὶ θύρας εἶχε χρυσᾶς, πεντηκοντάπηχε πηχῶν τὸ ὕψος, εὖρος δ' ἑκκαίδεκα· Ioseph. *Ibid.*

(20) Scio Ioanni Seldeno (*De iur. nat. et Gent. lib. II. cap.* 8.) parum probari sententiam Villalpandi asserentis vitem hanc non ex auro solido, sed ex filo aureo aulaeis intexto confectam: cui proinde nostra de eadem vite coniectio minus placitura esset. Sed viderint, quaeso, Lectores, num Gorionidis (seu qui sub hoc nomine latet) et Gemaricorum simplici dicto, id est absque probatione aliqua, standum sit, an iis rationibus quas pro nostra opinione adduximus. Praeterea, cum Seldenus hanc vitem in exteriori templi porta (id est, ut ipse interpretatur, *in fronte* aedificii *supra fores*) sub muri coronulis expansam fuisse asserat, non video quid illum induxerit ut crederet tantam auri copiam ab Herode sub dio collocatam, ventorumque atque imbrium et procellarum ictibus obiectam: praesertim cum ex Mischnicorum et Gemaricorum placito, novi in dies votivi palmites ac botri aurei à Iudaeis ex hac vite suspenderentur. Mischnici hanc etiam vitem super portam templi locavere: על פתחו של היכל Cod. מדות *Middót cap.* III. *n.* 8.

2011 Ministerio de Cultura

que circum eiusdem mensae pedes conspicui, atque earum capreoli quibus craterum labia cingebantur, nec vasa nec donaria vel cimelia templi fuere, sed mera sacrae supellectilis ornamenta: quae si numorum auctor iisdem significare voluisset, dubio procul et vasa quibus adiungebantur, id est et mensam et crateres, numis insculpi curasset.

Sed quaenam illa vitis aurea quam in templi adyto à Pompeio visam vulgo memorant? Quaenam item quae à Tacito in templo reperta dicitur? (21). De posteriore, responsio in promtu est, Tacitum ad illam vitem auream respexisse quam in Herodiani templi propylaeo conspicuam paulo ante dicebamus: quod etiam Ioanni Seldeno placuisse video (22). Priorem autem vitem nulli, ut existimo, ante Iustum Lipsium cognitam, una doctissimi Viri coniectura videtur primùm in lucem protulisse. Cum enim apud Florum (III. 5.) de Cn. Pompeio legisset: *Ierosolymam defendere tentavere Iudaei; sed hanc quoque intravit* (Pompeius), *et vidit illud grande impiae gentis arcanum patens* SVB AVREO VTI CAELO: restituendum existimavit: SVB AVREO VITEM CAELO, non aliam ob causam, nisi quod inepta ei visa fuit patentis arcani cum aureo caelo comparatio (23).

Putavit igitur Lipsius hanc vitem à Pompeio visam in

(21) Lib. v. Histor. c. 5. *Vitisque aurea templo reperta.*

(22) *Iam dicta vitis* (nimirum Herodiana) *illa fuit de qua Tacitus Hist. v.* Vitis aurea templo reperta. Selden. *De iur. nat. et Gent. lib. II. c. 8.*

(23) *Quae istaec comparatio patentis arcani cum aureo caelo? Inepta et nulli rei. Quin si attendis, fatebere vere nos, et cum historiae momento emendasse*: sub aureo vitem caelo. Iust. Lips. *Elector. lib. II. cap. 5.*

2011 Ministerio de Cultura

in templi adyto quod *Sanctum Sanctorum* appellabatur. Ait enim: *In hanc vitem ludit et dentem stringit nunc Florus; et en, inquit, hoc illud secretum et grande arcanum quod Templi sui adytis Iudaei celant et colunt* (24). At si ea vitis in Templo umquam exstitisset, vel in priore Tabernaculo in quo erant candelabra et mensae et propositio panum, vel potius in vestibulo, ut in Herodis templo, collocanda omnino esset, non certe in adyto quod דביר *Debír*, id est *oraculum*, vocabatur. Constat enim Zorobabelis templum exstructum fuisse ad exemplar Salomonici, in quo *Sanctum Sanctorum* nihil continebat praeter thuribulum aureum, et arcam foederis in qua urna mannae et virga Aaronis et tabulae Testamenti, ut nos docet Apostolus (25).

Sed neque alibi in Templo eam vitem à Pompeio visam, elicitur omnino ex Iosephi verbis, qui *Pompeium cum iis quos secum habuit templum ingressum fuisse* ait, *quo soli Pontifici penetrare fas fuit, et quae intus erant, candelabrum cum lychnis, et mensam, et vasa libatoria, et thuribula, ex auro omnia spectasse, et multitudinem aromatum congestorum, et sacram pecuniam ad duo millia talentorum* (26); nec non ex Tacito, qui *primum Romanorum Pompeium Iudaeos domuisse, templumque iure victoriae ingres-*

(24) Iust. Lips. *l. c.*

(25) Ad Hebraeos cap. IX. vers. 4.

(26) Παρελθὼν γοῦν σὺν τοῖς περὶ αὐτὸν ὁ Πομπήϊος εἰς τὸν ναὸν, ἔνθα μόνῳ θεμιτὸν ἦν παριέναι τῷ ἀρχιερεῖ, τὰ ἔνδον ἐθεάσατο, λυχνίαν τε, καὶ λύχνους, καὶ τράπεζαν, καὶ σπονδεῖα, καὶ θυμιατήρια, ὁλόχρυσα πάντα, πλῆθός τε ἀρωμάτων σεσωρευμένων, καὶ τῶν ἱερῶν χρημάτων εἰς τάλαντα δισχίλια· Ioseph. *De bello lib. I. cap. VII. n. 6.*

MUSEO SEFARDI TOLEDO
CENTRO DE CULTURA HEBRAICO-ESPAÑOLA
2011 Ministerio de Cultura

gressum fuisse asserit, *indeque vulgatum nullâ intus deûm effigie, vacuam sedem et inania* (reperisse) *arcana* (27). Quae cum vite aurea in Templo à Pompeio visa parum cohaerere videntur.

Nec Lipsius pro coniectura sua veterem aliquem codicem adducit, immo è contrario Seldenus antiquos tantum non omnes pristinam lectionem retinere ait (28): quod et Salmasius confirmat (29). In quatuor certe Escurialensibus (30), atque in edito penes nos Flori exemplo MCCCCLXXV. absque Typographi et Loci nota, *sub aureo uti celo* constanter legitur: ut mirum videri debeat novam Lipsii emendationem tanto cum plausu ab Eruditis exceptam fuisse, inque iis nonnullos palam affirmare ausos *nihil ea coniectura certius* (31).

Verum, ut ego existimo, una Lipsiani nominis claritudo et celebritas effecit ut plurimi novam lectionem amplecterentur, non satis explorato, quid Eum ad veterem Flori textum immutandum permoverit. Ex illo certe tempore in locum de quo agimus misere desaevitum ab Eru-

di-

(27) Tacit. *Histor. lib. v. cap. 9.*

(28) Selden. *De iur. nat. et gent. lib. II. cap.* 8. *Ego sane* (inquit) *pristinam lectionem, à qua etiam stant Codices Mss. tantum, puto, non omnes* (*nam in unico legitur ibi*, uti Scoelo) *plane retinendam censeo.*

(29) Salmas. *In Notis ad Florum Edit. Amstel.* 1674. *pag.* 277. *Antiquum* (inquit) *mendum est, ut veteres libri monstrant, qui illud* uti *omnes agnoscunt.*

(30) Hi sunt. I. *Litt. C. Plut. IV. num.* 16.: II. *Litt. Z. Plut.* III. *num.* 20. III. *Litt. O. Plut.* III. *num.* 23. IV. *Litt. N. Plut.* II. *num.* 20.

(31) Ioann. Freinshemius *apud Seldenum de iur. nat. et gent. lib.* II. *cap.* 8. Gruterus *in Notis ad Florum lib.* III. *cap.* 5. *in Edit. Salmasii* 1674. *pag.* 277. Quibus addesis Georg. Casp. Kirchmaierum, *Exercit. Acad. ad C. Corn. Tacit.* Hist. lib. V. cap. 5. Daniel. Frid. Ianum, *Disp. Historica de vite aurea Templi Hieros. num.* 6. *et* 9. Ioann. Bapt. Ottium, *Epist. ad Reland. de numis Samar. pag.* 71.

2011 Ministerio de Cultura

ditis est, paucis antiquam lectionem retinentibus (32), aliis novas subinde alias pro ingenio aut lubidine sibi dedolantibus (33): cum locus integer, eiusque sententia plana omnino sit, nimirum Templi adytum, sive Sanctum Sanctorum, ingens illud Iudaicae gentis arcanum, Pompeio patuisse *sub tentorio seu concameratione aurea caelum imitante*, quam Latini *aurea laquearia* (34), nostri vernacule *techos de oro* ac *dorados*, id est aurea sive auro obducta, dixere, ab indigenis olim Mauris, peritissimis eorum artificibus, ornandis intimis aedium conclavibus adhiberi solita (35). Videndus omnino Seldenus qui rem suprà quàm dici potest erudite tractavit.

Superest demum nobis alia seu *vitis*, sive *hortus* aut etiam *mons aureus*, quem Aristobulus Alexandri Iannaei Iudaeorum Regis filius Pompeio Ierosolymam adventanti obtulisse à Iosepho narratur. *Misit enim ei* (inquit) *ingens*

(32) Ioann. Selden. *De iur. nat. et gent.* lib. II. cap. 8. Ioannes Camers *ap. eumdem l. c.* Frid. Spanhemius *Epoch. IX. Hist. Eccl.* v. *T. Sect.* 8. *ap. Dan. Frid. Ianum, De vite aurea.*

(33) Salmasius in *Not. ad Flor. lib. III. cap. 6.* legit: *Sub aureo vitis caelo.* Heinsius (*ap. Dan. Frid. Ianum, Diss. de vite aurea*) *sub aureo utique tholo.* Graevius (*ap. I. B. Ottium, Epist. ad Reland. de num. Samar.*) *Sub aureo utique velo.* Stephanus Moinius, *Observ. ad varia sacra pag.* 910. *Sub aureo uti cillo.*

(34) Virgil. AEneid. I. v. 726.
....Dependent lychni *laquearibus aureis.*
Plinius lib. 33. cap. 4. *Laquearia nunc et in privatis domibus auro teguntur. Post Carthaginem eversam primum inaurata sunt censurâ L. Memmii.*

(35) Eximius noster Luisius Legionensis Augustinianus Franciscum Petrarcham imitari studens, Lib. II.

De labor peregrina
Una casa Real vi, qual labrada
Ninguna fue jamas *por sabio Moro*:::
La torre de marfil, *el techo de oro.*

Et Lib. I. Od. I.

Ni del *dorado techo.*
Se admira, *fabricado*
Del sabio Moro, en jaspes sustentado.

Atque hodiedum patentia aèdium tecta, id est nulla contignatione aut opere interrupta, Hispani vernacule *cielos rasos* dicimus.

2011 Ministerio de Cultura

gens donum Aristobulus, vitem auream ex quingentis talentis. Meminit autem huius muneris etiam Strabo Cappadox his verbis: , Venit et ex AEgypto legatio cum corona au-, reorum quatuor mille, et ex Iudaea sive VITIS, sive HOR-, TVS, quod opus τερπωλὴν *delectationem* nominabant. *Hoc do-*, *num* (pergit) *vidimus etiam nos Romae in templo Iovis Ca-*, *pitolini dedicatum cum inscriptione* ALEXANDRI IVDAEORVM , REGIS. *AEstimabatur autem quingentis talentis. Et quidem* , *fertur Aristobulum Iudaeorum Dynasten hoc misisse* (36).

Plinius Cn. Pompeii triumphum de Iudaeis, atque universa fere Asia describens, huius aureae vitis videtur meminisse, quam et MONTEM AVREVM vocat, his verbis: *Hoc enim triumpho transtulit* (Pompeius in aerarium) montem aureum *quadratum cum cervis et leonibus et pomis omnis generis, circumdatâ* vite aurea (37). Ad quem fortassis locum respexit Rufinus, cum eam etiam vitem TORQVEM appellavit AVREAM: *Venerunt vero* (inquit, Strabonis locum è Graeco transferens) *ex AEgypto legati cum corona aurea quatuor millia solidorum, et à Iudaea* VITTIS, *alias* VITIS: *vel* TORQVES AVREA, *quam nominabant* TEPNON, *alias* TREPNON, *id est delectabile* (38).

Haec

(36) Ἔπεμψε γὰρ αὐτῷ μέγα δῶρον Ἀριστόβουλος, ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων τα-λάντων· μέμνηται δὲ τοῦ δώρου καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ λέγων οὕτως· ἦλθη δὲ καὶ ἐξ Αἰγύπτου πρεσβεία καὶ στέφανος ἐκ χρυσῶν τε-τρακισχιλίων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἴτε ἄμ-πελος, εἴτε κῆπος· τερπωλὴν ὠνόμαζον τὸ δημιούρ-γημα· τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ, ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίου, ἐπιγραφὴν ἔχον ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ· ἐτιμήθη δὲ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων· Ἀριστόβουλον μὲν οὖν τοῦτο λέγεται πέμψαι τῶν Ἰουδαίων δυ-νάστην· Iosephus *Antiq.* lib.XIV. cap. 3. n. 1.

(37) Lib. XXXVII. cap. 2.

(38) Lib. XIV. Antiquitat. Edit. Venet. 1481. *per Magistrum Arnoldum de Novimagio Almanum.*

2011 Ministerio de Cultura

Haec autem, seu vitis sive hortus aut torques aurea, numquam in templo Ierosolymitano exstitit, sed creditur cimelium fuisse domus Hasmonaeorum, vel ab Alexandro Iannaeo ut in vulgatis Iosephi exemplis, vel ab eius filio Aristobulo, ut in Edito MCCCCLXXXI. (39) curâ elaboratum.

Quibus permoti ad hanc prae reliquis vitem, atque adeo ad Alexandrum Iannaeum, vel ad iuniorem Aristobulum numos de quibus agimus referri posse coniiciebamus: tum etiam ex eorum fabrica, quae non multum discrepat à minoribus illis numis quos ad secundum et tertium Simonis annum pertinere diximus, neque ab illo Ioannis Hyrcani, quem superiori capite exposuimus; ac demum ex vitis quam exhibent imagine cum trunco, pendentibusque ac decussatis botro et pampino. Nam si Gorionidi fidem habemus, vitis Templi aurea *ramos habebat perplexos sive implicatos* (40). Et Iosephus *ex ea botros pependisse* asserit, ut modo dicebamus.

Numorum pondus, ne de hoc taceam fere omnibus idem est. Prioris nimirum, seu num. I. granorum 32: secundi, granorum 42: tertii, granorum 33: quarti demum, granorum 39.

De raritate, dixisse sufficiat eos hactenus observatos ab Eruditis non fuisse, ac ne quidem pro Hebraeo-Samaritanis habitos.

CA-

(39) *Hoc vero donum nos quoque vidimus in templo Romae Capitolini Iovis sacratum fuisse, titulum habens* ARISTOBOLI FILII ALEXANDRI REGIS IVDAEORVM.

(40) הגפן זהב טהור מעשה אמן היה שריגיה: id est: *Vitis ex auro puro* (confecta erat) *opere artificis, ramos habens perplexos.* Ap. Dan. Frid. Ianum *De vite aur. T. I.*

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT DECIMVM.

Consensus numorum Hebraeo-Samaritanorum cum Sacris Libris. Veteres Hebraicarum litterarum formae. Alphabetum Hebraeo-Samaritanum ex numis.

POSTQVAM egimus de numis Hebraeo-Samaritanis qui in ius et ditionem nostram concessere, quosque in Eruditorum scriniis archetypos videre nobis contigit: de singularium quas exhibent litterarum figuris et in universum de numismatico Samaritanorum alphabeto nonnulla subiungere hoc loco placuit, quibus ad ea quae de Samariticarum litterarum numero, usu et antiquitate dicenda restant, aditus Legentibus praemuniatur.

Prius autem iuverit quae de eorumdem numorum symbolis, epigrammatis, Historica et Chronologica ratione seorsum ediximus, paucis colligere atque in memoriam revocare: videlicet ut mira omnium cum Sacris Litteris, et maxime cum Machabaeorum libris consensio dilucidius appareat, nosque secundùm Apostoli monitum, testimonio Dei innixi, per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus (1).

Et quidem de *Gomór* sive urna Mannae, ac de Aaronis virga, quae symbola sicli et semisicli perpetuo gerunt, apertissima sunt Exodi (2) ac Numerorum (3) loca, quibus Moy-

(1) Ad Rom. XV. 14.
(2) Exod. XVI. v. 32. 33.
(3) Numer. XVII. v. 2. 7. 8. Item Pauli ad Hebr. IX. 4.

2011 Ministerio de Cultura

Moyses à Domino iubetur Gomór, sive vas illud Manna implere, *ut custodiatur coram eo in futuras retro generationes, et nôrint panem quo aluit eos in solitudine; et duodecim virgas à totidem Tribuum principibus accipere, easque in Tabernaculo Foederis reponere: è quibus quae Aaronis nomine inscripta erat, sequenti die germinasse inventa est, et turgentibus gemmis ex ea flores erupisse, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.*

De *palma dactylifera* Iudaeae symbolo, necnon de *botro*, ac *vitis folio* ad designandam eius regionis ubertatem et vini copiam, exstat item crebra in Sacris libris mentio. Nam et *Iericho* sive *palmarum urbs* (4), et *Asasonthamar* Amorrhaeorum (5), et *Baal-thamar* in tribu Beniamin (6), et simpliciter *Thamar*, terrae promissae limes ad Australem plagam (7), saepius in iisdem memorantur: quae vocabula à תמרים *Temarim*, id est à palmis descendere nôrunt Hebraicae Linguae periti (8). Nota etiam sunt quae de

(4) Deuteron. XXXIV. v. 3. II. Paralip. XXVIII. 15.

(5) Gen. XIV. v. 7.

(6) Iudic. XX. v. 33.

(7) Ezechiel. XLVII. 19. et XLVIII. 28.

(8) Scio esse qui urbem *Thamar* eamdem esse quae Iericho, seu palmarum urbs; alios qui *Thamar* et *Asason-thamar* sono tantum vocabuli, cetera nihil differre existiment, de quibus late Olavus Celsius *Hierobotan.* T. II. in תמר *Tamar.* Immo etiam, qui cum in Hebraeo textu *III. Reg. IX. v.* 18. et *II. Paral. VIII.* 4. pro *Thamar* (ut est apud Ezechielem) legissent תדמור *Tadmór*, et in Vulgato *Palmiram*, putaverint *Thamar* Ezechielis esse *Palmiram* urbem à Salomone conditam, quam LXX. Interpretes *II. Paralipomen. VIII.* 4. Θεεδμόρ, Iosephus Θαδαμόραν vocat: deceptos nimirum vocabuli affinitate, et palmarum in utraque urbe proventu. *Thadmóra* enim sive *Thadamóra* Salomonis non procul ab Euphrate locatur à Geographis Cellario, Sánsone, cet. et vel si eam cum Golio *Heliopolin*, hodie *Balbak*, in Coelesyria propria dicimus, nimium quantum distabit ab Australi Terrae promissae limite, quem in Ezechielis *Thámare* constitutum fuisse constat.

In Veteribus Geographis Strabone,

2011 Ministerio de Cultura

de vineis Engaddi, ac de sponsae uberibus, sicut botri, in

Mela, Ptolemaeo, Stephano, ut hoc obiter moneam, nullam prorsus τῆς *Tamár* urbis aut regionis in Hispania nostra mentionem reperi, neque apud Plinium, aut in Antonini Itinerario. Ptolemaeus quidem *Támaram fluvium*, fortassis hodie *Tambre*, collocat in Callaicorum Lucensium finibus, qui ad Nerium sive Artabrum promontorium in Occiduum Oceanum influit *Lib. II. c. 6.* et Mela, *Tamaricos*, Neriosque populos terrarum ultimos in eo tractu memorat, *III. 1. Tadmirae* autem sive *Tadmír* (qua voce Cl. Michael Casiri *Biblioth. Arab. Hisp. T. I. p. 372. col. 2.* regionem *palmiferam* ab Arabibus significari ait) non unam mentionem exstare video in Arabum Hispaniensium scriptis. Neque eo vocabulo regionem tantum, terraeve tractum seu ditionem, sed urbem etiam κυρίως *Tadmír* appellatam, exprimi; quamvis Geographus Nubiensis *Clim. IV. part. I. pag. 153. Tademír provinciam*, et pag. 161. *Tadmír terram*, *cuius Mursia urbs est metropolis*, numquam urbem peculiariter ita dictam nominet. Verum et *Tadmír* provinciam, et cognominem ei in Hispania urbem ad Australem Mediterranei maris oram olim exstitisse, è plurimis Scriptorum Arabum monumentis constat. Etenim urbs *Tadmír* Abdallae Abdelrahmanidi Ben Moaviae vectigalis facta dicitur, *Biblioth. Arab. Hisp. T. II. pag. 33. col. 2.*; *et pag. 214. col. 2.* à Thaharitis possessa; *et pag. 138. col. 2. init.* è regione urbis *Elche* appellatae collocatur: quae una notio eam et mari proximam et à mediterranea illa *Tadmír*, quam Geographi in Baetis et Singilis interamnio collocant, diversam facit.

Admisso itaque in Provincia seu ditione *Tadmír* cognominem exstitisse urbem, pronum erit coniicere, ei urbi, quaecumque tandem fuerit, à palmis nomen inditum. Si qua igitur in eo tractu, aut alias umquam, proprio iure *palmifera* appellari meruit, ea profecto urbs fuit cui hodiernus Ilicitanorum ager excolendus obtigit; cum is unus gratuito et singulari naturae dono mirabilem palmarum copiam et proventum afferat; quippe qui et sabulo abundat et salsuginosis aquis irrigatur: quae duo Theophrastus, *Hist. plant. II. 8.* Plinius, *XIII. 4.* et rei rusticae Auctores gignendis educandisque palmis aptissimum esse aiunt.

Existimo igitur, quam hodie vocamus *Ilicen* à Mauris *Tadmíram* appellatam, quòd undique palmetis obsita et vallata esset. *Ilicitanos* autem, quos editum circà locum tenuisse è priscae Hispanae vocis *Ilice* etymo coniiciunt Viri docti, vicinae urbis soli laetitia atque ubertate illectos, mutuis etiam, ut inter finitimos, connubiis et cognationibus iunctos permixtosque sensim in eam immigrasse, aut incolis, casu aliquo, vacuam occupasse, eique propriae urbis appellationem indidisse: quo factum ut vetus *Tadmírae* nomen exoleverit. Id certe in Arabum scriptis post saeculum Egirae V. et in Christianorum ab anno salutis MCC. mihi amplius non occurrit.

Quod autem nonnulli existimant, urbem Mursiam ab Arabibus *Tadmír* συνωνύμως appellatam, mihi quidem parum videtur probabile. Etenim nec Mursiam iure *Tadmír* seu *palmiferam* dixeris, quippe cuius ager raras alit palmas; neque veterem *Ilicen*, quae unius minimum diei itinere à Mursia distabat, *adversus eam exsurgere*: quemadmodum ab Indigena Ilicitano Isa Ben

2011 Ministerio de Cultura

in Canticis, deque capite, ut Carmelus (9). Quin et Carmelus ipse à vineis dictus (10), et vallis torrensque botri ab admirabili vitis è terra Chanaan advectae proceritate (11), ut mittamus quae de vinea pro universo Israëlis populo per allegoriam dicta sunt (12).

De לולב *Lulâv* autem sive *fasciculo* è palmarum spatulis, et myrto seu ligno densarum frondium, et salicibus torrentis; item de malo citreo seu fructu arboris pulcherrimae, quem fasciculum numi anno quarto percussi nunc singularem nunc geminum exhibent, diximus exstare locum *Levit. XXIII.* 40. ubi totidem haec habentur verbis ex ore Dei exceptis et Israëlis populo per Moysem intimatis: quae si conferantur cum *II. Esdrae VIII.* 15. apparebit Karaïtarum dogma, qui in Scenopegiae festo nec malum agnoscebant citreum, nec ramos fasciculi in morem religatos assumebant, sed iis unice pro tabernaculis exstruendis utebantur, ut alibi à nobis observatum.

AEdificium tetrastylum, quod numus argenteus, inter eos qui epochen expressam non habent, primo loco descri-

Ben Mohamad vetus *Ilice* exsurgere dicitur *adversus vicinam Tadmír*, *Biblioth. Arab. Hisp. T. II. pag.* 138. *col.* 2. *initio*; neque demum Nubiensis, loco paulo ante citato, dixisset: *Vrbs Mursia* (sed *Vrbs Tadmír*) *est metropolis terrae Tadmír*: quemadmodum dicimus: *Vrbs Valentia est metropolis regni Valentini*: *Toletum Toletani*, cet. Praeterea excussis diligenter Arabum scriptis à secundo Egirae saeculo, nullo non tempore Mursiam urbem à Mauris eo nomine appellatam reperi. Sed nihil de his definio.

(9) Cant. I. v. 13. et VII. v. 5. 7. 8.

(10) כרם *cérem* (legendum *kérem*) Hebraeis *vinea*. Granatensibus villae rusticae *Cármenes* dictae, ut Romanis *vineae*. Straboni *vitis Carmanica bicubitalis*, δύωπηχυν ἔχουσα πολλάκις τὸν βότρυν *Lib. XV. pag.* 726. *al.* 1057. et forsan *Carmo* Baeticae urbs à vineis olim dicta.

(11) Deuter. I. v. 24. et Numer. XIII. v. 24.

(12) Psalm. LXXIX. v. 9. 15. et saepius alibi ap. *Isaï. et Ierem.*

2011 Ministerio de Cultura

scriptus exhibet, Mausoleum à Simone in urbe Modin super patris et fratrum sepulcra exstructum designare alibi diximus; serpentemque pro eo undatim lineam (quae in Kircheri numo gemina, omnino ut Aquarius inter Zodiaci signa, pingitur) mare, quod non longe ab eo aedificio aberat: utrumque è *Lib. I. Machab. XIII. 27. 29.*

De *cithara* et *corona laurea* atque *intra eam erecto palmae ramo*, quae symbola hinc inde in numo tertio ex iis qui adscriptam epochen non habent conspiciuntur, diximus item pro eius numi expositione, ad IV. et XIII. capita primi Machabaeorum libri referenda: quibus locis traditur devictis primum per Iudam ad annum Graecorum CXLVIII. Antiochi Ducibus, dein arce Sionis per Simonem recuperatâ, *populum Hebraeorum cum laude, et ramis palmarum, et cinyris, et cymbalis, et canticis, et citharis* triumphum egisse, hymnosque eucharisticos decantasse Domino Deo Sabaoth; cum iam diu *ablata esset voluptas à Iacob, atque ibi defecisset tibia et cithara*, ut in eodem Machabaeorum libro, *cap. III.* legitur. Coronam vero et palmae ramum ad *coronam illam auream* et *palmas et thallos* quos Alcimus Summus olim Sacerdos templo sublatos Demetrio Syriae Regi ad annum CL. Graecorum obtulit (13): quasi ea post ablatum iugum gentium ex Israël brevi intervallo temporis Templo restituenda essent.

Ad Historiam autem et Chronologiam quod spectat, videmus numos Simonis omnes intra quadriennii spatium per-

13) II. Mach. XIV. v. 4. At I. Machab. VII. v. 1. *anno demum CII.*

2011 Ministerio de Cultura

percussos fuisse, nimirum ab anno Graecorum CLXX. ad CLXXIII. Id autem quadriennium constat iustum illud temporis intervallum esse, quod effluxit à sublato iugo Gentium ab Israël ad ruptum ab Antiocho foedus quod pepigerat cum Simone; atque utrimque conclusum, nimirum hinc ab inita cum Demetrio pace et amicitia (14), inde vero ab Antiochi foedifragio, quod contigit anno CLXXIV. (15): ex quo tempore Simon, ut alibi diximus, numos cudere desiit.

Numorum demum epigraphae mirum quantum cum sacris Machabaeorum libris consentiant. Etenim, ut ex praemissis eorum tabulis elicitur, primi anni sicli, semisicli, et reliqui in universum Hebraeorum numi, *Israëlis* tantum et *Ierusalem* nomina praeseferunt; item sicli, semisicli, et maiores numi ad secundum Simonis annum pertinentes: quos propterea sub eius anni initium percussos fuisse coniicimus, nimirum quo tempore *Sionis* arx nondum recuperata fuerat; minores vero qui eumdem annum et *redemtionem Sionis* insculptam gerunt non nisi post tertiam et vigesimam diem secundi mensis anni Graecorum centesimi septuagesimi primi: qua die Iudaeos cum laude et ramis palmarum et cinyris, et cymbalis, et nablis, et hymnis, et canticis *Sionis* arcem ingressos fuisse constat (16). Immo etiam, quod maxime notandum, nullam amplius *Israëlis* aut *Ierusalem*, neque *Simonis*, sed unius

(14) I. Mach. XIII. v. 37.
(15) I. Mach. XV. v. 27.
(16) I. Mach. XIII. v. 51. ut et sub Iuda I. Mach. IV. v. 54.

2011 Ministerio de Cultura

unius liberatae aut redemtae *Sionis* mentionem in numis annorum sequentium occurrere.

Quibus praemissis nonnulla de singularibus Samaritarum litterarum formis observanda sunt.

Et primo quidem de littera א *Aleph*, quae hac figura 𐤀 perpetuo depingitur; in siclis autem et semisiclis recta, in numis sub Simone percussis sinistrorsum devexa, interdum etiam inversa exstat. At in Ieochannanis numo superius explicato hac mihi figurâ visa est occurrere 𐤀, atque item hac 𐤀: quae nihil inter se differunt, nisi quod posterior superne mutila est.

ב *Beth* in secundi anni siclis et numis nunc quadrâ nunc rotundiore formâ pingitur, nimirum 𐤁, 𐤁.

ג *Ghimel* hac unice figurâ 𐤂, nunc recta nunc devexa in numis tantum anni primi et quarti occurrit. Exstat etiam in Barthelemiano, de quo mihi cum Viro Clarissimo lis amica fuit.

ד *Daleth* in siclis et semisiclis tantum, hac perpetuo figurâ eaque erecta pingitur 𐤃; in Barthelemiano numo sinistrorsum flexa et paene iacens.

ה *He* in siclis etiam et semisiclis hac forma 𐤄 occurrit. In Ieochannanis autem et in Barthelemiano numo ita depingitur 𐤄.

ו *Vau* multiformis est, frequentissime autem duplici hac figura 𐤅, 𐤅 in siclis et numis exprimitur: quarum priorem Swintonus in eo quem protulit numulo singularem depraedicat, cum nihil sit illa tritius.

ז *Zain*

2011 Ministerio de Cultura

ז *Zain* in Samaritanorum numis nuspiam exstat.

ח *Cheth* perpetuo hac figura ⊟, eaque vel erecta, vel iacente, vel sinistrorsum flexa visitur.

ט *Theth* abest omnino à Samaritanorum numis.

י *Iod* frequens hac figura occurrit ɿ, situ tamen vario. In Ieochannanis autem numo sub hac forma ⊆ singularis est.

כ *Caph* in siclis numisque sub Simone percussis nuspiam exstat. In Ieochannanis numo ita depingitur ⊐, in Barthelemiano sic ɔ.

ל *Lamed* perpetuo sub hac figura ∠ occurrit, positio tamen eius varia est; nam et erecta et iacens, et sinistrorsum ac dextrorsum versa in siclis et numis visitur.

מ *Mem* et quadra est et rotundior, eâdem tamen ubique figura, nimirum ⋿, ⋾.

נ *Nun* praecedenti affinis quadra item ac rotundiore formâ, scilicet ⊻, ⊻; in Ieochannanis autem numo singulariter ita depingitur *1*.

ס *Samech* omnino à Samaritanorum numis exsulat.

ע *Hain* humanum oculum figurâ ○ refert, indito ei ex re nomine; interdum tamen oblonga aut triquetra in numis conspicitur.

פ *Pe* nullibi exstat in Samaritanorum numis. Bianconus (17) eam litteram deprehendisse sibi visus fuit in numo quarti Simonis anni, quem è cimeliis Instituti Bononiensis evulgavit; sed falsus primum ipse Cl. Bonifacium Finet-

(17) De antiq. litt. Hebr. et Graec. p. 31. Numus autem in Tab. operi subiecta.

2011 Ministerio de Cultura

nettum fefellit atque in suam sententiam pertraxit (18). Ea littera in Bononiensi numo non est פ *Pe*, sed נ *Nun* inferne decurtata, et secunda sive media in voce שנת *scenát*; integra autem eiusdem inscripsio שנת ארבע *scenát arbáh* sive *anno quarto*, ut passim in aliis eiusdem anni numis.

ץ *Tsade* à siclis abest. Immo eam litteram, quamvis in semisiclis et numis qui *Sionis* nomen gerunt obviam, è primigeniarum Hebraicarum albo expungendam esse existimo, ut capite sequenti. Depingitur autem hac figura ⳾; interdum et aliâ quae proxime accedit ad Graecorum ξ, sed dextrorsum vergente.

ק *Koph* non multum recedit ab Assyriaca eiusdem nominis littera; ita enim in siclis et semisiclis depingitur ⲣ; à numis abest.

ר *Resc* hac forma ⲣ in siclis et numis.

ש *Scin*, et quadra et rotunda, nimirum ⲯ, ⲱ.

ת *Tau* perpetuo decussem, id est denarii Romani notam, sive crucis figuram refert in numis, nimirum ⲭ; in siclis et semisiclis non exstat.

Verum ut quotquot in numis exstant Samariticarum litterarum formae uno ut aiunt oculorum ictu lustrari, et cum Assyriacis, atque etiam cum Samariticis litteris è Codicibus desumtis committi à Lectoribus possint: placuit demum eas συλλήβδην alphabetico ordine atque in classes digestas in subiecta tabella repraesentare.

CA-

(18) Trattato della Lingua Hebraica e sue affini Tab. I. post pag. 258.

2011 Ministerio de Cultura

ALPHABETVM HEBRAEO-SAMARITANVM

è Numis quos vidimus archetypos; item alterum è Codicibus desumptum, et utrumque cum vulgari Hebraeorum alphabeto collatum.

Hebr. Vulg.	*Samar. è Numis.*	*Samar. è Codd.*
א . *Aleph*	𐤀 𐤀 𐤀 𐤀 𐤀 𐤀	𐡀
ב . *Beth*	𐤁 𐤁 𐤁 𐤁	𐡁
ג . *Ghimel*	𐤂 𐤂	𐡂
ד . *Daleth*	𐤃 𐤃	𐡃
ה . *He*	𐤄 𐤄	𐡄
ו . *Vau*	𐤅 𐤅 𐤅 𐤅 𐤅 𐤅	𐡅
ז . *Zain*		𐡆
ח . *Cheth*	𐤇 𐤇 𐤇	𐡇
ט . *Theth*		𐡈
י . *Iod*	𐤉 𐤉 𐤉 𐤉	𐡉
כ . *Caph*	𐤊	𐡊
ל . *Lamed*	𐤋 𐤋 𐤋 𐤋	𐡋
מ . *Mem*	𐤌 𐤌 𐤌	𐡌
נ . *Nun*	𐤍 𐤍 𐤍 𐤍 𐤍	𐡍
ס . *Samech*		𐡎
ע . *Hain*	𐤏 𐤏 𐤏 𐤏 𐤏	𐡏
פ . *Pe*		𐡐
צ . *Tsade*	𐤑 𐤑 𐤑	𐡑
ק . *Koph*	𐤒 𐤒	𐡒
ר . *Resch*	𐤓 𐤓	𐡓
ש . *Scin*	𐤔 𐤔 𐤔 𐤔	𐡔
ת . *Tau*	𐤕	𐡕

Quae litterae punctis notantur è Iehochanis numo superius explicato desumptae sunt.

P. Aversanio inuid.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

CAPVT VNDECIMVM.

Samariticarum litterarum numerus, earumque apud Hebraeos usus, et prae Assyriacis antiquitas.

SAMARITANORVM litteras Hieronymi aetate viginti duas fuisse Sanctus Doctor apertissime testatur, inquiens: *Samaritani Pentateuchum Moysis totidem* atque Hebraei, Syri et Chaldaei, id est viginti duabus *litteris scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes* (1): quae de vulgari Samariticorum eius aevi codicum charactere potius quam de numismatico, de quo nunc inquirimus, intelligenda esse nemo non videt. Etenim excussis quotquot ad hanc diem detecti sunt Hebraeo-Samaritanis sub Simone numis, septemdecim tantum in iis litterae ab Eruditis deprehensae sunt: quibus si תּוֹ כ *Caph*, in uno Iehochannanis numo sub hac figura ⊐ expressam, adiicias, confient octodecim non amplius litterae, in quibus universam Hebraeorum et Samaritanorum scribendi rationem constitisse non temerè quis coniecerit.

Postellus, Ios. Scaliger, R. Azarias, atque è Recentioribus Montfauconus, Bernardus, Finettus et alii, viginti duas item litteras undique collectas in alphabeta sua retulere, quinque tamen ex iis, atque easdem omnino litteras, nimirum ז, ט, כ, ס, פ in Hebraeo-Samaritanorum numis non exstare agnoscunt. Kircherus in *florido*, quo nomine Samaritanum appellat, *charactere*, quindecim tantum litteras col-

(1) In Prologo Vulg. Biblior. Edit. praemisso, quem Galeatum vocant.

2011 Ministerio de Cultura

collocat (2), omissis ταῖν ק *Koph* et ר *Resc.* Waltonus (3), Spanhemius (4), Harduinus (5), septemdecim; ac totidem Kishullus, qui tamen è simplici ו *Vau* geminam litteram nunc consonam nunc vocalem facit; atque admissis ταῖν כ *Caph* et פ *Phe*, τὰ ק *Koph* et צ *Tsade* reiicit (6). Froëlichius octodecim recenset, adlecta in alphabetum suum τῇ כ *Caph*, quam nescio unde hauserit (7). Atque ad hunc ferme modum alii, ut mittamus singularem B. Irenaei sententiam qui antiquas et primigenias Hebraeorum litteras decem, non plures fuisse asserit (8).

Nos

(2) Oedip. AEgypt. Tom. II. pag. 105.

(3) Appar. Polyglottor. Londin. *De siclor. formis*, cet. pag. 38.

(4) De praest. et usu numism. Diss. II. T. I. pag. 80.

(5) Expos. duor. numor. Samar. ap. Vgolin. T. XXVIII. col. 1068.

(6) Antiquit. Asiat. Inscript. Sigeensium pag. 24.

(7) Annal. Reg. Syr. in alph. Hebr. Tabula, quae est XVII.

(8) S. Irenaeus lib. II. contra haeres. cap. XXIV. n. 2. *Ipsae enim* (inquit) *antiquae et primae Hebraeorum litterae, et Sacerdotales nuncupatae, decem quoque quidem sunt numero,* (*scribuntur autem per* XV.) *novissima litterà copulata primae.* Quem locum sane difficilem exponit Doctiss. Interpres Renatus Massuetus de litteris *non absolute, prout elementa sunt vocum* (quod omnes hactenus Irenaei Interpretes fefellisse ait), *sed arithmetice, prout notae numerorum sunt*, ut sit sensus: *scribuntur autem per* XV. (*non inquam per* quindecim, *sed per* decem et quinque) *sive per denarium et quinarium numerum.* Verum cum eo loco Irenaeus agat de litteris quibus nomen יהושע IESVS Hebraice scribitur, deque illarum potestate numerali sive arithmetica; et alias constet Hebraeos sesquidenarium numerum non per *decem* et *quinque*, sive per numerales litteras יה, sed per *novem* et *sex*, id est per טו perpetuo scribere; ne videlicet coniungentes has litteras יה ineffabile Dei nomen יהוה *Iehova* per compendium scripsisse aut scribere coepisse videantur: succurrebat num huc pertineant Irenaei verba, *scribuntur autem per* XV. id est per *decem* et *quinque*, seu per litteras י *Iod*, et ה *He*; non per *novem* et *sex*, sive per ט *Theth*, et ו *Vau*, quemadmodum Hebraei sesquidenarium, seu *decimum quintum* numerum scribunt. Cumque praeterea admirabile nomen IESV, sive יהושע ab iisdem itidem litteris יה incipiat, Hebraeos ob eamdem rationem, videlicet ne nomen ipsis abominandum protulisse dicerentur, iuncturam earum litterarum in unam syllabam consultissime evitasse. Constat enim si quando ipsis CHRISTI IESV nomen proferendum aut scribendùm occurrit, id per vo-

2011 Ministerio de Cultura

Nos in eo quod protulimus Hebraeorum alphabeto septemdecim illis litteris quas Simonis numi exhibent, τὴν כ *Caph* è Iehochannanis numo adiecimus; eam tamen litteram ex Assyriacis fontibus derivari, ac propterea è Samariticarum albo expungi debere diximus. Immo etiam è reliquis septemdecim τὴν ץ *Tsade*, licet passim in Simonis numis obviam, omnino recidendam, atque inter primigenias Hebraeorum litteras minime referendam esse existimamus: seu quod è Babylone advecta à Iudaeis fuerit, sive à Graecis (quibus iam tum litterae duplices in usu erant) in Syriam translata sensim in alphabetum Hebraicum irrepserit (9). Certe una à sedecim reliquis degenerat, composita cum sit seu duplicis potestatis littera: quam ob causam à Kishullo, non secus atque illius homogenea ז *Zain*, à primitivis Hebraeorum, Phoenicum, Graecorum, et Latinorum alphabetis merito expungitur.

Postremum si admittimus, sedecim tantum litterae supererunt: quem mihi numerum usque adeo arrisisse fateor, ut vel re nondum satis explorata, reliquis omnibus antefe-

vocem פלוני *Peloní* (quae et sono et significatione eadem est atque Hispanica *Phuláno*) exprimere: quasi *Incertum* dicant, cuius nomen proprium reticere volunt. Vid. I. Buxtorf. Pater *Lex. Hebr. Chald.* in voce הוה.

(9) Quominus hanc litteram ab Hebraeis inventam existimem, eius Gentis religio facit; quippe quibus ne minimum quidem litterarum apicem immutare licuit. Etenim testibus utroque Talmude et Gemaricis in tractatu *Megillah cap.* I. non solum XXII. vulgares Hebraeorum litterae, sed et quinque finales, ך, ם, ן, ף, ץ, à Prophetis atque ab ipso Moyse traditae ipsis fuere. Ex quo eliciunt cum R. Abrahamo Ben David in excerptis ex libro שלטי הגבורים *scilté hagebborím*, sive *scuta fortium*, fol. 171. col. 2. *Si nihil, ne Prophetis quidem, licitum fuit in Lege mutare, multo minus licuisse Esdrae Scripturam Assyriacam Hebraeis obtrudere.* Vidend. Io. Buxtorf. F. *de litterar. Hebraic. genuina antiq.* num. XVI.

2011 Ministerio de Cultura

ferendum esse coniicerem, et primaevas Hebraeorum litteras nec plures umquam nec pauciores sedecim fuisse iam olim animo praeciperem.

Et quidem si gutturis, palati, linguae, dentium et labiorum flexus compressionesque et motus quibus soni simplicium litterarum efformantur ad calculum exigimus, vix dum eum numerum pertingemus. Sonos autem quos hi flexus et compressiones, sive quos varia consonantium litterarum organa cum vocalibus collisa sponte sua emittunt, Antiqui litteras seu litterarum potestates appellavere: ex quorum inter se coniunctione *Natura* primum *loquens*, dein iisdem in peculiaria signa relatis atque in ordinem digestis, *Natura scribens*, atque *Orbis alphabetum* emanavit (10). Hinc Plautina illa: *Babae*, *tatae*, *papae* (11); et Varronis *bua* pro infantium potu (12), et *nenia* pro nutricum cantione apud Horatium (13), et Persianum *pappare* atque *lallare* (14): quam vocem, à Graecis λαλεῖν, λαλιὰ, *loqui*, *loquela*, ut puto, mutuatam, Hieronymus etiam usurpavit (15), atque alia eius generis permulta.

Praeterea è Plinio, Tacito, Plutarcho et Veteribus Hi-

(10) Kishullus *Antiquit. Asiat. Inscript. Sig. pag.* 25. *At quinque illis secundariis* (litteris, nimirum quas à numis abesse diximus) *ex utraque serie retractis, emicabit statim purum putum* Naturae atque Orbis Alphabetum, *ope numorum et inscriptionum è penitissima antiquitate erutum:: nulla simplici* (potestate) *deficiens, neque ulla compositâ redundans: voci atque eloquio humano articulatè adaptatum::: facta, dicta, cogitata praesentibus sono exprimens: absentibus picturâ servans*, cet. Consonat Vachterus in *Naturae et scripturae concord. Sect.II. cap.* 3. *et* 4.

(11) Stichus *Act. V. Sc. VII. v.* 3.

(12) *De liber. educ.* ap.Lucil. lib.VIII. et Nonium II. 97.

(13) Lib. I. Epist. I. v. 62.

(14) Sat. III. v. 18.

(15) Epist. ad Heliodorum.

2011 Ministerio de Cultura

Historicis tum Latinis tum etiam Graecis ediscimus Cadmum, seu quisquis sub ea voce latet, sedecim tantum litteras Graeciae intulisse, quibus universum Phoenicum alphabetum initio constitit. Verum quia in iis Scriptoribus, quos magno numero Spanhemius recenset (16), non reperi Dionysium Halicarnassensem, locum eius integrum, qui mire in rem nostram facit, adducere placet: *Litterarum* (inquit) *numerum qui sit, non adeo facile est exacte dicere* : : : *Nonnulli vocis elementa omnia esse tredecim* (restituendum *sedecim*) *numero putaverunt, et ex his constitui reliqua* (17). Si ergo Cadmus Graeciae sedecim Phoenicum litteras intulit, et reliquas rudibus, quos ad humanum et civilem cultum informabat, populis minime invisurum fuisse existimandus est.

Nec si litteras quae ab Hebraeo-Samaritanis numis absunt è primigeniarum numero expungimus, ellipticum propterea aut imperfectum dicemus Hebraeorum alphabetum; cum et absque iis litteris Hebraei sensûs et cogitata sua et voce et scripto exprimere ac testari optime possent: quemadmodum Phoenices, et Graeci ante Troiana tempora, quique ex iis Gentibus mutuas sumsêre litteras Etrusci ac Latini, sive Vmbri et Aborigines, quorum alphabeta se-

(16) *De praest. et us. numism.* Diss.II. Tom. I. pag. 83. quo loco praeter memoratos citat B. Irenaeum, Marium Victorinum M. Eusebium, Cassiodorum, Suidam.

(17) Περὶ συνθέσ. ὀνομάτ· num. 17. Edit. Francof. 1586. Tom. II. pag. 12. init. Ὁ ἀριθμὸς δὲ αὐτῶν (γραμμάτων) ὅσις ἐστὶν, ὃ ῥᾴδιον εἰπεῖν ἀκριβῶς : : : οἱ μὲν γὰρ ᾠήθησαν εἶναι τριακαίδεκα (restituendum ἑκκαίδεκα è Sylburgio in Notis) τὰ πάντα τῆς φωνῆς στοιχεῖα, κατεσκευᾶσθαι δὲ τὰ λοιπὰ ἐκ τούτων· In edit. Oxon. 1704. T. II. pag. 21.

2011 Ministerio de Cultura

sedecim omnino litteris constitisse paulo ante dicebamus (18).

Et quidem si duplices quas reiecimus litteras, nimirum τὰ ז *Zain* et צ *Tsade*, analytice examinamus, nihil profecto in iis inveniemus, nisi ד ש *Scin Daleth* et ת ש *Scin Tau* uno velut ictu prolatas, quarum subiunctiva quodammodo liquescit; eas autem litteras sub his figuris ש ד.. ש × depictas discretasque cernimus in Hebraeorum numis. Quatuor autem reliquas, seu τὰς ט, כ, ס, פ, quas itidem reiecimus, nemo iure novas litteras dixerit, sed affinium suarum, id est eiusdem organi litterarum, quas tenues Grammatici appellant, nimirum τῶν ת, ק, ש, ב, emollitiones, ut ita dixerim, seu laevigationes quasdam: ut mirari subeat quàm pro lubidine Veteres, Palamedem, Pherecydem, Epicharmum, Simonidem, seu quisquis affines iis litteras Θ, Ξ, Φ, X, Graecorum alphabeto primus intulit, earum auctores appellaverint: qui non modo nullas invenerunt litteras, sed inventas leniter adspirando et blaesè proferendo *legitima voce et nativa potestate fraudarunt*, ut Sulmonensis olim (19). Exstat quoque in eam rem insignis Plutarchi locus in Quaestionibus Platonicis: *Gemitus*, inquit, *et ululatus histrionum, at-*

(18) Tacitus *Annal.* XI. 14. *In Italia Etrusci ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Evandro* (litteras) *didicerunt. Et forma litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum. Sed nobis quoque paucae primum fuere.* Plinius VII. 58. *Veteres Graecas* (litteras) *fuisse easdem paene, quae nunc sunt Latinae*; cum paulo antè, nimirum *cap.* 56. dixisset: *Cadmum in Graeciam intulisse litteras sedecim numero.* Cl. Ant. Franc. Gorius, Amicus olim noster, *Storia Antiquaria Etrusca* pag. 33. simplices priscorum Etruscorum litteras XII. enumerat, eisque IV. duplices adiungit. Philippus Buonarrotus, *ap. eumd. Gorium*, Tab. IX. ad pag. 139. *quindecim*: Edmund. Kishullus, *septemdecim*, totidemque Latinas, *Antiquit. Asiat. Inscript. Sigeensium* pag. 24.

(19) Ovid. Art. am. Lib. III. v. 293.

Quid cùm legitimâ fraudatur littera voce,
Blaesaque fit iusso lingua coacta sono.

2011 Ministerio de Cultura

atque adeo arrisio et reticentia, interdum faciunt ut maiore vi sermo aliquid exprimat; non tamen ita ut nomen aut verbum necessariam habeant significandi vim, sed adscititiam quamdam, quae orationem variet: quo pacto litteras variant qui spiritûs et quantitates litteris annotant, non litteras, sed affectiones potius et accidentia, atque differentias litterarum. Quod manifestum fecerunt Veteres, quibus sedecim litterae suffecerunt ad eloquenda et scribenda omnia (20).

Et sane de tribus adscititiis litteris ט, כ, פ, res explorata est, eas affinibus suis, quas appellant tenues, nimirum ταῖς ת, ק, ב, nihil addere praeter adspirationem lenem, quam Graeci Veteres exprimebant per H sive ἦτα, Latini hodiedum per H. Itaque pro ΘΕΟΣ, ut nunc, olim scribebant THEOΣ *Deus*: pro ΧΡΟΝΟΣ *tempus*, ΚΗΡΟΝΟΣ dissyllabum, ut idem esset utriusque vocis sonus (*Saturnum* autem et *Saturnalia* ΚΡΟΝΟΝ et ΚΡΟΝΙΑ absque adspiratione): pro ΤΡΟΦΟΣ *altor*, ΤΡΟΠΗΟΣ item dissyllabum, atque id genus alia. Etenim apud eos, ut hodiedum apud nos, H nullum emittebat vocalem sonum, sed adspirandae tantum praecedenti litterae inserviebat, ut ex Mario Victorino, et ex vetustissimis Graecis inscriptionibus discimus (21).

De

(20) Οἱ ϛεναγμοὶ καὶ ὀλολυγμενοὶ τῶν ὑποκριτῶν, καὶ νὴ Δία πολλάκις ἐπιμειδίασις, καὶ ἀποστώπησις ἐμφατικώτερον ποιεῖ τὸν λόγον· οὐ μὴν ἀναγκαίαν ἔχειν πρὸς τὸ σημάινειν, ὡς τὸ ῥῆμα καὶ τὸ ὄνομα δύναμιν, ἀλλ' ἐπίθετόν τινα ποικίλλουσαν τὸν λόγον· ὥσπερ τὰ ϛοιχεῖα ποικίλλουσιν οἱ τὰ πνεύματα, καὶ τὰς δασύτητας αὐτῶν, ἐκτάσεις τε, καὶ συϛολὰς ἑνίων αὐτὰ καθ' αὐτὰ ϛοιχεῖα τιθέμενοι, πάθη μᾶλλον ὄντα καὶ συμβεβηκότα καὶ διαφορὰς ϛοιχείων, ὡς ἐδήλωσαν οἱ παλαιοὶ, διὰ τῶν ἑκκαίδεκα φράζοντες ἀποχρώντως καὶ γράφοντες· *Edit Paris.* 1624. Tom. II. pag. 1009.

(21) *Litterae* (inquit) Θ, Φ, Χ, *priusquam à Simonide invenirentur, exprimebant* (eas Graeci) *iuxtà* Τ, *et iuxta* Π, *et* Κ *adspirationis notam* Η *ponendo.* Lib. I. C. de litt. Videndi *Vossius* de art. Gramm. lib. I. c.

2011 Ministerio de Cultura

De littera autem ש, ante inventam τὴν ס *Sámech*, existimo tenuiter prolatam sonuisse *Sin*, quemadmodum hodiedum eam Hebraei efferunt cum punctulum dextro cornu insidet, hancque fuisse primariam seu naturalem eius litterae potestatem; si quando autem, usu aut Grammatica ratione id exigente adspirate proferenda esset, *Scin*, qua potestate Itali binas priores litteras S C efferunt in vocibus *scégliere*, *scelerággine*, *scemáre*, et Valentini atque Gotholani (reliquis enim Hispaniae populis ignota haec prolatio est) τὴν X subiectam τῇ I in vocibus, *náixer*, *créixer*, *peix*: *násci*, *créscere*, *piscis* (22).

Quae cum ita sint, videtur binas primùm litteras duplices ז *Zain* et צ *Tsade*, deinde quatuor illas molliores, seu

c. XV. et XVI. *Spanhemius*, de praest. et us. Tom. I. pag. 89. *Kishullus*, Antiq. Asiat. Inscr. Sig. n. 13. De voce autem ΤΡΟΠΗΟΣ dissyllaba, pro ΤΡΟΦΟΣ, exstat Venetiis apud Cl. Patricium Bernardum Nanium antiquissima columna Graecis exoletis litteris insculpta, quam ad annum MDCCLVIII. recens ab Oriente advectam non semel oculis lustravi meis, eamque ut potui (nonnihil enim exesa erat) descripsi. Continet autem distichon elegantissimum, quod Cl. Eduardus Corsinus Scholarum Piarum per ea tempora Generalis Praefectus felicissime restituit, legit, et Latine interpretatus fuit, edito in eam rem aureo libello, quem nunc ad manum non habeo. Pentametri autem posterius hemistichium erat:

.... ΤΟΝΤΕ ΤΕΛΕΣΣΕ ΤΡΟΠΗΟΝ,

pro ΤΡΟΦΟΝ dissyllabo.

(22) Facit ut ita existimem, quod τὴν שׂ sinistro punctulo notatam, Graecorum et Latinorum litteris ΣΚ et S C respondere videam. Etenim τὸ שׂוֹט *Scóth*, qua voce Hebraei *flagellum* exprimunt, à Graecis per σκύτος, à Latinis per *scutica* in eadem *flagelli* significatione redditur; unde et *scutum* et *scuta*, quòd olim è pellibus fierent: quemadmodum et militum thoraces, quamvis ferreos chalybeosque, *corázas* vernacule Hispani dicimus, quasi *coriaceas tunicas*, quod primitus è corio essent. Ex eadem radice שׂוֹט *Scóth*, Hispanicum *àzote* descendere existimo. Idem in voce שׂבֶט *Scébeth*, *virga*, *baculus*, *sceptrum*: pro qua voce Graeci σκῆπτρον reddunt, immotis utrobique litteris ΣΚ, sive S C, quae respondent τῇ שׂ *Scin* sinistro punctulo instructae: quod item et in aliis vocibus observare licet.

2011 Ministerio de Cultura

seu leniter adspiratas, ט, כ, ס, פ, *Theth*, *Caph*, *Samech*, *Phe*, primigeniae Hebraeorum scripturae nihil praeter numerum addere, atque adeo ut superfluentes è Samaritica-rum albo expungendas esse: quin propterea aut veteri ac primaevo *Naturae et Orbis alphabeto* quidquam de genuina integritate detrahi, aut priscis olim Hebraeis, ut sensus et animi cogitata verbo aut scripto testarentur, minorem quam eorum posteris facultatem fuisse dixerimus.

Quid igitur prohibet quominus universam veterum Hebraeorum scribendi rationem sedecim non amplius litteris constitisse asseramus? Vna Hebraici textus reverentia, qui non in Ieremiae modo, sed in vetustioribus etiam Psalmorum et Proverbiorum libris viginti duas litterarum formas Assyriacas exhibet: quas nec Vulgatus noster praetereundas duxit, sed versibus ab iisdem litteris incipientibus sub eadem forma praefixit (23).

Kishullus qui, ut paulo ante diximus, quinque tantum litteras è veteri Hebraeorum alphabeto resecat, ad hunc olim scopulum allisit, neque ultra progredi ausus: *Quinque*, inquit, *Hebraicas litteras quod attinet, et (quia res eòdem recidit) Phoenicias: hae quidem in* (Hebraeorum) *al-*

(23) Psalm. *Beati immaculati*, cet. CXVIII. (Hebr. CXIX.): Item Ps. IX. XXV. XXXVI. *Noli aemulari* (Hebr. XXXVII.) CX. *Confitebor tibi Domine* (Hebr. CXI.) et cap. XXXI. Proverb. quod integrum alphabetum exhibet, ut et Ieremiae Threni in quibus idem alphabetum quater legitur; et primo quidem capite servatur vulgaris litterarum Hebraicarum ordo; terna vero sequentia litteram ף *Phe* praeponunt תֵּ ע *Háin*, hoc modo *Sámech*: *Phe*: *Háin*. Quamvis autem ה litterarum ἀκροστιχὶς omnibus his locis reperiatur in Hebraico textu, Vulgatus noster eam tantum retinuit atque expressit in Psalm. 118. et in Threnis Ieremiae.

2011 Ministerio de Cultura

alphabeto suos tunc locos habuere, cum ob illata puncta vocalia, et inductas formas Assyriacas à Masorethis, de novo describerentur Psalmi illi alphabetici XXXIV. *et* CXIX. *At vero an Davidis, an Cadmi, an Mosis tempore habuerint, nihil est quod ausim affirmare. Immo animum in difficultate tanta multa divinantem reprimo, et periculosae me subtraho coniecturae : : : Lateat igitur haec in puteo profunde demersa veritas*, cet. (24).

Verum nisi vehementer ego fallor, et nostrae coniecturae ratio, et sua Hebraico textui constabit auctoritas, si dicimus viginti duas quidem Hebraicarum litterarum potestates fuisse, sed sedecim non amplius in primigenia scriptura formis sive signis expressas: è quibus nonnulla nunc tenuiter, nunc adspirate prolata, sub una et simplici figura duplici officio fungerentur. Etenim litteras cum dicimus, non nomina aut figuras, quae ut optime notat Vossius (25) mera sunt litterarum accidentiâ, sed potestates earum intelligimus.

Induxit me in hanc suspicionem quod Latinas, Graecasque, immo et Phoenicum litteras in earum Gentium orthographia non semper eodem officio fungi videam, sed nonnullas aut pro sede quam obtinent, aut pro vocis cui scribendae inserviunt structura atque origine, aut ob praecedentes aut subsequentes litteras, nunc tenuiter, nunc adspirate proferri, atque in affines suas commutari (26): quod item

(24) Antiquit. Asiat. Inscrip. Sigeensium pag. 26. 27.

(25) Lib. I. de Art. Gramm. cap. XVI. fin. et XXVII. sub med.

(26) *Pro sede seu loco* quem occupant, ut apud Latinos Graecosque in vocibus *ru-*

2011 Ministerio de Cultura

item et in vulgaribus Europae Linguis usu venire observo, vix ut earum aliqua totidem nomina et formas litterarum, quot potestates habeat.

Nihil igitur absurdi fore existimo, si apud veteres itidem Hebraeos nonnullas primitus litteras exstitisse dixerimus, quae sub uno ac simplici nomine, et sub eadem figura, non eodem semper officio fungerentur; sed pro earum sede, analogia, origine, atque in universum pro usu et Grammatica ratione nunc tenuiter nunc adspirate in oratione efferri postularent: praesertim cum litteram ש *Scin*, non heri tantum et nudius tertius, sed à vetustissimis Iudicum Israëlis temporibus duplici officio functam fuisse sciamus, Galaaditis densè, Ephrataeis acutè eam efferentibus (27); atque adeo sub sedecim illis, quas Samaritanorum, *rumor*, *róbora*, *rarus*: ῥήτωρ, ῥυπαρὸς· *Pro vocis structura*, ut apud eosdem in *cachinnus*, *conchilium*: πέφαγκα, τίθημι, θέμιτον· *Pro origine*, ut in *theatrum*, *catabathmus*, *propheta*: θεοτόκος, πάμφιλος· *Ob subsequentes litteras*, ut in *Titius*, *laetitia*: *cicatrix*, *ciconia*: καθ' ἡδονὴν, καθ' ἡμέραν pro κατὰ: ἔφοδος, ἐφημερὶς pro ἐπὶ: ἀφαιρέω, ἀφάδιος pro ἀπό. Sic et apud Phoenicas littera adspirata פ *Phe* convertitur in affinem suam tenuem ב *Beth* in voce אספכב *asaphsúb*, *collectio*, ob sequentem litteram א *Aleph*, quae adspirationem omnem respuit, ut olim nos in *Diss. De litteris et sermone Phoenicum*. Galli item hodie *cachér*, *couchér*, *crachér*: Itali, *ciaschedún*, *conciossiaché*: Hispani *cuchára*, *cachórro* dicimus, et sexcenta alia: ut mittamus quod et apud Gallos littera I insequentem L reddit in prolatione duplicem, ut in *recueil*, *soleil*, *sommeil*, cet.

(27) *Iudic. xii. v. 6.* Nec quem moveat, quod in Hebraeorum alphabeto litterae affines, id est tenues, et eiusdem organi adspiratae, non immediate se consequantur, aut sub eadem figura depictae appareant, quemadmodum ש *Sin* et שׂ *Scin*. Etenim neque in Graecorum alphabeto, litterae adspiratae tenuibus suis immediate subduntur, ut videre est in Π et Φ: in Κ et Χ; immo et tenuis Τ postponitur adspiratae Θ; atque omnes peculiaribus formis depinguntur. Existimo igitur diversam prolationem litterarum eiusdem formae, seu quod eadem littera nunc tenuiter nunc adspirate proferenda esset (nisi punctuli, apicisve adiectione aut alia notâ discriminarentur), ex artis praescripto

2011 Ministerio de Cultura

tanorum numi exhibent, litterarum formis, viginti duas vulgarium Assyriacarum potestates ac figuras contentas fuisse: quae nostra de primigeniis Hebraeorum litteris coniectura est. Iudicent, quaeso, de ea Viri docti.

Fuerintne autem Samaritanorum litterae in promiscuo Hebraeorum populi usu quo tempore Simon siclos numosque, qui primi omnium eas exhibent, percussit? Cl. Barthelemius et Bianconus affirmant, ac nihil de eo haesitantes. Aiunt enim Iudaeos si *libertatem Ierusalem* et *redemtionem Sionis* numorum ope posteris testatam voluere, non eos exotico atque ignoto charactere inscripturos fuisse: praesertim cum usus Samariticarum litterarum in numis usque ad Antigonum Aristobuli Iunioris filium, atque adeo ad quadragesimum ante Iesu Christi nativitatem annum perduraverit: quemadmodum Cl. Barthelemius disputat (28).

pto seu Grammatica ratione pependisse, aut potius ex usu, *quem penes arbitrium est*, cet. Videmus enim Graecos ex. gr. ante inventum Ω, simplici Ο, quod μικρόν dicimus, eam litteram, immo etiam diphthongum ΟΥ, supplevisse, ut in Sigeensium ac Deliaca inscriptione. Quis autem, quaeso, nisi aut usu edoctus aut Grammaticis praeceptionibus apprime imbutus discrimen variasque eius litterae vices internôsset?

(28) , Simon Machabée (inquit Cl. Barthelemius *T. XXIV. Reg. Acad. Inscr. et numism. pag.* 62.) , n' en employa pas , d' autres (*nisi Samariticas litteras*) lorsque sur une foule de médailles qui sont , venues jusqu' à nous il voulut consacrer , le souvenir de la délivrance de sa patrie, , évènement heureux , qui ne pouvoit , être exprimé (qu') en une langue trop , connue, et en des caractères trop usi- , tés. *Et pag.* 60. , On n' imaginera pas , que cette Nation ait voulu mettre sur ces , médailles des caractères abandonnées et , inintelligibles ; c' est cependant ce qui , seroit arrivé, s' il étoit vrai qu' elle eût , perdu l' usage des lettres Samaritaines , dans la captivité de Babylone. *Et pag.* 63. , Je n, étends pas plus loin ces réfle- , xions, il suffit, pour mon objet, que , les médailles que nous avons entre les , mains, aient été frappées pour les Prin- , ces Asmoneens, et qu' elles servent à , former la chaîne des témoignages que je , ras-

2011 Ministerio de Cultura

At Bianconus non hìc consistit, sed Iudaeos vel post Christum natum et dirutam funditus à Tito Ierosolymam Samariticis litteris usos fuisse ait, argumento numi cuiusdam in quo *Simonis* quidem nomen et *libertas Ierusalem* Samaritico charactere legitur, in περιφερείᾳ tamen fugientes retinet litteras P. M. TR. P. COS: quae cum ipsum Simoni Machabaeo abiudicent, ad Simonem alium cognomento Barcocebam, qui sub Hadriano Imperatore magnas turbas excitavit in Iudaea, pertinere ab Eruditis creditur. Exstat is numus *Tom. III. Histor. Reg. Acad. Inscript. et numism. pag.* 184. eiusque Soucietus meminit *Diss. de numis Hebraic. pag.* 15. ex quo Bianconus elicit vel sub Traiano et Hadriano Samariticas litteras in promiscuo usu apud Iudaeos fuisse.

Levia tamen meo iudicio haec sunt, si quis ea cum mox pro contraria sententia adducendis contulerit. Quamvis enim Simon numorum ope Iudaicae gentis gloriam propagare studuerit, proprium tamen eius nomen sub ignotis et arcanis characteribus latere voluit, popularium invidiam veritus, ut Cap. VII. dicebamus, idque ipsi propositum fuisse in numis Samaritico charactere inscribendis, aut fortassis aurea Reipublicae et Monarchiae Hebraeorum saecula renovare; Ioannem vero Hyrcanum eiusque in principatu successores nihil causae habuisse, cur à communi

et

, rassemble, pour prouver que les lettres , Samaritaines ont été en usage parmi les , Juifs long-temps après la captivité de Ba- , bylone. Les médailles d' Antigonus, que , je produis, mettent ce sentiment dans la , derniere évidence, et montrent claire- , ment que cet usage a subsisté au moins , jusqu' à la quarantième année avant J.C.

2011 Ministerio de Cultura

et recepto in Hebraeorum numis scribendi usu recederent: quae ad Cl. Barthelemii obiecta. De Barcocebae autem numo, praeterquam quod ipsi Biancono (29) et ante eum Pinartio et aliis sublestae fidei visus est (30), à Iudaeorum vel etiam Romanorum curiosiore aliquo in cuius potestatem antiquus olim numorum Samaritanorum typus devenerit, recusum, quae Pinartii coniectura est (31); vel ab ipso Barcoceba, ut veterem Iudaicae gentis sub Machabaeis gloriam percussis numis extolleret, amplificaretque.

Iam nunc ut Christi Servatoris aevo, atque iis etiam quae proxime consecuta sunt saeculis, Samariticas litteras apud Hebraeos exolevisse existimem, documenta haec habeo. Cum Christus *Matth. v.* 17. turbis Iudaeorum edixisset se non venisse ut legem solveret, subdit *v.* 18. *Iota*

(29) *Vsos autem Iudaeos hisce litteris* (scil. Samariticis) *post Christum et dirutam funditus à Tito Augusto Hierosolymam, arguit siclus drachmalis* (*si tamen certo antiquus est*) *signatus nomine Simonis Barcocebae, qui Hadriano Imperatore maximas fecit turbas in Iudaea.* Biancon. de antiquis litt. Hebr. pag. 24. seq.

(30) , M. Pinart, dont l' erudition , Hébraïque est connuë, (inquit Auctor synopseos *Diss. sur les médailles Samaritaines, qui portent le nom de Simon T. III. Hist. Reg. Acad. Inscript. pag.* 185.), ne laissa , pas sans réponse les conjectures de M. , Henrion (*qui asserebat numos Hebraicos Simonis nomine inscriptos Simonis Machabaei non esse*). , Après luy avoir un peu con- , testé l' antiquité de sa médaille, il ras- , sembla contre son systeme toutes les difficultez que l' on forma dans la compa- , gnie, à la vûë du monument qui lui sert , de base; car quelques-uns crurent que le , coin Romain estoit postérieur, d' autres , jugerent que ce qui paroissoit de l' in- , scription Latine, avoit esté formé tout , récemment avec le burin, cet.

(31) , Selon lui (*M. Pinart. Ibid. pag.* 186.), il est bien plus probable qu'un , coin Samaritain antique estant tombé , entre les mains de quelque Juif, ou même de quelque curieux Romain, celuy-là, , quelqu' il soit, depuis, ou du temps , même de Trajan, dont les médailles , sont encore aujourd' huy si communes, , aura pris la premiére piéce qu' il aura , trouvée et l' aura surfrappée du coin Sa- , maritain, pour avoir une nouvelle empreinte de cette monnoye antique.

2011 Ministerio de Cultura

ta unum aut unus apex non praeteribit à lege donec omnia fiant. Quibus verbis τὸ *Iota*, sive litteram י *Iod*, apici, id est rei minimae comparat, qualis profecto ea littera in Assyriaco seu vulgari Hebraeorum alphabeto depingitur, in quo lenem omnino Graecorum spiritum referre videmus. Respexisse igitur videtur Christus ad Assyriacam scripturam, quae tunc temporis Ierosolymis atque apud Iudaeos in usu erat, non ad Samariticam sive transfluvialem, in qua τὸ *Iod* tribus minimum lineis constat, nimirum ϡ aut ⵙ ut in numis, aut ϲϲϲ ut in Codicibus; alioquin turbae quibuscum loquebatur non facile sermonem eius intellexissent.

Praeterea ex Hieronymo et Evagrio discimus nomen Dei ineffabile, quod aureae laminae inscriptum gerebat in fronte Pontifex, à Graecis, ob suarum cum Hebraicis litteris affinitatem, lectum fuisse ΠΙΠΙ. Hieronymi verba sunt: *Nonum* (*ex Dei nominibus*) τετράγραμμον, *quod* ἀνεκφώνητον, *id est ineffabile, putaverunt, quod his litteris scribitur* IOD, HE, VAV, HE (יהוה). *Quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Graecis libris repererint*, ΠΙΠΙ *legere consueverunt* (32). Evagrii vero: *Aliud vero* (Dei nomen) *praeter haec est tetragrammaton, seu quatuor litterarum, ineffabile apud Hebraeos, quod per catachresim seu abusionem ipsis quidem dicitur* Adonai, *nobis autem* Dominus. *Porro hoc aiunt scriptum fuisse in lamina aurea, quam in fronte gerebat Pontifex, iuxta illud quod*

(32) Epist. ad Marcellam de decem Dei nominibus, edit. Veron. XXV.

2011 Ministerio de Cultura

quod in lege dictum est : Formationem sigilli , sanctificationem Domino. ΠΙΠΙ : : : *Tetragrammaton quod hisce elementis scribunt Ioth , Hep , Vau , Hep.* ΠΙΠΙ (33). Atqui si id nomen Samariticis litteris inscriptum fuisset , hoc videlicet modo 𐤉𐤄𐤅𐤄 aut 𐤉𐤄𐤉𐤄 , nec ΠΙΠΙ , neque aliud quidpiam legere in eo Graeci potuissent , cum nulla sit inter eas et Graecorum litteras affinitas. Assyriacis igitur seu vulgaribus Hebraeorum litteris , quae tunc Ierosolymis in usu erant , id nomen scriptum fuisse dicamus necesse est. Postellus hodiernos etiam Samaritas nomen יהוה per geminum Π Π scribere tradit , inquiens : *illud magnum nomen Dei tetragrammaton admodum convenit in Graecis exemplaribus cum* Π Π ; *duo enim* Iodín , *ut depingunt etiamnum nomen ineffabile* Iehova *aut* Adonai , *idem faciebant apud illos , sic* Π Π , *et nunc est illis in usu ut nomen tetragrammatum ita pingant.* Alphab. XII. Linguar. in de Samar. Is tamen , sicut et Ioannes Buxtorfius filius , *de litt. Hebr. gen. ant. n.* 45. pro gemino Graecorum Π *Pi* , geminum Assyriacum *Iod*, sive Samariticum è Codicibus , quod hac forma ττ pingitur , videntur per errorem usurpasse.

De Samariticarum prae Assyriacis litteris antiquitate, qui extremus noster in hac Dissertatione futurus est labor, pauca dicenda suppetunt post tot doctorum Virorum lucubra-

(33) Ἕτερον δέ τι παρὰ ταῦτά ἐστι, τὸ τετραγράμματον, ἀνεκφώνητον ὂν παρ' Ἑβραίοις, ὃ καταχρηστικῶς παρὰ μὲν αὐτοῖς Ἀδωναὶ καλεῖται , παρὰ δε ἡμῖν Κύριος· Τοῦτο δέ φασιν ἐπὶ τῷ πετάλῳ τῷ χρυσῷ , τῷ ἐπὶ τοῦ μετώπου τοῦ ἀρχιερέως γεγράφθαι , κατὰ τὸ ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένον· Ἐκτύπωμα σφραγίδος, ἁγίασμα Κυρίῳ· ΠΙΠΙ : : : Τὸ τετραγράμματον τούτοις γραφόμενον τοῖς στοιχείοις· ΙΩΘ , ΗΠ, ΟΥΑΥ , ΗΠ , ΠΙΠΙ. *In Capitibus* in ΠΙΠΙ. *Tom. III. Monumentor. Ecclesiae Graecae pag.* 116. *è versione Io. Bapt. Cotelerii.*

2011 Ministerio de Cultura

brationes qui de insigni hac controversia ex professo egêre. Verum unam numorum Samaritanorum fidem et γνησιότητα, si propius eam inspicimus, sufficere existimo ad thesim nostram ex locis quae intrinseca vocant fulciendam et comprobandam, quod nos olim *pag.* 3. in priore omnium notabili pollicitos fuisse meminimus.

Etenim si Hebraeo-Samaritanos de quibus egimus Simonis siclos numosque veros et germanos agnoscimus, indubium plane atque integrum ex iis alphabetum eliciemus, septemdecim litterarum formas exhibens, quibus nemo duorum ferme annorum millium antiquitatem iure denegaverit. Id vero vetus purumque et putum Hebraeorum alphabetum fuit. Etenim Simon cum repudiatis vulgaribus Chaldaeorum litteris alias planeque ab iis diversas numis insculpere decrevit, minime praelaturus fuisset Syrorum, AEgyptiorum, aut peregrinae alterius Gentis characteres patriis Hebraicis, quos à maioribus acceptos et in aliquo è vetustis Hasmonaeorum cimeliis, auro argento aere, buxove aut ebore incisos servatosque penes se retinere potuit: maxime cùm numorum de quibus cogitabat inscriptiones Hebraico sermone exprimendae essent; quò etiam pertinere existimo, quod litterae in siclis et numis Hebraeorum exstantes, Samariticis quas editi et manuscripti Codices exhibent quam simillimae appareant, quodque idem sit utrarumque habitus, ut Finettus notavit (34).

Basnagius, minime in hac re suspectus arbiter, novit hu-

(34) Finettus *Tratt. della Lingua E- braica e sue affini*, in *De Ling. Sam. p.* 115.

2011 Ministerio de Cultura

huius argumenti pondus, cum de litteris quibus sicli inscribuntur agens: *In Hebraeorum* (inquit) *siclis legimus* Siclus Israëlis, Ierusalem Sancta. *Verum quoniam id Samaritanorum characteribus exprimitur, oportet aut siclos negare antiquos germanosque, aut agnoscere Iudaeos Samariticis omnino litteris usos fuisse ante captivitatem Babylonicam* (35). Et paulo inferius: *Res demum eò recidit, ut inter Samaritanorum numos et Assyriacos eligamus, utris tanta (quantam nonnulli iis tribuunt) antiquitas deferenda sit. Etenim ex iis alios adulterinos, sive recentis commatis esse necesse est; et fortassis qui omnes reiiciat non erraverit* (36).

Iam vero quis, nisi in numismatico studio plane hospes, vulgares et nullibi non obvios prostantesque numos Assyriacos, cum Hebraeo-Samaritanis rarissimis, exquisitissimis, auroque contrà non caris contulerit ut invicem de antiquitate et primatu certent? Quis aptissima symbola, legitimum pondus, exactam Hebraicorum rituum reique Historicae et Chronologicae rationem, quam ubique in Hebraeo-Samaritanorum siclis semisiclisque et numis observavimus, in Assyriacis item numis deprehendat? Quis Davidis et Salomonis, Isaaci et Rebeccae, Abrahami et Sarae, immo etiam Moysis κερατοφόρου et Protoplastorum effigies pro au-

(35) , En fin, on y lit (*in Siclis*) , ces mots : *Sicle d' Israel, Jerusalem la* , *sainte*. Mais comme les caracteres sont , Samaritains, il faut ou contester l' an- , tiquité de ces médailles, ou reconnoître , que c' étoient là les lettres, dont les , Juifs se servoient avant la captivité de , Babylone. *Lib. VI. cap. XXIV. n.* 4.

(36) , On est reduit à opter entre les , médailles Samaritaines ou Hebraïques, , ausquelles en donne une si grande antiqui- , té ; car les unes ou les autres doivent être , fausses ; et peut être que celui qui les re- , jette toutes a plus de raison. *Ibid. n.* 13.

2011 Ministerio de Cultura

auctorum ingenio aut lubidine confictas, iisque numis quos Iudaeis tributos volunt insculptas, non plane demiretur; seu potius, has atque alias eiusmodi sordes summis olim Viris fuisse in deliciis? Basnagius ipse pudendam eorum imperitiam perfricat ac deridet qui Assyriacos numos confecere (37), cum è contrario vel impostorum, quo etiam nomine siclorum auctores vocat, sollertiam et non vulgare Historiae studium in iis effingendis laudet (38). Atque ut quid ego solido quod praecessit tricennio expertus fuerim, quidque de Assyriacis numis sentiam plane ac simpliciter exponam, centenos paene dixerim vidi ac perlustravi, nullum tamen hactenus qui non illico adulterinum sese prodat, et νοθείαν in fronte gerat. Quod si mihi unus olim aliquis obtigisset, aut hodiedum obtingat eius generis numus ingenuus, cuiusque fidei omnino standum esse censeam, fateor me non parum animo commotum et conturbatum, immo etiam tantae difficultatis pondere obrutum atque oppressum iri.

Sed ut ad rem redeam, primaevum Hebraicum sermonem post Iudaeorum è Babylone reditum nonnihil à nativa puritate deflexisse, ac Simonis Machabaei aevo non pauca è Chaldaeis vocabula in eum immigrasse, tum diuturnum utriusque Gentis commercium, tum quod de Chaldai-

(37) , On croit même avoir une mé- , daille d' Abraham : : : On l' y voit avec , Sara sa femme. Mais l' Imposteur savoit , si peu son art, qu' il leur donne le ti- , tre de *Viellard*, et de *Vieille*. *Lib. VI. cap. XXIV. num.* 3.

(38) , C' est pourquoi les Imposteurs , qui ont supposé des médailles (*Samari-* , *taines*) les font frapper sous le Regne de , Simon, plutôt que sous ceux de Jona- , than, et de Judas, parce qu' ils avoient , assez étudié l' Histoire, pour voir qu' il , étoit le prémiere de sa Nation qui eût , possédé ce privilege. *Ibid. n.* 22. *fin.*

2011 Ministerio de Cultura

daica voce חרות *Cherút*, cum ad libertatem significandam adhibetur, priore omnium capite ediximus (39) suadent, ac non obscure indicant. Litteras itidem Hebraicas, quas (una excepta duplici ץ *Tsade*) è veteri aliquo atque incorrupto Hasmonaeorum Domûs cimelio à Simone in numos translatas fuisse coniecimus, sensim quoque in Chaldaicam formam declinasse: et littera כ *Caph* è Ieochannanis numo in alphabetum Hebraicum irrepens, et eiusdem, ac τῆς ש *Scin* figura plane Chaldaica, nimirum ⊐, ש, vix nos dubitare sinunt. Chaldaicum ergo novumque fermentum veteri ac primigeniae Hebraici sermonis atque alphabeti massae superiniectum fuisse existimandum est.

Praeterea quis credat antiquissimum omnium, quotquot exstare novimus, Hebraeorum alphabetum non iis modo litteris instructum fuisse quas primordiales et necessarias vocant, sed iis etiam quas secundarias et superfluentes, neque proprie litteras sed litterarum tantum affectiones esse constat: cum in Phoenicum et Graecorum, immo etiam in Etruscorum et Aboriginum alphabetis, quae à primaevo Hebraeorum fonte manasse perhibentur, eas litteras desiderari videat? Quis item litteras duplices (inque iis τὴν ז *Zain*, quam Plinius Simonidi (40), Suidas Palamedi (41) attribuit, omniumque recentissima et vix quingentis ante Christum annis inventa creditur) priscis olim Hebraeis cognitas fuisse asserat, cum et Cadmo et Graecis ante Troiana tempora penitus ignotae fuissent?

De-

(39) *Not.* 27. *pag.* 22.

(40) Lib. VII. cap. 57. al. 56. quamquam sint qui pro τῆ Z, τὴν Ξ à Plinio scriptam velint.

(41) In Palamede Argivo : Εὑρετὴς γέγονε τοῦ Z, σταχείῳ, cet.

2011 Ministerio de Cultura

Demum, ne iusto longiores simus, vetus Hebraicum alphabetum sedecim, summùm septemdecim litteris constare novimus; Chaldaeorum sive Assyrîacum, viginti duabus. Vtrum utro antiquius? Edicant vel pueri, quos subiecta tabella exhibet in monetaria Hebraeorum officina colludentes, dum nos σὺν Θεῷ ad nostra properamus.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

EPISTOLAE CLARISSIM. VIRORVM

CAROLI GODOFR. WOIDE LONDIN. S. A. S.

ET IACOBI BARTHELEMII

Sereniss. Galliarum Regis Cimeliarchae.

Miseram ego ad Doctiss. Woide Sallustii Hispanici exemplum interventu Cl. atque Amici Viri Roberti Waddilove *Exc. Dño.* de Grantham *Angliae Legato apud Catholicum Hispaniar. Regem à sacris : à quo cum saepe inaudiissem exstare in Museis Angliae plura Hebraeorum numismata , rogavi eum ut rem certius inquireret , et mihi renuntiaret. Horum occasione Cl. Woide sequentes ad me litteras dedit* 30. *Ianuarii* 1779.

FRANCISCO PEREZIO BAYERIO

Regior. Hispaniae Infantum Institutori

CAROLVS GODOFR. WOIDE

Vir Rev. Doctissime

Regium quod mihi misisti munus , Sallustium à Regio Principe Hispanice redditum , maxima cum voluptate accepi. Et dubius omnino eram utrum magis Celsissimi Principis eruditissimos conatus admirarer, an potius felici Praeceptori de tam perfecto Discipulo congratularer. Quidnî autem ? Videbam enim et Te excolendae sublimi Regii Interpretis indoli penitus addictum , et Illum quod superest otii rebus seriis atque utilibus impendere ; nec meditari tantum sed et consignare litteris et posteritati tradere. Sed ego haec pro meritis aliis laudanda relinquo , accepti interventu tuo beneficii numquam futurus immemor.

Liceat autem mihi , homini à publicis negotiis remoto et Litteris unice addicto , quae tu ad finem operis summa cum eruditione magnaque accuratione de numis Phoeniciis disputasti , atque elegantissimis ectypis ditata cum Viris doctis communicasti , non vulgari praeconio commendare. Non alienorum tantum laborum imitator , sed tuus tibi ipsi dux fuisti , atque remotissimis sed utilissimis rebus et longaevitate obscuratis novam affudisti lucem , atque Eruditum Orbem maiorem in modum tibi devinxisti. Et nemo negaverit difficillimam et parum tritam hanc esse viam , et iis qui primi eam tentarunt multas de-

2011 Ministerio de Cultura

deberi grates ; quinimmo veniam esse dandam, sicubi non omnes difficultates removere potuerint. Ego Dissertationem tuam magna cum voluptate legi ; et quantam maiorem percepissem si ignorantia Linguae Hispanicae et elegantiam stili, et argumentorum vim quasi nubeculis toties mihi non obfuscasset! Satis tamen, licet Linguae imperitus, ex iis quae intellexi animadvertere potui et auctorem esse doctissimum et opus limatissimum.

Quae nuper typis Clarendonianis apud nos edita est Grammatica AEgyptiaca, eam et Regio Principi, et tibi, Vir Rev. unà cum Lexico AEgyptiaco offert inclyta Vniversitas Oxoniensis, ut inde intelligas, quanti Principis tui ingenium eruditionemque, et quantopere tua merita faciat. Spero hos libros vel iam appulisse in Hispaniam, vel brevi in urbem vestram adventuros.

Magnus noster Lowthius Episcopus Londinensis, cuius immortale opus, *Praelectiones in Poësin Hebraeorum*, Eruditi omnes aestimant et admirantur, dedit nobis novam Iesaïae interpretationem Anglicanam, in qua Prophetae sublimitas, vis, ubertas, elegantia, et dignitas fidelissime et felicissime expressa est. Adiecit notas doctissimas insigni operi, quod magnam opinionem, quam de summo hoc Viro Anglia et aliae Europae nationes habuerunt, confirmabit. Waddilovius noster excellentissimi huius libri rationem dare poterit, et lubentissime dabit. Et si bellum non impedivisset, iam haberet illum Matriti.

Praeterita aestate numos Hebraicos Doctissimi Hunteri M. D. et S. R. S. lustravi, eorumque catalogum confeci. Habet argenteos numos quinque : aeneos maiores tres, minores sexdecim. Omnes explicare potui, unico excepto, ubi quae ex adverso ad utramque palmae partem expressae sint litterae, divinare nondum potui. In aliis numis nomen Simeonis palmae adscriptum est. Iuvit me multum et ipse Celeberrimus Hunterus, et eius amicus litteratissimus Combius, uterque rerum numismaticarum peritissimus. Habet Is etiam egregiam numorum Phoeniciorum argenteorum et aereorum copiam, quam mihi horis aestivis examinare permittet. Gazophylacium eius praestantissimum vix ulli è Gazophylaciis Europae est secundum.

Illustris *Michaëlis* Stellae Polaris Eques et Linguarum Orientalium Professor in celeberrima Gottingensi Universitate, et ipsa Gottingensium Vniversitas una è clarissimis Germaniae Academiis, magno sibi ducet honori, si egregio Sallustii opere, quod emere nullibi licet, mactaretur. Vir ille Doctissimus plurimis egregiisque scriptis à longo iam

2011 Ministerio de Cultura

iam tempore Orbi Erudito innotuit, et recenset libros undique in Europa editos, qui Linguas Orientales spectant, in suis Ephemeridibus quas *Bibliothecam Orientalem* appellat, Linguâ Germanica evulgatis, quarum iam duodecim volumina in forma *Octavo* prodierunt. In hoc opere Ille etiam tuam doctissimam Dissertationem *De litteris et sermone Phoenicum* Eruditis in Germania annuntiabit, eiusque argumentum cum iis communicabit.

Celeberrima Oxoniensium Vniversitas breviter typis edet Fragmenta Novi Testamenti ex interpretatione AEgyptiaca Dialecti Thebaïdicae, Eruditis nondum visa, et tertiam circiter partem Novi Foederis comprehendentia. Adiiciam iis Dissertationem de huius interpretationis antiquitate et variis lectionibus. Liceat mihi adhuc, antequam telam abrumpam, tibi testificari quanta cum veneratione et observantia sim, Vir Rev. Doctissime, Nominis tui cultor perpetuus.

Londini 30. Ianuarii 1779.

DOCTISSIMO ET MVLT. REV. VIRO
CAROLO GODOFREDO WOIDE

FRANCISCVS PEREZIVS BAYERIVS

S. P.

Londinum

Litteras tuas amoris et officii plenas, Vir Doctissime atque Humanissime, reddidit mihi Matriti Cl. Waddilovius noster, nudius, ut puto, quintus. Nec multo pòst tempore quam ab eo digresus sum et in hanc Villam Regiam delatus, acerbissimus me dentium dolor invasit, quo usquedum torqueor ac discrucior, ut paene mei me taedeat. Vrget tamen amicè ut rescribam illarum Lator, cui mos omnino gerendus. Singula igitur capita percurram.

Et primum quidem omnium, quod gratum Tibi fuerit Sallustii Hispanici munus, gaudeo ac triumpho: maxime cum videam REGIVM eius INTERPRETEM impense à Te laudari, viro laudatissimo.

De nostra quod addis eidem operi subiecta tractatione *De litteris et sermone Phoenicum*, agnosco Te non minori humanitate quam doctrina praeditum esse. Habeo, mihi crede, decempedam qua fundi mei angustias dimetiar. Praeterea Waddilovius noster animadversiones tuas

2011 Ministerio de Cultura

tuas in idem opusculum benigne mecum communicavit, quas serio legere nondum potui; cum tamen eodem praesente raptim singulas percurrissem: doctae mihi profecto ac Te dignae è vestigio visae sunt. Eas, modo Deus annuat, cum voluptate et fructu relegam, docerique et manuduci abs Te, qui, ut video, arcem huius studii obtines, facile patiar, atque honori ducam.

Pro egregio tuo Grammaticae et Lexici AEgyptiaci opere nuperrime in lucem emisso, cuius exemplar elegantissimum Inclyta Oxoniensis Academia ad Regium Hispan. Infantem GABRIELEM ob eximia in rem litterariam merita transmittendum curavit, altero itidem pulcherrimo me perbenigne dignata est: primùm Tibi ex animo gratulor, deinde utrumque exemplum ad Regii Infantis manus et nostras pervenisse auctor Tibi sum; atque in iis quas modo dedi litteris ad Ill. Dn. Falconerium enixe eum rogasse, ut Regiae Celsitudinis, meoque item nomine grates Amplissimo Doctorum eiusdem Academiae Ordini referat: quod ab ipso cumulatissime praestitum iri nullus dubito.

Quoniam autem de numis Hebraicis, Phoenicumque, ac de universo Celeb. Hunteri Gazophylacio tam multa et tam praeclara, prorsusque (quod non diffitear) inexspectata ex Te, oculato teste, audio; et quia de utriusque illius Gentis, ac de Graecorum in Hispania numis, quos *Incognitos* vocant, nonnulla edicere atque in vulgus emittere est animus, eamque in rem Hebraicorum quos possideo numorum ectypa pro annorum quibus cusi fuere diversitate in quinque classes digesta totidem aeneis tabulis repraesentari feci: earum exemplum, rude licet, Waddilovio nostro ad Te deferendum tradidi, nimirum ut ex Hunterianorum cum numis nostris collatione nonnulla me doceas quae plurimùm nôsse cupio, nec facile sunt aliunde haurienda.

Primum: Num aliqui ex Hunterianis in sylloge nostra non exstent; quotve, et qui sient?

Secundum: De aereis in universum, et praesertim de sexdecim minoribus, edicas mihi pervelim, sintne eâdem aeris indole, atque eiusdem fabricae, ut videantur ab eadem officina monetaria, et fortassis ab eiusdem artificis manu profecti; tum praecipue, num eadem in iis sit atque in nostris (et maxime in iis qui ad tertium quartumque Simonis Machabaei annum pertinent) τῆς περικοπῆς, seu circumsectionis ratio. Nam, ut vides, in nostris, qui ad annum tertium spectant, patentior multo est numi facies quae urnam seu calicem prae illa quae pampinum exhibet; in iis vero qui ad quartum, expor-

2011 Ministerio de Cultura

porrectior item est numi area quae τὸν לולב *Lulάv*, sive ramorum fasciculum cum malis citreis gerit, quam quae urnam: ut eorum sectio verticalis sit ▱.

Tertium: Rarine inter Hunterianos sint, an frequentes qui tertium principatûs Simonis annum exhibent?

Interea divinare mihi videor, numum illum Hebraicum ad quem impegisse Te ais, alterum esse ex binis, quos in Tabula numorum primi Simonis anni quarta scilicet et quinta sede retulimus. Hinc

Quartum: Sitne is numus Hunterianus idem atque alter è nostris; et uter eorum? Pervellem, si fieri potest, accuratum eius numi ectypum videre, examinato eiusdem pondere ad Romanam trutinam.

Erunt fortassis alia circa hos numos, quae abs Te doceri velim. Sed nunc haec sufficiant.

Est mihi ad manum siclus alter ad secundum Principatûs Simonis annum pertinens cum litteris ש ב *Scin Beth* eius anni indicibus: quem in Tabula secunda primo omnium loco repraesentari faciam.

Est etiam penes me numus aeneus minimae formae quem ad Ionathanem Simonis fratrem pertinere, nonnulli Viri docti existimant, nimirum,

Penes nos.



Si eumdem aut ei similem aliquem inter Hunterianos repereris, maiorem in modum abs Te flagito, ut eius ectypum, quantocius et quantum accuratius exprimi poterit, ad me transmittas.

Responsum super his tuum, si per Te licet, Dissertationi meae *De numis Hebraeorum*, quae iam prelo matura et propediem edenda est, inseram, nimirum ut ei ornamento sit.

De Sallustii exemplo pro Dn. *Michaëlis* et pro Celeb. Academia Gottingensi, depone omnem sollicitudinem. Alterum Cl. Waddilovio contradidi: alterum (pro Academia scilicet) perbenigne atque ultro indulsit Regius eius Interpres ubi primum litteras tuas ex me audiit; quin et tertium pro Dn. Huntero ut impetrem sperare mihi licet.

De Celeb. Lowthii scriptis praestat silere quam pauca dicere.

Re-

2011 Ministerio de Cultura

VI

Reliquum est ut valeas, meque, qui Te eximie colo, redames. E Regia Pardi Villa prid. Eid. Mart. MDCCLXXIX.

Antequam superiores litterae ad Cl. Woide perferrentur, Is ad Cl. Waddilovium sequentes litteras dederat, 16. Aprilis 1779.

To The Rev. M. Waddilove Chaplain
To His Excellency Lord Grantham.

A Madrid

Amicissime Waddilovi, Festinanter haec tibi scribo ut ad litteras tuas 25. Martii exaratas respondeam quamprimum possum. Antequam eas accepissem vidi Cl. Hunterum, qui vobiscum lubentissime communicabit quae in suo Gazophylacio habet. Nondum tunc tuas litteras acceperat. Videbo eum postridie, atque si otium eius ipsi permittat, ipse tibi respondebit; sin minus, per me eius responsum certo rescies. Omnia quae desideras à Viro Humanissimo exspecta. Ad litteras tuas 4. Martii ad me datas iam respondi. Inclusae erant iis tres ectypi trium numorum Samaritanorum. Sed nec Rev. Bayeri litteras quarum tu facis mentionem, nec tuas etiam 11. Martii ad me datas ego vidi. Fortassis adhuc apud Rev. Brownium detinentur, qui saepe ab urbe abest. Adibo domum eius, atque resciam num Londini sit, et num litteras à te acceperit. Quum primum eas accepero, habebis etiam meum ad eas responsum. Vidit Cl. Hunterus et Cl. Douane ectypos tres numorum Samaritanorum quos mihi misisti, qui te salutant. Habent numum num. 2. et 3. similem, sed litterae circa palmam paululum ab utroque n. 2. et 3. differunt. Sed ego eas legere nequeo, nec etiam, quod Harduinus credit, Babylonicas esse existimo. Maiores duo aenei apud Cl. Hunterum ad latera palmae habent nomen Simeonis solum. Octo è minoribus aeneis circa calicem adscriptum habent שתים שנת *scetáim scendt*; et circa pampinum חרות ציון *Cherút Tsión.* Vnicus annum *tertium* imperfecte adscriptum habet, remanentibus tribus ultimis litteris tantum לוש.. *lúsc.* Sex annum *quartum*, et unicus annum *primum* exhibet, cuius litteras circa palmam legere nequeo. Argentei differunt à se invicem. In Museo Britannico duo maiores argentei, unus anni primi, alter anni secundi; et sex aenei minores anni secundi reperiuntur. Vale, die 16. Aprilis 1779.

P.S.

2011 Ministerio de Cultura

P. S. Episcopus Londinensis Te salutat. Mittet ad Te novam Iesaïae Editionem Regio Principi et Rev. Bayero destinatam.

Item alias 10. *Maii, postquam nostras acceperat, nimirum,*

Viro Reverendo Doctissimo WADDILOVIO *suo*
S. P. D.
CAROLVS G. WOIDE.

Accepi per Rev. Brownium litteras tuas penultimas, una cum litteris humanissimis Rev. Bayeri, Eiusque quinque tabulis numorum Samaritanorum. Respondissem hac hebdomade, sed nondum omnia parata habeo quae Vestrûm scire interest. Habebit tamen meum ad singula quaesita responsum Rev. Bayerus septimanâ sequenti. Tu quoque tunc Doctissimi Hunteri responsum habebis: qui cum Ipsi nuntiassem quae à vobis desiderarentur, sine ulla haesitatione omnia se lubentissime praestiturum promisit, antequam tuas accepisset litteras. Quod ut ego tibi confirmarem Ille à me etiam atque etiam petiit, ne magis spe Sallustii quam amore Litterarum promovendarum haec promisisse videatur. Regium munus Ipsi erit perhonorificum et ornabit selectissimam eius Bibliothecam, quae defuncti Doctoris Askéu Bibliothecam, et ob numerum, et ob praestantiam Librorum longe post se relinquit. Numus vester secundus anni primi hìc adest, cuius alteram partem legere nequeo. Mittam eius, et trium aliorum numorum ectypum, qui numo Ionathanis sunt simillimi. Vale Vir Amicissime, et Rev. Bayerum de mea observantia iube esse certissimum, measque litteras ad vos brevi exspecta. Dabam Londini 10. Maii 1779.

Ac demum alias Calendis Iunii 1779.

Viro summe Reverendo Doctissimo
FRANCISCO PEREZIO BAYERIO
S. P. D.
CAROLVS GODOFREDVS WOIDE.

Quis Te non magnifaceret, Vir Reverendissime, qui cum eruditione consummata tantam modestiam morumque mansuetudinem coniungis, ut ab iis velis discere, quos docere, et eruditionis tuae thesauris

2011 Ministerio de Cultura

ris potes ditare? Sed haec humanae mentis est natura, ut levi paucarum rerum cognitione inflari soleat, solida autem scientiarum tractatione emolliatur, et modestior evadat ac benevolentior.

Huic tuae excellentissimae animae bonitati ego etiam debeo tribuoque, quod et de rudibus meis in numos Phoenicios observationibus, et de libellis circa antiquam AEgyptiorum Linguam editis tam benevole iudicare, eosque laudibus tuis cumulare volueris: quo nihil mihi potest esse honorificentius.

Quod Falconerium iam fecisse è litteris tuis humanissimis intelligo, idem et ego feci, Illustri Vniversitatis Vice-Cancellario nuntians Libros Oxoniâ Matritum missos non appulisse tantum, sed et Regio Principi, et Tibi Vir Venerande gratos fuisse. De quo ego maiorem in modum gaudeo et Vniversitas Oxoniensis gaudebit.

Elegantissimos ectypos tuorum numorum Samaritanorum cum voluptate vidi, et alii omnes eos admirati sunt. Sunt inter eos quidam qui mihi hìc nondum occurrerunt. Anni primi primum et tertium non habemus, nec tertium umquam editum fuisse existimo (a). Praeterea tres priores anni secundi, (b) et duos priores anni quarti; et è tabula quinta primum, tertium, sextum, septimum et octavum (c) desideramus. Poterit catalogus numorum Hunterianorum egregie, ut vides, è numis tuis adaugeri.

Iam ad ea quae quaeris, Vir Reverendissime, respondeo. Habet Rev. Cracherode undecim argenteos et sedecim aeneos numos, ut vocant, *Incognitos*. Cl. Hunterus longe plures. Doctissimus Carter quosdam operi suo adiunxit, cuius titulum et ectypos numorum Waddilovio nostro nunc mitto.

Catalogum numorum Samaritanorum vel potius Hebraicorum Musei Hunteriani, Vir Doctissime, tandem accipe. Multum me in eo conficiendo iuvit et ipse Cl. Hunterus, et amicus Eius Doctissimus Combe, qui omnium rei numismaticae partium est callentissimus, nec cuiquam hac in scientia, ut opinor, secundus. Quatuor (numi) posteriores argentei Tuae collectioni desunt. Secundus enim noster in Tua Tabula quinta (d) primus apparet, sed inscriptio posticae partis differt. Reliquos omnes numos Hunterianos inter Tuos reperisse mihi videor. Et

(a) Nunc quintus est in Tab.num. an. 1. lam relati sunt, quòd *Vitem auream* referre videantur, de qua nos cap. IX.

(b) Nunc secundus, tertius, quartus in Tab. numor. anni secundi.

(c) Hi numi in peculiarem Tabu-

(d) Nunc primus in Tabula numor. absque expressa epoche.

2011 Ministerio de Cultura

Et si ectypos eorumdem habere desideres, habebis eos à Viro Humanissimo Guilielmo Huntero rei publicae litterariae amantissimo.

Difficillimum est certo determinare, num omnes aenei minimi ex eodem metallo cusi, et ab eadem manu artificis profecti sint. De plurimis tamen id vero videtur simillimum. Metalla variis mutationibus subsunt, si in diversis terrae latebris delitescant. Plurimi horum numorum ad flavum et fuscum, pauci ad rubrum cupri colorem accedunt.

Quod Tu, Vir venerande, de diversa numorum minimorum area observasti, anticam posticâ, vel posticam anticâ esse patentiorem: id nos etiam hìc animadvertimus. Numi quatuor anni secundi eam partem habent patentiorem in qua calix cernitur; sed alii quatuor aream habeant patentiorem ex ea parte in qua pampinus apparet. Numus anni tertii à parte calicis est patentior. Idem observare licet in quatuor numis anni quarti. Sed alter numus eiusdem anni quarti aream habet patentiorem quae palmâ insignita est; et alter ex utraque parte aeque patentem habet aream: quod etiam de numo anni primi minimo observavimus. לולב *Lulάv*, cuius meministi, Relandus (*Dissert. de num. Sam. Part. III. pag.* 111.) palmam esse asserit.

Tertii anni liberationis Sionis unicum tantum numum habet Cl. Hunterus, eumque imperfectum.

Numum anni primi minimum accurate examinavimus, et pondus eius plumbo, litteris hisce adiuncto, exacte respondens, et alterius partis ectypum Tibi mitto manu Doctissimi Combii delineatum. Altera pars cum Tuo *secundo* (e) Tabulae primae convenit. Ex hacce parte numum hunc legere poteram; ex altera vero parte litterae quaedam partim incognitae, partim deletae memet perplexum tenebant. Litterae ad palmae dextram in nostro numo sunt integrae, sed à sinistra eius quaedam lineâ secunda fere perierunt. Convenit is cum secundo tuo (*nunc quarto*) Tabulae primae in quo ultimae litterae apparent ∈ ל: quae videntur ad vocem נשׂא *Nascí* pertinuisse: quod è primo tuae Tabulae primae (*nunc tertio*) coniicere licet. Inde ego mihi coniecturam meam confirmare posse videor, has litteras non esse Babylonicas, ut Harduinus suspicabatur, sed male excusas; cum etiam duae illae litterae, quae in nostro desunt, in tuo Phoeniciae esse comprobentur.

Siclum argenteum anni secundi ב ש notatum, inter Hunterianos nu-

(e) Nunc est *Quartus* in Tabula numorum anni primi.

2011 Ministerio de Cultura

numos, Vir Reverendissime, reperies. Similem plane numum vidi in Museo Britannico, et alium apud Rev. Cracherode. Dubitant tamen quidam numorum periti de summa eius antiquitate, alii etiam eum non genuinum esse suspicantur.

Numus qui ad Ionathanem referri solet, non reperitur in Numophylacio Hunteriano, sed tres alii adsunt ei, tuoque simillimi, quorum inscriptiones Combius noster delineavit. Similium numorum ectypi duo in Collectione Pembrochiana occurrunt: unus apud Relandum: unus apud Swintonum in Inscriptionibus Citieis è Numophylacio Regio Parisiensi, in quo adhuc duo alii similes, sed imperfecti numi adservantur. Duo ubique ex una parte cernuntur cornua copiae, in quorum medio caput papaveris apparet; in tuo autem caduceus potius adesse videtur. In nullo horum numorum ullae conspiciuntur litterae circa cornua copiae, cum tres legantur in tuo. Ex altera parte inscriptio in medio laureae occurrit. Sed inscriptiones hae omnes et inter se, et à tua differunt. Swintonus numum Regium Parisiensem sic interpretatus est: יונתן הכהן הגדל וחבריו ב (*Ionatán hacohén hagadól vechaberáv b.*) *Ionathas Sacerdos Summus, et socii eius, secundo* (anno): quae ingeniosa interpretatio mihi nondum omnes dubitandi rationes sustulisse videtur. Nam Ionathan anno Seleucidarum CLX. mense septimo (*I. Machab. X.* 21.) Sacerdotio et Regno simul potitus fuit. Numus hic itaque, si anno secundo Ionathanis signatus sit, debuit esse vulgatus anno CLXII. Erae Seleucidarum. Simon autem anno CLXX. eiusdem Erae liberationem Israëlis perfecerat, et tunc scribere incipiebant: *Anno primo Simonis Summi Sacerdotis et Principis* (*I. Machab. XIII.* 41. 42.). Mirum omnino videtur quod Fratres germani intra decennium litteras tam diversas numis impresserint, et quod Ionathan frater natu maior recentiores characteres, utpote litteris Phoeniciis permixtos, iisque quam maxime affines adhibuerit; Simon vero frater natu minor antiquiores admiserit, utpote à quibus litterae Phoeniciae derivandae sunt. Dubium praeterea videtur, num Ionathan monetae cudendae potestatem nactus, vel ea usus sit. Quae Doctiss. Swinton ex *I. Machab. X.* 17. 23. 59. 60. 62. 65. 66. allegavit, quemvis convincent Ionathanem summis honoribus fuisse ornatum; sed potestas cudendi monetam ei disertis verbis non conceditur. Contrarium potius è *Machab. XV.* 56. elucet, ubi Antiochus Simoni largitur potestatem cudendi monetam. Si Ionathan hac libertate iam gavisus fuisset, Antiochus Simoni non beneficium hocce, sed con-

2011 Ministerio de Cultura

continuationem eius tantum promittere poterar. Nec cornu copiae in numis Iudaicis, sed saepissime in numis aliarum gentium vicinarum Regis Alexandri II. Antigoni, Herodis, cet. conspicitur. Et cum unus ex hisce numis Parisiensibus sit recusus, et reliquias non Alexandri Magni, sed Alexandri secundi, ut Rev. Swinton asserit, exhibeat: non videtur vero probabile Ionathanem foederati sui Alexandri secundi monetam voluisse recudere, quod inimico potius quam amico convenit. Ionathanis nomen in nostris numis nullo modo reperire potui.

Dissertationem Tuam doctissimam *de numis Phoeniciis*, Illustris *Michaëlis* integram Germanice reddere et typis vulgare vellet, si Tu hoc permittas. Innotesceret hoc pacto Germanis, qui nunc omnia fere Linguâ vernacula tractant. Dabit etiam idem Vir Doctus brevi eius argumentum in Ephemeridibus suis Germanicis, Bibliothecâ Orientali, quae quamprimum prodierit ego resciam, et Matritum Latinitate donatam ad Te mittam. Nuntiavi Rectori Magnificentissimo inclytae Universitatis Gottingensis, quam egregium Regiumque munus sperare possint, quod ibidem à pluribus peregrinis illuc adpellentibus videbitur legeturque cum voluptate, et splendidissimam Gottingensium Bibliothecam ornabit: quae, si libros typis vulgatos spectes, nulli Europaearum Bibliothecarum est secunda.

Doctissimus Hunterus in Museo suo habet largam rerum Anatomicarum varietatem, collectionem omnis generis numorum selectissimam et valde numerosam, varia Naturae curiosa, et Bibliothecam quae plurimis Bibliothecis publicis et raritate et excellentiâ librorum est superior. Huius egregium ornamentum erit Sallustius cum Dissertatione *De Lingua Phoenicia.* Licet vero hoc Regium munus huic Bibliothecae novum non addidisset splendorem, certissime tamen à Viro hoc doctissimo omnia humanitatis officia exspectare potuisses. Nemo enim Eo est ad Litteras promovendas promtior, nemo erga Viros doctos Ipso propensior. Vale Vir summè Reverende, et eum qui Te colit, observat, et diutissime Aulae Regiae et rei publicae litterariae commodo vivere vult, Tua benevolentiâ porro complectere. Dabam Londini Calendis Iunii MDCCLXXIX.

2011 Ministerio de Cultura

Superioribus Litteris adnectebatur Hunterianus Numorum Hebraeo-Samaritanorum catalogus, nimirum.

Numi Samaritani seu Hebraici in Museo excellentissimo Clarissimi Guilielmi Hunteri M. D. et S. R. ac A. S. (a) (atque item in aliis Angliae Museis) *adservati.*

Argentei.

1. *Siclus argenteus.* Ex una parte conspicitur Virga Aaronis tribus floribus aucta, adscriptis his vocibus ירושלים הקדושה *Ierusalem sancta.* In parte aversa calix exstat, supra quem duae litterae *Scin* et *Beth* (ש ב) cernuntur : quae voces שנת שתים , *annum secundum* designant. Circa calicem leguntur verba haec שקל ישראל , *Siclus Israëlis.*

Hunc siclum habet Arigonus, Relandus *Tab. IX.* 1. Calmet *T. III. num.* 11. et alii. In Collectione numorum Pembrochianorum *P. II. Tab.* 85. legitur שקל חציה (b). Sed similis numus argenteus in Museo Britannico adservatus, et alius penes Rev. Cracherode S. R. S. et ectypus, quem Relandus exhibet, nostram lectionem confirmant.

Exstat etiam adhuc alius siclus argenteus in Museo Britannico, qui in eo tantum à nostro numo differt, quod ibi supra calicem *Aleph* exstet ubi hìc *Scin* et *Beth* positum est ; et quod ירושלם קדשה *Ierusalem kedoscha* , non autem ירושלים הקדושה *Ieruschalaim hakkedoscha* legatur. Vide ectypum apud Calmet *T. III. p.* 346.

Villalpandus, Kircherus, Morinus, Hottingerus etiam siclum *anni quarti* ש ד , exhibent. Sed Soucietus *pag.* 22. aliique observarunt eos litteram ב *Beth* cum ד *Daleth* confudisse : quod eorum ectypi confirmant.

2. *Siclus argenteus.* Templum exhibet cum quatuor columnis in quarum medio ianua conspicitur (c). Ad dextram et sinistram columnarum exstant hae litterae ירו *Ieru..* שלם *schalem. Iod* Samaritanum hic invertitur 𐤉, cum alias sic scribatur 𐤉. *Vau* autem Samaritanorum quod alias sub hac forma apparet 𐤅, hìc fere uti π Graecorum scri-

(a) *Medicinae Doctoris*, et *Societatis Regiae*, ac *Antiquariorum Socii.*

(b) Pro חצי השקל sive *Dimidium sicli.*

(c) Fortassis *cithara*, quae inversa, ianuae speciem exhibet, ut in argenteo nostro num. 1. in Tabula numorum absque expressa epoche.

2011 Ministerio de Cultura

scribitur. In parte adversa sequentes litterae calici (d) circumscriptae sunt שב לחר... ישראל. Priores litterae ש ב sine dubio שנת שתים, uti supra ; et reliqua, suppletis litteris *Vau* et *Tau* quae temporis iniuria deletae sunt, *Le charáth Israël*, *Liberationem Israëlis* designant.

In Collectione Pembrochiana *P. II. Tab.* 85. est aeneus maior, ubi Templo nomen Simeonis שמ-עון adscribitur ; et circa calicem leguntur verba לחרות ירושלם *Liberationis Hierosolymorum.* Bouteroue *pag.* 20. Kircher *pag.* 101. et Calmet *Tom. III. n. IV.* easdem inscriptiones habent. Similem inscriptionem habuisse videtur numus Ludolfianus apud Relandum *Tab. I. n. 6.*

3. *Argenteus minor.* Ex una parte urceus Mannae conspicitur, cum tribus litteris adhuc reliquis, ם . . . . . לח: quae sic supplendae sunt, לחרות ירושלים: *Liberationis Hierosolymorum.* Ex altera parte laurea numum cingit, et in laureae medio litterae שמנעו exstant, quae sine dubio שמעון legendae, transposito *Nun* (e) ad finem vocis.

Similem errorem observavit Relandus in numo minori aeneo (*De num. Samar. Tab. IX. n.* 12.), ubi שמנעו loco שמעון legitur, et לחרות ירושלם integrum exstat. Vide etiam Bouteroue *pag.* 20. et Calmetum *Tom. III. num. XIV.* qui etiam שמנעו legit. Ottius (*in vers. German. Operum Iosephi*, *Tiguri fol.* 1736.) typos tres numorum Samaritanorum nostro simillimos habet ; legit autem שמנעת, loco שמנעו.

4. et 5. *Argentei minores.* Ex una parte cernitur *racemus* cum adscripto nomine Simeonis, שמעון. Ex adversa autem parte ramus palmae cum hac inscriptione לחרות . . . . ושלם, quae suppletis duabus litteris deperditis יר *Ier*, *liberationem Hierosolymorum* significat. Bini hi numi recusi esse videntur. Vnus adhuc manifeste litteras hasce . . IAN. CEB. ΓΕΡ. ΔΑ.. è numo Graeco Traiani exhibet ; immo exterior linea faciei Imperatoriae adhuc apparet ; et ex altera parte tres adhuc remanent litterae : ΥΠΔ.

Similem numum vidit Souciet (*Dissertations cet. pag.* 15.), J'ai , vû une de ces médailles Hébraïques du Cabinet de M. de Pontcarrè , President au Parlement de Rouen. Elle est surfrappée, si je puis ainsi , par-

(d) Num factitio לולב *Luláv*, itidem atque in nostro n. 1. in Typo numorum epoche carentium ? Oportet autem hunc numum rarissimum, immo et singularem esse.

(e) Fortassis ו *Vau.*

2011 Ministerio de Cultura

, parler, d' un coin de Trajan, comme il paroit par les lettres de , l' inscription, qui ont pris N. OPTI. NCI. AI. P. M. TR. P. COS. *Ibidem pag.* 16. , Dans Kircher : : : une : : : a d' un coté un raisin, et , autour sur le bord de la médaille שמעון : de l' autre une lire avec , ces mots, לחרות ירושלם. J' en ai actuellement en main une sembla- , ble du Cabinet du Roi, laquelle est d' argent ; et dans le Cabinet , de M. le prémier Président du Parlement de Rouen, il y a encore , une toute semblable, à celà près qu' on y a surajouté depuis une in- , scription Latine de Trajan. Soucietus existimat numo Samaritano adiectam fuisse inscriptionem Latinam ; cum contrà inscriptio Hebraica nostro numo Graeco Traiani impressa sit. Vide etiam Bouteroue 6. 7.

AErei maiores.

1. Ex una parte conspicitur *pampinus* cum hisce litteris חרות .... לם : quae, si characteres deleti suppleantur, denotant לחרות ירושלם *Charóth Ieruschalém* : *liberationem Hierosolymorum.* Ex adversa parte *palma* exstat, et solum Simeonis nomen legitur שמעון.

2. Numus hic praecedenti per omnia similis est ; nisi quod hìc quaedam litterae perierint, quae in altero adhuc leguntur.

Vide Arigoni, V. et Collect. Pembroch.

AErei minimi.

Anni primi.

1. *Palma* uti in numis aereis maioribus cernitur, cui duae lineae adscriptae sunt. Prior quinque litteras exhibet quarum plurimae sunt incognitae. E secunda linea duae tantum remanent litterae. Ex adversa parte *racemus* apparet cum inscriptione שנת אחת לגאלת יש : *schanát echát ligalát is* (*Israel*). Littera *Cheth*, et *Iod* penultimum, non bene expressa sunt.

Souciet (*Dissertations* cet. *pag.* 47.) eumdem numum describit, et litteras incognitas sic delineat (*fere ut in nostro num.* 4. *in Tab. numor. anni primi*). In nostro autem (*pergit Cl. Woide*) sic apparent. (*Non quidem multum absimiles, desunt tamen binae postremae secundi versûs*).

Harduinus existimat hos characteres esse Babylonicos. Sed hoc non est probabile ; cùm *Ain*, *He*, et *Iod* Samaritanum adsit, et ultima littera reliquias τοῦ *Aleph* Samaritani exhibere videatur. Licebit fortas-

sis

2011 Ministerio de Cultura

sis inde suspicari Cusorem numi, Linguae ignotae reliquas litteras deformasse, cum scribere deberet שמעון נשיא *Simeon Princeps.*

Ectypus numi aerei maioris anni primi (quem possidebat olim Bartonus AEdis Christi Oxoniensis Canonicus) conspicitur in Alphabetis Bernardi, quae Doctissimus Morton M. D. et Musei Britannici Bibliothecarius adauxit et edidit. Sed palmae loco tantum inscriptio haec cernitur, quae laureâ cincta est

שמעון
נשיא
ישראל

Simeon Princeps Israëlis. Ex adversa parte *urceus Mannae*, cui addita est eadem quae hìc legitur inscriptio שנת אחת לגאלת ישראל; sed vox *Israël* plene scribitur, cuius duae priores litterae hìc tantum exstant. Similem numum aereum maiorem è Thesauro Regio Parisiensi exhibet Relandus (*Tab. IX. n.* 7.) in quo litterae sequentes tantum remanent.

. . . ון
נ . . א
ישראל

Simeon Princeps Israëlis; et ex altera parte, שנת אחת לגא . . . ישראל. *Anno primo redemtionis Israëlis.*

Harduinus in Plinio suo (*pag.* 432.) hunc numum moduli maioris eodem modo explicavit. Soucietus vidit semisiclum aereum (*Dissertations, pag.* 15. *dans le Cabinet de M. Foucault Conseiller d' Etat*) in quo palma conspiciebatur cum hac inscriptione שמעון נשיא ישראל *Simeon Princeps Israëlis*; et ex adversa parte *pampinus* cum hac epigraphe אחת לגאלת ישראל (שנת): *anno primo redemtionis Israëlis.* Hinc videtur vero simile, quod etiam in nostro minimo nomen *Simeonis* palmae adscribendum fuisset, cum titulo *Principis.*

Anni secundi.

2. *Pampinus* cum inscriptione חרות ציון *charút tsion*: *liberatio Sionis.*

Ex adversa parte conspicitur calix cum epigraphe שתים שנת *scetáim scenát*: *anno secundo.* Septem sequentes numi cum hocce conveniunt; nisi quod in omnibus quaedam litterae desint, excepto octavo, qui est integer.

2011 Ministerio de Cultura

3. . שתים שנת . . . . . ציון
4. . שתי . . . . חרות צי . .
5. . שת . . שנת חרו . . צי . .
6. . שתים שנת חרת . . . .
7. . שת . . שנת חר . . . ן
8. . שתים שנת חרת ציון
9. . שתים . . ת חר . . . ון

Secundus, vel octavus numus, erat olim Rev. Swintoni, qui eum in Inscriptionibus Citieis *pag.* 46. descripsit. Similes sex numi in Museo Britannico reperiuntur. Vnus integram hanc inscriptionem, reliqui quasdam eius partes, omnes autem eadem symbola uti nostri exhibent:

1. . . . . ח . . . . . תים שנ . .
2. . . . . יון . . . . . שנת . . ת . .
3. . . . . יון . . . . . שנת . . שתי
4. . . . . ח . . . . . שנת . . . .
5 . . . . . ח . . . . . שנת . . שתי
6 ציון חרת שנת שתים

Similem numum perfectum possidet Rev. Gifford S. Th. D. et Musei Britannici Bibliothecarius Adiunctus; et alium adhuc habet Doctissimus Franciscus Carter S. A. S. in quo quaedam litterae sunt deperditae.

Ectypos numorum anni secundi minimorum reperies apud Spanhemium, Relandum (*Tab. VI.*) et alios.

Sed etiam maiorem aereum Relandus (*Tab. IX. n.* 11.) exhibet, in quo *palma* cum nomine *Simeonis* conspicitur; et ex adversa parte *pampinus*, adiectis hisce litteris שב לחר..יש..אל, quae שתים שנת לחרות ישראל, *annum secundum liberationis Israëlis* designant.

Similem numum habet Bouteroue *pag.* 29. ubi annus etiam litterâ *Beth* et *Scin*, non autem vocibus שתים שנת exprimitur.

Anni tertii.

10. Ex una parte cernitur pampinus, remanentibus adhuc tribus litteris prioribus *Cheth*, *Resc*, *Vau* חרו; reliquae iniuriâ temporis perierunt. Integra inscriptio olim sine dubio fuit חרות ציון *charút tsion*: *liberatio Sionis*. Ex adversa parte circa calicem ultimae tres tantum supersunt litterae *Lamed*, *Vau*, *Scin*: לוש.. Desunt reliquae quatuor litterae priores, sic supplendae: שנת שלוש *schanát schalósc*: *anno tertio*. Hunc numum olim Doctissimus Swinton possedit, et etiam descripsit.

Vi-

2011 Ministerio de Cultura

Vidit eum Souciet (*Dissertations, cet. pag.* 90. *alias* 86.). Ectypus eius imperfectus exstat apud Relandum (*Tab. I.* 4. *VI.* 5.).

Anni quarti.

11. *Palma* arbor cum quibusdam fructibus ex una parte conspicitur, addita epigraphe שנת ארבע *schanát arbáh*, *anno quarto.* Vltima littera quae erat ע periit, sed è numis sequentibus illam supplevi. Ex adversa parte calix exstat, cui hae duae voces adscriptae leguntur, לגאלת ציון *legeulát tsión*, *liberationis Sionis.* Quinque sequentes numi cum hocce omnino conveniunt.

12. . .	שנת ארבע ,	et	. . צי לגאלת
13. . .	שנת ארבע ,	et	. . צי לגאלת
14. . .	שנת ארבע ,	et	ציון לגאלת
15. . .	. .אר שנת	et	ציון לגאלת
16. . .	שנת ארבע	et	ציון לגאלת

Venerandus Kennicot numum minimum anni quarti possidet, cuius ectypum in *Recherches Critiques sur I. Samuel. VI.* 19. exhibet. Inscriptio est integra et cum nostra convenit; sed *palmae* et *calicis* vix ulla vestigia conspiciuntur. Similem numum in numophylacio suo servat Doctissimus Franciscus Carter Armiger et S. A. S. Inscriptio est integra et emblemata bene expressa sunt. Apud Relandum priores tres numi Tabulae primae conveniunt cum iis quos recensui, licet non sint integri. Sed idem Relandus (*De num. Samar. Tab. IX. n.* 3.) maiorem aereum anni quarti è Thesauro Regio Parisiensi exhibet, ubi circa *palmam* adscriptum לגאלת ציון *Liberationis Sionis.* Sed ex adversa parte duo manipuli frugum apparent, quibus adscriptae sunt voces שנת ארבע חצי *deperditis tribus vel quatuor ultimis litteris* (a). Vid. Ibid. *Tab. V. n.* 1. 2.

De antiquitate horum numorum multum disputatum est. Sunt ii variae sine dubio aetatis, et non omnes aevum Simonis attingere, numus quartus et quintus argenteus novo argumento comprobant. Nam licet nomine Simonis signati sint, manifestò tamen recusi sunt, et inscriptio ac symbola Iudaeorum numo Graeco Traiani incusa conspiciuntur. Sunt itaque Traiano posteriores (b).

In

(a) Immo nullâ; sed numus integer est, ut et noster n. 1. in Tab. numor. anni quarti. Vid. quae nos de eo.

(b) Vid. quae de simili numo recusò in Opusc. *Sur les médaill. Samaritaines qui portent le nom de Simon T. III. Histor. Reg. Acad. Inscript. et Numism. pag.* 184. Et nostra *sup.* Cap. XI.

2011 Ministerio de Cultura

In numo argenteo secundo et in numo minimo anni primi circa racemum quaedam litterae male expressae, in argenteo tertio quaedam transpositae sunt. In numo aeneo minimo anni primi circa *palmam* quaedam litterae Samaritanae litteris peregrinis mixtae esse videntur; nisi forte omnes hi characteres sint litterae Samaritanae, sed deformatae. Haec facile iis temporibus accidere potuerunt, quibus Lingua et characteres Samaritani minus erant cogniti quàm tempore Simonis Machabaei (c).

Sic etiam numi videntur esse antiquiores, in quibus numerus annorum vocibus (*non litteris numeralibus*) est expressus. Et mirum est hoc fieri in omnibus numis minimis hìc descriptis, in quibus parum spatii supererat; cum contrà in numis maioribus, in argenteo primo et secundo, et in aeneo maiori apud Relandum (*Tab. IX.* 11.) et apud Calmetum (*Tab. III. n.* 7. 8. 9. 10.) tantummodo litterae ב ש loco vocum שתים שנת appareant; et *Aleph*, nota anni primi, loco vocum שנת אחת in siclo argenteo Musei Britannici reperiatur.

Sed demus quosdam horum numorum tempore Hadriani, cuius iugum Iudaei excutiebant, cusos fuisse: debuerunt tamen tunc alii antiquiores exstitisse, quos Iudaei ab atavis suis acceptos imitati sunt. Concedunt etiam rei numismaticae Periti, plurimorum fabricationem proculdubio esse antiquam, et similem fabricationi numorum eodem tempore à vicinis Gentibus Syris cusorum. Et praeterea etiam characteres qui in iis leguntur, antiquitatem eorum demonstrant. Ex his enim characteribus Alphabetum Phoenicium et Samaritanum recte derivatur.

Samaritanos appellant hos numos qui potius Iudaici vel Hebraici vocandi essent. Inscriptio enim est Hebraica; et Sionis, Hierosolymorum, et Simonis nomen hos numos à Iudaeis non à Samaritanis derivandos esse indicant. Nemo etiam praeter Iudaeos, contra Hadrianum rebelles, Traiani numos Graecos vel Latinos recudere poterat, qui numos Iudaicos certissime, non autem Samaritanos secuti sunt.

Illud etiam notandum est, *Mem*, et *Nun* eamdem formam initio, in medio, et in fine vocum retinere: unde litteras finales, cum hi numi signarentur, in alphabeto hocce nondum exstitisse manifestum est. (*Mem* vide in argenteo 1. 2. 3. 4. 5. aereo maiore 1. 2. et in quindecim ultimis minoribus; *Nun* vide in argenteo 3. 4. 5. et omnibus aereis). Et cum tandem חרות *charút* (Arg. 5. AEr. mai. 1. mi-

(c) Vid. nostra ad Cap. XI. *De litterar. Samar. ap. Hebraeos usu.*

2011 Ministerio de Cultura

nimi 4. 5. 10.) et חרת *charót* (absque *Vau*) in AEreis minoribus 2. 6. 8. Immo ירושלים (Argent. 1.) et ירושלם (Argent. 2. 4. 5. AEreis maiorib. 1. 2. In Museo Argent. 1.) scribatur: hoc *Vau* et *Iod*, defective, uti Grammatici enuntiare solent, scriptum, nobis confirmat has litteras neutiquam meras vocales fuisse; aliàs omitti non potuissent. Possunt autem omitti si tamquam consonantes et fulcra vocalium considerentur, et חרות, aeque ac חרת (sine *Vau*) per *cholem* recte scribitur.

Hactenus Cl. Woide.

IACOBVS BARTHELEMIVS
FRANCISCO PEREZIO BAYERIO
S.

Monsieur

J' ay eté ravi de recevoir de vos nouvelles. Je l' ay eté de ce que vous m' avez fourni une legere occasion de vous prouver mon zele. L' avantage que j' ay eu de vous connoitre a Rome, l' estime que vos ouvrages m' ont inspirée, et l' interest que je prens à vos succès, tout m'engageoit a m' acquiter de la commission dont vous m' avez honnoré. Mais malgré mon empressement et mes soins, je vois avec peine que l' execution n' a pas repondu a mes desirs. Vous le verrez par les details ou je vais entrer.

La médaille de Jonathan gravée au vol. 24. des mem. de l' Academie des Belles Lettres, est au cabinet du Roi avec deux autres médailles semblables, mais dont l' inscription n' est pas entiere. Je vais vous les decrire toutes troix, en commençant par celle que j' ai publiée.

N.° 1.

N.° 1. La plus part des lettres de l' inscription son très nettes, mais elles ont eté fort usées par le frêt, et il leur reste si peu de relief, qu' aucun des ouvriers employéz n' a pû les mouler. Vous en jugerez vous même par l' empreinte en cire d' Espagne, que je joins icy.

Je vais tacher d' y suppleer.

Premiere ligne. L' *ïod* semble figuré de cette maniere- ⊻. mais comme

2011 Ministerio de Cultura

me la ligne transversale superieure est fort epaisse, et que sur les deux autres médailles semblables, cette lettre est ainsi formée ל, je crus devoir adopter cette forme dans la gravure; mais le graveur oublia de ponctuer la 2.e ligne transversale; il auroit du la figurer ainsi, ל. au reste on peut adopter la forme ס d' autant mieux, que cette lettre est repetée absolument de la meme maniere dans la derniere ligne.

Le reste du nom de Jonathan est très net, et ne fait aucune difficulte, non plus que le titre de gran Pretre qui suit ce nom, surtout quand on en compare les lettres avec celles qui sont sur les deux autres médailles.

Apres le titre de gran Pretre vient dans la 3.e ligne un *Vau* figure de cette maniere ו, un *Heth* ח, et un *Beth* ב. ces trois lettres tres distinctes.

4.e ligne. La premiere lettre est formee ainsi ק. Comme sa queue se termine dans une des feuilles de la couronne, on pouvoit supposer que la ligne transversale inferieure s' etoit perdüe dans cette feuille, d' autant mieux que dans Reland, et dans le catalogue de Pembrock, cette lettre est ainsi figurée ק. Cependant pour plus d' exactitude, j' ai fait ponctuer cette ligne transversale dans la copie jointe a ma dissertation.

Des troix dernieres lettres, la premiere paroit être la meme que la premiere, c' est a dire un *iod* י: celle qui vient apres est assez nette, et paroit etre un *Hé* ה. La derniere ק se termine par son extremité inferieure dans la couronne. J' ay cru dans le temps y trouver quelques traces d' une ligne transversale, et je l' ay fait ponctuer dans ma copie. Cependant je croirois plutot que c' est un *Daleth*, ou un *Resch.*

J' avois cru long temps qu' il falloit lire יון *javán*, et que ce mot joint au precedent repondoit a celui de *Philellene*; mais la tête de la derniere lettre etant arrondie ne peut être un *Nun*, et l' avant derniere m' a toujours paru plutot un *He* qu' un *Vau.*

2.e Médaille, N.° 2.

Cette médaille que j' ay echangée, il n' y a pas long temps, contre une autre semblable et moins bien conservée, je la designe sous le n.° 2. Je vous en envoye 4. empreintes. Apres le mot קקח vous y verres une lettre qui paroit etre un *Iod* ל, et ensuite un *Vau* bien ex-

2011 Ministerio de Cultura

exprimé ז. La derniere lettre est detruite, ce qui pourroit confirmer la leçon חבריו, ou bien חבב יון. (*Philellene*).

3.e Médaille, N.o 3.

Dans la 3.e médaille les mots qui suivent le titre de grand Pretre n' ont jamais eté sur la médaille. Il n' y a que le *Vau*. Et vous en trouverez icy 4. empreintes.

Voila, Monsieur, tous les eclaircissemens que je puis vous donner. S' ils ne suffisoient pas, ayez la bonté de me dire vos volontés, et je m' y conformerai de mon mieux. J' imagine que la médaille tombée entre vos mains est la meme que la 2.e du Cabinet du Roi.

Je vois avec un sensible plaisir que vous continuez à vos occuper de ce genre de Litterature. J' avois fait de tres grandes recherches, tant sur les médailles Samaritaines, que sur toutes les especes de monuments Pheniciens. Je n' en ferai aucun usage. Outre que ma santé s' est alterée, tres peu de gens de Lettres s' interessent a ces connoissances ; et ceux même qui en ont quelque notion, en jugent tres superficiellement. Je ne mets pas beaucoup de prix a mes productions, bien persuadé qu' avec les mêmes peines et la même constance, un autre auroit eté beaucoup plus loin. Mais je vous l' avouerai : quand j' ay vû confondre mes travaux avec ceux de MM. N. et N. qui n' ont cherché qu' a regratter ce que j' avois fait, qui loin d' expliquer d' une maniere probable un seul monument, un seul mot, n' ont pas même fixé la valeur d' une lettre essentielle j' ay abandonné cette litterature, pour me livrer a des recherches plus agreables. Cependant elle m' interesse toujours. Personne n' a applaudi avec plus de plaisir, a ce que vous avez fait, et ne recevrà avec plus de reconnoissance les lumieres que vous nos donnerez dans la suite.

J' ay l' honneur d' être avec un attachement respectueux

Monsieur

a Paris ce 29. Aoust 1780.

Votre très humble
et très obeïssant serviteur
Barthelemy.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

INDEX.

A

Abahu (Rabbi) 133.n.
Abdâsar idem qui Aserschemôr. 149.n.
Aben-Esra (Rabbi) 163.
Abraham Ben David (Rabbi) 149.n.
Abulcacimus Tarifus. 227.n.
Acta Academiae Inscr. Paris. 82.n.
—Eruditorum Lipsiae. 137.
AEdificium tetrastylum in numis, et S. Scriptura. 84.
Alasker (R. Moses) 219.seq.
Alcazar (Lud.) 6.n.
Alcimus Summus Sacerdos ramos aureos è Hieros. Templo furatus Demetrio obtulit. 152. seq. 39.
Alcoranus. 205.
Aleander (Hieron.) 20. 162.n.
Alexander, Aristobuli iunioris F. quo tempore numos cudere potuerit. 198.seq. 26.n.
Alexander Bala ius cudendae monetae Ionathani concessisse non legitur. 195.seq.
Alexander Iannaeus vitis aureae auctor. 203.
eam forte in numis repraesentaverit. ibid.
Alloza, Hispanae vocis etymon. 82.n.
Alphabetum naturae quot litteris constet. 228.
—priscarum gentium sexdecim litteris constitit. 229.seq.
—Hebraicum hodiernum quibus Scripturae S. locis exstet. 233.
—Samaritanum ex numis perpenditur. 222.
seqq. tabula repraesentatur. 224.
Amama (Sixtinus) 74. 75.n.
Ambrosius (Theseus) 51.n.
Ananias, Azarias, Misaël, iidem qui *Sidrach*, *Misach*, *Abdenago*. 163.
Antigonus, Aristobuli iunioris F. 184. postremus Hasmonaeorum Iudaeae regnum obtinuit. 187. eius numus bilinguis. 183. seq. 194.n.
Antigonus, Hyrcani F. numquam ad regnum pervenit. 185.
Antiochus Epiphanes quaenam in Templo invenerit. 205. seq.
Antiochi Evergetis epistola. 79.seq.
Antiochus Sidetes uni Simoni cudendae monetae potestatem fecit. 52. 121.
Apionis in Iudaeos calumnia. 107.seq.
Arandensis Comes (Exc.) 187.n.
Arias Montanus (Bened.) 12.n. 14. 17.n. 18.22.n.27.35.n. 66.71. 72.n.78.80.
—è primis fuit qui siclos vulgarunt et exposuerunt. 7. de siclo eiusque partibus tractatum edidit. 10. seq. quousque in hoc studio progressus. 11.seq.
Aristobulus Senior. 185.
—Iunior. 89. vitem auream Pompeio obtulit. 203. 213. seq. eam fortassis numis expressit. 203.
Aristophanes. 108.n. 113. 147.n.
Assemanus (Iosephus Simonius) 177.191.
Asinos antiqui vasa diota appellavere. 108.
Assyriaca Scriptura. 5.n. in usu erat apud Hebraeos IESV Christi tempore. 239.
Assyriaci numi indigni prorsus qui cum Samaritanis certent. 242. *Vid.* Numi.
Auctoris propositum. 40.seq. tractationis ratio. 41.seq. peculium Hebraicum describitur. 46.seqq. summa cura ut numi ad verum exprimerentur. 53. dissertatio de litteris et sermone Phoenicum. 164.n cum Barthelemio coniunctio. 187.
Augustinus (Antonius) 7. 17. n. 78. quandonam decesserit. 15.n. in magna haesit caligine circa Hebraeorum numos. 14. eius dialogi de numis quo tempore conscripti et editi. 14.seq.

Au-

2011 Ministerio de Cultura

Aurea laquearia. 213.
Azarias de Rubeis (Rabbi) 5.n. 6.n. 63.n. 80. 225.
Azote Hispanicum, unde. 232.n.

B

Bartenora (Rabbi Obadias de) 207.n.
Barthelemius (Iacobus) 38. 179. 180. 181. 196. 198. 222. 236. eius opinio de numo Antigoni. 186. de numo Hyrcani quem Ionathani adscribit. 187. seqq. refutatur. 190. seqq. 199.
Bartoloccius (Iulius) 5.n. 7.
Barton (Philippus) 82.n. 93. 201.
Basnagius (Iacobus) 42. 43.seq. 44.seq.n. 92.n. 94.n. 196.n. 241.seq.
—notatur. 51.seq. 124.n. 138.
Básula (Rabbi Moses) 5.n.
Beyerus (Andreas) 78.
Bernard (Eduardus) 196. 225.
Beverinus (Barthol.) 39. 62.n.
Beza. 27.
Bianconus (Io. Bapt.) 38. 55. 128.n. 181. 236.
—notatur. 223. 237.seq. eius de numis ignoto charactere inscriptis opinio plane singularis. 165.seqq. refutatur. 167.seq.
Biblia Hebraica Plantiniana, Athiana, Leusdeniana, Everardi van der Hooght, Kennicottii. 77.n.
—polyglotta Complutensia. 76. seq.n. reliqua polyglotta praecurrerunt. 166.n. Antuerpiensia. 77.n. Parisiensia. 77.n. 163.n. Londinensia. 77.n. 163.n.
Bibliorum Hebraicus textus. 163.n. 233.
—editio Rob.Stephani 1543. 77.n. Bombergii 1568. ibid.
—versio Arabica. 163.n. Ariae Montani. 8.n. Hispanica Cassiod. Reyna et Cypriani Valera. 8.n. 22.n. 23.n. 128. n. Helvetica *in lingua Rumanscha* 1579. 22.n. Hispana Ferrariensis 1553. 8.n. 22.n. 23.n. 77.n. 101.n. 128.n. nativi vocum Hebraicarum soni retinentissima. 78.n. Italica Nicolai Malermi 1471. 22.n. Pagnini. 8.n. 22.n. 23.n. 100.n. 101.n. 128.n. 129. 132.
Bibliotheca Regia Escurialensis. 65. 66. Matritensis. 65.
Blancutius (Bened.) 11.n. 75.n.
Bochartus (Samuel) 109.n. Samaritanorum numorum expositionem Bouterouvio dedit. 34.n.
Bouterouvius. 84. 93. 94. 98. 104. 112. 125.n. 132.n. 140. 142. 145. 148. 152.n. de numis Samaritanis perfunctorie agit. 33.seq.
Boze (Dom. de) 84. 88.n. 97. 115. n. 156.
Brerevoodus (Eduardus) 17.n. 39.
Brotierius (Gabriel) 78.n. 207.n.
Bruckerus (Io. Henr.) ineditum Barthelemii opusculum cum Swintono communicavit. 180.
Buddeus (Io. Franc.) 13.n.
Buonarrotus (Phil.) 230.n.
Buxtorfius (Ioannes) 30. pater. 5.n. 23.n. 24.n. 166.n. 227.n. filius. 3.n. 23.n. 28. 51.n. 75.n. 134.n. 227.n. 240.

C

Cadmus sexdecim tantum litteras Graeciae intulit. 229.
Caesar (Iul.) 79.n.
Calasio (Marius de) 24.n.
Calmetus (Augustinus) 40. 45. 78. 140. 145. 148.
—notatur. 143.
Calovius (Abrahamus) 3.n.
Camers (Ioannes) 213.n.
Canticorum liber. I. 13, 219. I. 23, 89. VII. 5. 7. 8, 219.
Caph ב littera priscis Hebr. incognita. 181.
Carmelus à vineis dictus. 219.

Cár-

2011 Ministerio de Cultura

Cármenes, Hispanice vineae. 219.
Carmo, Baeticae urbs. 219.n.
Cary Massiliensis (M.) 189.n. 198.
Cassiodorus. 229.n.
Cellarius (Christoph.) 141. 217.n.
Celsius (Olavus) 81.n. 133.n. 149. n. 217.n.
Celsus (Cornelius) 71.n.
Chamillartius. 97.
Character. Vocis etymon. 22.n.
Characteres arcani in numis Simonis. Variorum de illis opiniones examinantur. 157.seqq. quo loco in numis occurrant. 169. arbitrarii sunt, nec ullius Linguae peculiares. 175. Auctoris de illis coniecturae. 169.seqq.
Charár חרר, quid Chaldaeis et Syris. 23.n.
Cherút חרות duplex huius vocabuli orthographia. 106. quid significet. 22. seq. 24. pro libertate primus illud adhibuit Hottingerus. 29. eius origo minime Hebraica quum libertatem indicat. 23.seq. n. cum quibus coniungatur. 118.
Chorím חורים. Vocis expositio. 23.n.
Christiani Doctores quo tempore Hebraicos numos noverint. 6. saeculo XVI. veros ab adulterinis secreverunt. 7.
Christus IESVS quomodo à Iudaeis exceptus. 134.
Ciaconius (Petrus) 7. 39.
Cithara in numis et Scriptura S. 220.
Clericus (Ioannes) 178. 179. 189. 190. 191. 192.
Combius (Guillielmus) 61. 174.
Conringius (Hermanus) 12.n. 18.n. 28.n. 30.n. 31.n. 32.n. 33.n. 50.n. 62. n. 74. 75.seq.n. de numis Samaritanis primus nugari atque hariolari desiit. 5. eius paradoxa quantivis pretii. 36. huius laboris fructus. 37. ex iis paradoxis alia Auctor desumsit, nova eisdem adiecit. 64.
Contant de la Molette (D.Du) 166.n.
Coraza Hispanicum, unde. 232.n.
Corbes dactylorum in numis, Iudaeae symbolum. 132.
Cornu copiae, symbolum Diis Gentium specialiter consecratum. 193.
Corona laurea cum palmae ramo in numis et Scriptura S. 220.
Corsinus (Eduardus) laudatus. 232.n.
Cramerus (Ioann. Iacobus) 118.n.
Crasus (Nic.) 25.
Croze (Matur. Weyssiere la) 61.n.

D

Daniel, cap. III. 88. 93, 163.n.
Debír דביר, id est *oraculum*, vocabatur Templi adytum. 211.
Demetrius Nicator. 86. 122. 152. 170.
—Soter. 79. 153.
Denarius antiquus Romanus 72. granorum. 71.n. 73.n. eius pondus quando imminutum. *ibid.* post-Neronianus sexaginta trium granorum. 72. 73.n.
Desiderius Monachus Minorita. 47.
Deuteronomii cap. I. 24, 219. V. 9.10, 128.n. XXXIV. 3, 217.
Deylingius (Salomon) 30.n. 38. 44. n. 51.n.
—notatur. 36.n.
Dionysius idem qui Serapion. 163.
Dionysius Halicarnassensis. 229.
Dormerius (Did. Iosephus) 15.n.
Drachmae Atticae pondus. 70. 71.seq. n. eius ad unciam Hispanicam et denarium Rom. ratio. *ibid.*
Drusius (Ioannes) 185.n. 200.n.

E

Eisenschmidius (Io. Gasp.) 40. 54. 67. seq.n. 73.n. 82.n. 200.
Eleazarus Sacerdos trabem Templi auream Crasso dedisse fertur. 205.

Elie-

2011 Ministerio de Cultura

Eliezer (Rabbi) 207.n.
Epicharmus. 230.
Epoche redemtionis Sion eadem est atque liberationis Israël et Ierusalem. 120.
Era liberatae Sionis unde initium capiat. 118.
Erae Iudaeorum initium. 92.
Escurialensis Bibliothecae incendium anni 1671. 35.n. *Vid.* Bibliotheca.
Escurialensium MSS. catalogi. 2.
Esdrae lib. II. cap. VIII. 9, 163.n. VIII. 15, 128. 137. 219. *Vid.* Nehemias.
Esther cap. II. 6, 76.seq.n.
Evagrius. 239.
Eusebius. 169.n. 185.n. 199. 229.n.
Exodi IV. 26, 101.n. VI. 3, 100.n. XIV. 20, 132. XVI. 32. 33, 216. XXXII. 16. Variae huius loci versiones. 22.n. XXX. 13. 15, 72.n. XXXII. 25, 16.n.
Ezechielis XLVII. 19, et XLVIII. 28, 217.

F

Ferdinandus Albertus Brunsvicens. Dux. 21.
Finetus (Bonifacius) 38. 181. 225. 241.
—notatur. 14.n. 223.seq.
Florens Christianus (Q. Septimius) 147.n.
Flores in siclis conspicuae, cuius plantae sint. 80.seq.n.
Florezius (Henricus) Hispaniae Sacrae Auctor. 48.
Flori locus de vite aurea expenditur. 210. seq. 212.seq.
Foucaltius. 97. 83. 88.n.
Freinshemius (Ioannes) 212.n.
Froëlichius (Erasmus) 38. 78. 112. 118.n. 121. 140. 145. 148.n. 150. 152. 174. 175. 198. 201. 225.
—notatur. 119.seq. 143.
Fromontius. 109. 140.

G

Gabrielis Borbonii Regii Infantis versio Sallustii Hispanica. 164.n.
Gagnierius (Ioannes) 109.
—notatur. 91. seqq. 104. 110. seqq. 143. 144.seq.
Galenus. 71.n.
Gallandius (Ant.) 46.n. 83. 183. 186.
Garizim mons quomodo à Iudaeis vocatus. 86.n.seq.
Gemara Ierosol. 74. 207.
Genesis XIV. 7, 217. XXX. 20, 101.n. XLIX. 11, 89.n.
Gheulát גאלת vox optime construitur cum voce *Israël* ישראל. 83.n. cum quibus coniungatur. 118.seq.
Golius (Iacobus) 23.n. 24.n. 149.n. 217.n.
Gomór, sive urna Mannae, in numis et Scriptura S. 216.seq.
Gorionides (Iosephus) 207. 209.n. 215.
Gorius (Ant. Franc.) 230.n.
Gottifredus (Franc.) 25. 83. 141.
Gradonicus (Hieron.) notatur. 38.seq.n.
Graevius (Ian. Georg.) 45.n. 213.n.
Gronovius. 17.n.
Grsepsius (Stanislaus) 17.n. 38.n.
Gruterus (Ianus) 211.
Guarinus (Petrus) 22.n. 37. 78. 100.n. 105.n
—notatur. 143.

H

Haggaei II. 8, 206.n.
Harduinus (Ioannes) 37. 38.n. 55. 82.n. 84. 88. 89. 90. 93. 97. 150. 168. 170.n. 172.n. 174. 175. 201. 226.
—laudatur. 59.seq.
—notatur. 83.n. 85.seqq.
—eius placita de numis arcano charactere inscriptis excutiuntur. 155.seqq.
Hárra, *Húrron*, *Hurríaton* Arabibus quid. 23.n. 24.n.
Hebraeorum populus quibus verbis designetur in numis. 119. quo tempore à vectigali Regibus Syriae persolvendo immunis. 152. triumphus eius de Graecis. 220. Respublica quibus de causis no-

2011 Ministerio de Cultura

novam faciem induerit. 122.seq. Status Simonis aevo perfecte democraticus. 169.
Hebraicae litterae primaevae quot? Variae sententiae. 226.seqq. sexdecim fuere. 227.seq. nec propterea imperfectum alphabetum. 229. huic opinioni adversari videtur S. Script. textus. 233. solvitur obiectio. 234. iis litteris originem debent Hispanienses veteres, tum Phoenicum, tum etiam Graecae. 3.
Hebraicus sermo quo tempore à nativa puritate deflexerit. 243.seq.
Heinsius. 213.n.
Henrion (D.) 153. 238.n.
Heredia (Ignatius de) 186.n.
Hesychius. 65.
Hieronymus (S.) 65. 76.n. 169.n. 228. 239.
Hillerus (Matth.) 81.n.
Homerus. 108.n. 133.n.
Horatius. 108.n. 213.n. 228.
Hornius (Georgius) 185.n.
Horro, *Ahorrar*, Hispan. vocum origo. 23.n.
Hottingerus (Henr.) 16.n. 21.n. 24.n. 33.n. 35. 74. 78. 93. 112.n. 147. 162.n.
—laudatur. 75.seq. notatur. 143. in numis Hebraeorum explicandis felicior omnibus qui idem stadium confecerunt, adiutus tamen illorum laboribus. 28.seq. quin et in multis labitur. 29. 33.
Houtingius. 129.
Huberus (Io. Henr.) 94. 116. 147. 150. 152. 154. 178. 181.
—notatur. 143.
Hunterus (Guilielmus) 60. 61.n. 150.n. 174. 191.n.
Hyoscyamus forte fuerit ramus siclorum. 81.n.
Hyrcanus qua ratione scribatur apud Hebraeos. 184. seq. cur id cognomen Ioanni Simonis F. accesserit. 185.n. *Vid.* Ioannes Hyrcanus.

I

Ianus (Daniel Frid.) 207.n. 212.n. 213.n. 215.n.
Iarchi (R. Salomon) 6.
Ibannezius (Io. Garcia) laudatus. 48.
Iehuda (Rabbi) 134.n.
Ieochannahan idem qui Ioannes Hyrcanus. 176. idem qui Iochannan. 182.n.
Ieremias. 31.n.
Ierichо, palmarum urbs. 217. eadem ac Thamar nonnullis credita. *ib.*n.
Ierusalem. Vocis varia orthographia apud Hebraeos. 74-76. quid ostendat. 27.seq.
—urbs quo nomine à Samaritanis vocata. 86.n. eius divisio in superiorem et inferiorem. 31. 76.
IESVS nomen quomodo Iudaei efferrent. 226. seq.n.
Ilice vetus Hispaniae oppidum non procul à Tadmira urbe. 218.n.
Ilipula quae *Laus*. Vocis etymon. 82. loci situs. *ibid.*
Incogniti veterum Hispanorum numi à nemine hactenus explicati. 2.
Inscriptionum Samaritanorum quas numi exhibent Sylloge cum Latina interpretatione. *in tab. ad pag.* 171. earum cum Scriptura S. consensio. 221.
Ioannes Hyrcanus forte idem qui Ionathan. 199. seq. quando symbola Diis Gentium consecrata numis insculpserit. 193. eius numus expenditur. 176. seqq. numi inscriptio analytice examinatur. 179.seqq. Latine exhibetur. 182. eius numi non usque adeo rari. 201.
Ioannis Evang. XII. 12, 134.n.
Iochannanis nomen passim in S. Scriptura obvium. 182.
Ionathan qua ratione scribatur in sacris libris. 194. Princeps Israëlis nec numos cudit, nec cudere potuit. 196.seqq.
Ionathanis qui dicuntur numi. 187. seq. variae de iis sententiae. 188.seqq. ad

2011 Ministerio de Cultura

Ioannem Hyrcanum referendi. 190.seqq.
Ioannis nomen clare exhibent. 192.
Iose (Rabbi) 134.n. 148.
Iosephus. 4. 6.n. 65. 79. 81.n. 108. 132. 133.n. 135. 136.n. 138.n. 145. 146. 147. 185.n. 186.n. 193. 199.n. 203. 204. 205. 206. 208. 209. 211. 213.seq. 215.
Iosue XIII. 15, 101.n.
Irenaei (S.) locus de litteris Hebraicis expenditur. 226.
Isaïae XI. 16, 119.n. XLVIII. 2, 79.n. LII. 1, 79.n.
Isidorus (S.) 229.n.
Ismaël (Rabbi) 135.
Iudaeae, quaenam civitates ex Samaria contributae? 87.n.
Iudaeis veteribus quaenam litterae in usu fuerint? 36.n.
Iudaeorum epoche certa. 197.
Iudaeorum sapientes quam negligentes in numis Samaritanis describendis et explicandis. 4. eorum labores in hac materia. 5.seq.n.
Iudas Machabaeus Templum expiaturus quid fecerit. 206. pium eius factum post devictos Antiochi Duces. 91.seq.
Iudicum XII. 6, 235.n. XX. 33, 217.
Iustinianus (Augustin.) 77.n. 163.n. 166.
Iuvenalis. 108.n.

K

Karaïtarum dogma. 219.
Kennicottius (Beniaminus). 38.
Kimchius (R. David) eximium opus de radicibus Hebraicis scripsit. 22.n.
—(R. Moses) 5.n.
Kircherus (Athan.) 28. 30.n. 50.n. 74. 78. 82.n. 83. 87. 94. 141. 142. 149. 152.n. 220. 225.
—in multis erravit, hoc tamen valde laudatur quod *Simonis* nomen cum elogio *Principis Israëlis* primus in numis detexerit. 26.
Kirchmaierus (Georg.Gasp.) 212.n.
Kishullus (Edm.) 37. 38.n. 226. 228.n. 230.n. 232.n. 233.
Kochius (Corn. Dietericus) 37. 38.n. 78. 82. 83. 109.seq. 114. 195.
—notatur. 83.n. 84. 104. 112.seq. 115.n. 143. 144.seq. 200.seq.

L

Lahem לחם vocis significatio. 100.n.
Lamed ל articuli apud Hebr. vis. 100.seq.n.
Lamius (Bern.) 37. 38.n.
Lastanosa (Io. Vincentius) 7.
Legionensis (Luisius) 213.n.
Le-Long (Iacobus) 17.n. 35.n. 166.n.
Levitici XXIII. 40, 128. 137.n. 219.
Liebius (Christ. Sigism.) 37. 38.n.
Lightfootus (Ioannes) 3.n.
Litterae unius varia prolatio unde proveniat. 235.seq.
Litterae proprie quid. 234. earumdem pro sede, analogia, origine cet. differentiae. *ibid.*seq.
—adspiratae non magnum inventum. 230. ad tenues reducuntur. *ibid.*seqq.
—arcuatae recentiores quadratis. 102.seq. utraeque in usu promiscuo apud Hebraeos. 103. 107.
—duplices à priscis alphabetis absunt. 227. 230. 233.
—numerales in siclis et numis Hebraeorum. 97.seq.
—*Vid.* Samariticae.
Loyd iunior (Guil.) 92.n. 109.
Ludolphus (Iobus) 141.
Lvdovici Borbonii Regii Infantis museum. 57. 95. 177.seq. 179. 190. 191. 192.
Lulav לולב seu ramorum fasciculus à Iudaeis in Scenopegia adhibitus quibus constet. 128. 138.seq. quando illegitimus. 130. cuiusmodi vinculo ligaretur. *ibid.* dextra gestabatur. 133. circum-

2011 Ministerio de Cultura

cumornari solitus. 146.seq. eius in S. Scriptura mentio. 219.
Lyra in numis Hebraeorum quid indicet. 146. 151.seq.

M

Machabaeorum liber primus. I. 23. 24. 206. III. 45, 151. IV. 49-51, 206. IV. 54, 221. IV. 58, 92. VII. 1, 205.n. 220. VII. 1.5, 153.n. X. 17-21. et 59-65, 195. X. 30, 87.n. X. 31. et 43, 79.n. XI. 34, 87. n. XIII. 27. 29, 220. XIII. 37, 221. XIII. 37. et 39, 152.n. XIII. 41, 91. 167. XIV. 3. et 26, 122. XIV. 4-23, 123. XV. 20, 223. XV. 27, 221. XV. 36, 118.n.
—secundus. X. 7, 138. XIV. 3. 4, 153. 205.n. XIV. 4, 220.
Maffeïus (Scipio) 38.
Mahudellus. 78.
Maimonides (R.Moses) 5.n. 129.n. 130.n. 135. 207.n.
Malum citreum multiplex. 132. in Scenopegia usurpatum. *ibid.* et 136. cur *pulcher fructus* appellatum. 133. quomodo gestaretur. 133. variae magnitudinis adhibitum. 134.seq. immo variae speciei. 137. integrum in numis visitur. 135. cuiusmodi observentur in numis epoche carentibus. 148.seq.
Mali citrei varia in variis linguis nomina. 136. eius mentio in S.Script. 219.
Mala citrea hodieque ex Hispania petunt Iudaei Germani. 137.n.
Mali punicae flores. 81.n.
Marcianus I. C. 79.n.
Marcus Evangelista. 134.n.
Mariana (Ioannes) 39.
Marius Victorinus. 129.n. 231.
Masius (Andreas) 14. 17.n. 78.
—binas sicli litteras vasculo insidentes primus enodare tentavit. 12.seq. in eo tamen à vero deflexit. 13.
Mattathiae nomen litteris Samariticis in numo Antigoni. 7 194.n.
Matthaeus Evang. 134.n. V. 17. 18, 238.
Meierus (Henricus) 62.n.
Mela (Pomp.) 218.n.
Meyr (Rabbi) 130.n. 134.
Mingarellus (Ioann. Aloysius) 48.
Mischna. 4. 23.n. 129.n. 130.n. 134. 135.n. 207. 209.n.
Moine (Stephanus Le) 213.n.
Montfaucon.(Bern.) 5.n. 11.n. 181.n. 225.
—notatur. 13.n. 63.n.
Morinus (Ioannes) 6.n. 19. 27. 28. 74. 78. 166.n.
—quousque progressus in numorum Samariticorum expositione. 20.seq. in multis fallitur. 24.seq. Samaritica ש *Scin* ב *Beth* penitus ignoravit. 25.n. numos Samaritanos non vidit. 26.n.
—(Stephanus) 3.n. 30.n. 38.n.
Mortonus (Carolus) 54. 82.n. 87. 201.
Mosti (Ant. Iosephus) 48. 141.n.
Mursia urbs an olim *Tadmir* dicta. 218.seq.n
Musellus (Iacobus) 78.

N

Nachmanides (R. Moses) 5.n. 6. 67. 80. eius explicationem sicli Arias Montanus protulit. 11. 80. et Ant.Augustinus. 14.
Nanius (Bernardus) 232.n.
Naranja vocis etymon. 136.
Nasarrius (Blas. Ant.) 7. 78.
Nehemias apud Hebraeos dicitur lib. 2. Esdrae. 128.n. citatur. IV. 19, 23. n. VI. 17, 23.n. X. 32, 72.n.
—idem qui *Athersata.* 163.
Neocorus (L.) 45.
Nomina virorum propria varie in variis linguis persaepe exprimuntur. 162.seqq. multo magis appellativa. 164.
Nubiensis Geographus. 219.n.
Numeror. XII. 24, 219. XVII. 2.7.8, 216.
Numus Simonis Barcocebae creditus. 237. sublestae fidei. 238.
bi-

2011 Ministerio de Cultura

—bilinguis Alexandri Regis. 188.
Numi Hebraeorum omnes rari. 109. proprie qui dicuntur numi, quo à siclis differant. 54. à quibus percussi omnes. 62. quo tempore percuti desierint. 121. aurei numquam ab Hebraeis percussi. 62.
—vetustissimi ad Simonem referendi. 63. 91. 93. sero id ab eruditis detectum. 8. ad annum Simonis tertium pertinent qui urnam contectam exhibent. 111. eaque horum διάκρισις. *ibid.* 115. 117. Simonis nomen arcano charactere exhibentes. 155.seqq.
—cum inscriptione *liberatae Sionis* sero detecti. 24. ad quem annum referendi. 118. seq. tertio liberatae Sionis anno percussi quid differant à reliquis. 64.
—epoche carentes expenduntur. 141.seqq.
—cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ cui tribuendi. 198.
—Alexandro Iannaeo, aut Aristobulo iuniori adscripti. 202.seqq.
—Assyriaco charactere inscripti, adulterini sunt. 37.seq. 51. Davidis, Salomonis, Isaaci, cet. contemnendi. 242.seq.
—Romani Consulares quid pensitent. 71.n.
Numorum Samariticorum fides. 90. seq. 137. series ac distributio per annos. 170. seq. area altera prae altera latior. 105. 117. huius inaequalitatis causa, et exempla in aliarum gentium numis. 139. seq. eorum consensio cum sacris libris. 216-220. cum Historia et Chronologia. 220-222. epigraphe cum libris Machabaeorum consentientes. 221.
Numos Hebraeorum qui eumdem annum prae se ferunt, ab eadem officina profectos fuisse evincitur. 53-61. 90. seq. 96. primus hoc subodoratus Harduinus. 59. confirmant Eruditi Londin. 60.
Nunnesius (Pet. Ioannes) 136.n.

O

Obadias de Bartenora (Rabbi) 129.n.135.
Oboli tum Romani tum Hebraei pondus. 73.n.
Onkelosius. 36.
Ornan idem qui *Areuna*. 163.
Ottius (Io. Bapt.) 23.n. 37. 46. 105. 112. 127.n. 130.seq. 140. 178. 212.n.
—laudatur. 110. notatur. 89. 132. 202.
Ovidius Naso (P.) 136.n. 230.

P

Pagninus (Santes) 76.n. *Vid.* Biblior. versio.
Palamedes. 230.n. 244.
Palma Iudaeae symbolum. 89. ad perpendiculum fissa in numis Hebraicis. 147. seq. dactylifera in numis et S. Scriptura. 217. in *lulàv* Iudaeorum prae aliis numis eminebat. 129.
Palmae ramus in numis Hebraicis quid indicet. 152.
Paralipomenon liber primus. 31.n. III. 5, 76.n. XII. 20, 101.n. XXI. 25, 62.n.
—secundus. 31.n. VIII. 4, 217.n. XXV. 1, 76.seq.n. XXXVIII. 15, 217.
Pasqualinus (Laelius) 24.n.
Patinus (Carolus) 42. 43.
Paulus Apost. *ad Romanos* XV. 14, 216. *ad Hebr.* IX. 1. seqq, 204. IV. 4, 212.
Pellerinus notatur. 185.n. 194.n.
Pembrochiae Comes. 56.n. 78. 96.n. 109. 116. 140. 190- 192.
—notatur. 143. 179.
Περιστερὰν quid latine significet. 146.seq.
Persius (Aulus) 228.
Pherecydes. 230.n.
Philo Iudaeus. 4. 6.n. 65.
Phoenicum veterum litterae sedecim fuere. 229.
Phulano Hispanicum unde. 227.n.
Pinartius (M.) 238.
ΠΙΠΙ legebant Graeci ineffabile Dei nomen. 239.
Plinius senior. 71.n. 82.n. 213.n. 214. 228. 230.n. 244.
Plu-

2011 Ministerio de Cultura

Plutarchus. 133. n. 138. n. 147. n. 228. 230.
Pollux (Iulius) 72.n.
Pompeius (Cn.) 89. Iudaeos domuit, Templumque iure victoriae ingressus fuit, quo soli Pontifici penetrare fas erat. 211.seq. 214.
Pondera Romanorum unde valeant certo definiri. 73.n. Scriptores de ponderibus et mensuris veterum. 39.seq.
Pontacus (Arnaldus) 200.
Porticus tetrastyla à Simone primo anno exstructa. 145. Hasmonaeorum mausoleum. *ibid.*
Postellus (Guil.) 11.12.27.78.225.240.
—primus siclum edidit, et utcumque descripsit. 9. in quo laudandus, notandusve. *ibid.*seq.
Pradus (Hieronymus) 72.n.
Praenotanda in universum de numis Hebraeorum. 62.seqq.
Psalmi LIV. 23, 166. LXXI. 10, 163.n. LXXIX. 9. 15, 219. CVI. 46, 101.n. CVII. 35, 101.n.
Ptolemaeus Geographus. 218.n.
Ptolemaei Philadelphi mensa aurea Templo consecrata. 204.

Q

Quilate vocis origo. 22.n.

R

Rabbini nihil ferme de siclis et numis Samaritanis dixere. 4.seq. *Vid.* Iudaeorum sapientes.
Rami varii generis à variis gentibus religionis ergo usurpati. 149.n.
Ramorum fasces in numis quas pepererint coniecturas. 127. *Vid.* Lulav.
Regum liber primus. II. 36, 8.n. VII. 6, 33.n. IX. 8, 71.
—secundus. XXIV. 16, 163. n. XXIV. 24, 62.n.
—tertius. IX. 18, 217.n. XV. 25, 100.n. XXII. 41, 100.n.
—quartus. I. 17, 100. XVII. 10, 100.n.
Relandus (Adrianus) 23.n. 30.n. 37. 45.seq. 50.n. 54. 78. 82.n. 83. 84. 87. 90. 98. 104. 106. 107. 110. 112. 114. 118.n. 124.n. 126.n. 137.n. 140-142. 146.n. 147. 149. 151. 153. 162.n. 174.n. 178. 179. 183. 184. 189. 190. 192. 200. 208.n.
—laudatur. 109. notatur. 115. 131.135.

S

Sala (Paschasius) laudatur. 40.
Salem שלם an *Salaim* שלים olim proferretur, incertum. 76.n.
Salmasius (Claudius) 212. 213.n.
Salomon (Rabbi) 133.n.
Salutius (Augustinus) 39.
Samaritani et Karaïtae *Lulav* et malum in Scenopegia ignorabant. 137.n.
Samaritici studii primi Auctores vel in multiplici errore laudandi. 34. quinam in eo claruerint nostro saeculo. 37. seq. quae summa rerum in his studiis. 38.seq.
Samaritici numi penes Auctorem. 46.seqq. ex eorum distributione et mutua collatione bina corollaria. 49. eorum sinceritas et antiquitas multis argumentis evincitur. 49.seqq. quinam eos ceu adulterinos reiiciant. 42-46.
Samariticae litterae. 22. in vulgaribus codicibus. 225. in numis 17, ad summum 18. observatae. *ibid.* seq. sed vero 16. re ipsa sunt. 227.seqq.
—an Hebraeis in usu Simonis tempore? variae sententiae. 236.seq. negans eligitur. 165. 237. seq. Christi aevo obsoletae. 238. seqq. à vetustioribus Hebraeis usurpatae. 275.
Samariticarum litterarum πρωτοστασία. 3.n. prae Assyriacis antiquitas. 240. seqq. illarum praenotio ad antiquos Hispanorum numos intelligendos multum affert praesidii. 3.

2011 Ministerio de Cultura

Samuel Ben Nehemani (Rabbi) 74. 75.n.
Sancta vox in siclis expenditur. 79.seq.
Sanctum Sanctorum quid contineret. 211.
Sanson Geographus. 217.n.
Santander (Ioannes de) 66.n.
Sanzius (Antonius) Matritensis Typographus. 48.
Sarti (Maurus) 47. 149.
Savorgniani (Antonius) 46. 62.n. eius in Auctorem liberalitas. 47.n. 51.n.
Savotus (Ludovicus) 70. 73.n.
Scaliger (Iosephus) 137.n. 181. 200. n. 225.
Scenopegia, seu Tabernaculorum festum. 128. 133. seq. ineunte autumno peragebatur. 130.
Schickardus (Wilh.) notatur. 33.n.
Schloëger (M.) 61.n.
Scholiastes Aristophanis. 109. 147.n.
—Iosephi. 71. 133.n. 136.n. 147.n.
—Nicandri. 136.
Scholtzius (Christianus) 61.n.
Schraderus (Christop.) 29.seq.n. non multum profecit in siclorum expositione. 21.
Scin ש Samaritani figura. 88. eius litterae varietates. 232. 235.
Scribonius Largus. 71.n.
Scriptuli pondus. 73.n.
Seldenus (Ioannes) 210.n. 212.n.
—notatur. 209.n.
—laudatur. 213.
Servius. 167.
Sichem vox callide à Iudaeis in *Sichar* mutata. 87.
—urbs Samariae. 86. eaque metropolis. 159. an ibi percussi numi Samaritani. 86.
Siclus Regiae Bibliothecae Matritensis perpenditur. 65. seq. et Escurialensis. 67. seq. 80. huius pondus. 65. 71. seq.n. utriusque ponderum collatio novum paradoxum parit. 66.
Siclus tridrachmus. 70. 72.n. eius nulla in Scriptura mentio. 72.
Siclus LVDOVICI Borbonii Reg. Hisp. Inf. 98.seq. alius Accone visus à Nachmanide ante annos sexcentos. 6.seq.
Sicli cum Scriptura plena et decurtata. 25. 31. epoche carentes nulli sunt. 63. n. veri et adulterini qua ratione internoscantur. 13.seq.n. ad primum an ad secundum annum pertineant, ex litterarum numero lis aestimanda. 14. n. quinam rariores. 18.
Sicli semisiclique omnes argentei. 62. primo tantum et secundo Simonis anno percussi. 63. 114. inscriptionum primi et secundi anni discrimen. 64.
Sicli numique Hebraeorum quo differant pro annorum diversitate. 119.seq. omnes eamdem epochen important. 120.
Siclorum litterae unde potuerunt desumi 103. pondus ab Atheniensibus desumtum videtur. 174.n. notitiam primi omnium Iudaei ingenuerunt. 4. quinam de illis egerint. 5.n. eorum frequens mentio in S. Scriptura, numorum rarissima. 8.n.
Siclis semisiclisque totam rem numariam Hebraeorum constitisse vulgo creditum. 8.
Simon (Rabbi) 74. 75.n.
—(Richardus) 134.n.
Simon Barcoceba. 237. *Vid.* Numus.
Simon Machabaeus attributo sibi ab Antiocho cudendae monetae iure numquam usus videtur. 223. eius incoepti ipse sibi auctor exstitit. 169. numos cudit inexpectata Regum Syriae venia. *ibid.* quibus gradibus in siclis et numis percutiendis processerit. 170. 172. seq. quamobrem numos suo nomine inscriptos cuderit. 172. eius propositum vindicatur. 173. cur proprium nomen ignotis characteribus occultaverit. 237.
Simonis nomen detectum multum lucis siclorum expositioni attulit. 21. 26.
—numi omnes intra quadriennium percus-

2011 Ministerio de Cultura

cussi. 220. seq. priore anno multiplices. 54. seq. pariterque secundo. 56. seq. tertii anni rarissimi sunt, et unius tantum, id est, minimi moduli. 57. seq. 114. plures quarti. 58. nempe annus quartus praecurrente, sive tertio felicior. 122.seq.
Simonides. 230. 244.
Sionis nomen anni primi Simonis numis insculpi non potuit. 83.seq.n.
Snellius (Willebrordus) 17.n.
Soucietus (Steph.) 6.n. 37. 38.n. 55. 75.n. 88. 115. 118.n. 174. 178. 181. 237.
—notatur. 14.n. 97-103.
—multus est in expendendo articulo ל *Lamed*. 100.n. eius coniecturae de numis arcano charactere inscriptis. 159. 161. examinantur. 162.seq.
Spanhemius (Ezechiel) 37. 64.n. 92. n. 104. 112. 121.n. 136. 213. 229. 232.n.
—notatur. 13.n.
Sperlingius (Ottho) 42.seq. 45.51. 124.n.
—notatur. 138.
Spizelius (Theophilus) 28. 30.
Stephanus Geographus. 218.n.
Strabo. 214. 217.n. 219.n.
Suidas. 229.n. 244.
Sulpitius Severus. 185.n.
Surenhusius (Guil.) 4.n. 5.n. 23.n. 129.n.
Surita (Hieronymus) opportune Ant. Augustinum admonet. 15.n.
Swintonus (Ioannes) 38. 183. 186. 191. 222.
—notatur. 180.n. 184.seq. Hyrcani numum per errorem Ionathani adscribit. 189.seq. 195.seq.
Sylburgius (Fridericus) 229.n.
Symbola siclorum et numorum Hebraicorum S. Scripturae consentientia. 216.seqq.

T

Tacitus (Cornelius) 207.n. 209. 211. seq. 228. 230.n.
Tadmira sive *Tadmir* Arabibus regio dactylifera. 218.n. urbs etiam Baeticae mediterranea, *ibid.* australior alia non longe ab *Ilice*. *ibid.* id nomen post saec. XII. non amplius legitur. *ibid.*
Talmud Ierosolymitan. 75.n. 136. 227.n.
Tamara fluvius veteris Hispaniae, forte qui hodie *Tambre*. 218.n.
Tamarici Hisp. populi. 218.n.
Templum Salomonis. 205. Zorobabelis. *ibid.* Herodis M. 206. seq. Herodis templum secundi templi instauratio fuit. 206.n.
Thamar. Vocabuli etymon. 217. urbs ita dicta an eadem ac Iericho, Palmira, Thadmora. 217. *Vid.* Tadmira.
Thyschen (M. O. G.) 61.n.
Titus Imp. quo tempore ceperit Ierosolymam. 208.
Toinardus (Nicolaus) laudatur. 106.
Toparchiarum Samariae contributio quo fine Iudaeis concessa. 87.
Toronja, *Torongil*, Hispana verba, unde originem ducant. 136-
Torques aurea in numis Samariticis conspicua quid indicet. 32.
Triglandius (Iacobus) 138.n.
Triphonis strages. 152.
Tsion ציון vox quare absit à primi anni numis. 106.

V

Varro (Marcus) 228.
Vgolinus (Blasius) 5.n. 16.n. 28.n. 30.n. 33.n. 38.n. 39.n. 41.n. 60.n. 74.n. 75.n. 82.n. 83.n. 88.n. 91.n. 93.n. 109.n. 138.n. 143.n. 157-159.n. 170.n. 172.n. 207.n.
Villalpandus (Io. Bapt.) 6.n. 7.n. 11.n. 12.n. 20. 21. 23.n. 24. 26. 27. 32. 33.n. 45. 73.n. 74. 78. 150. 209.
—siclos numosque Hebraicos exponere ag-

2011 Ministerio de Cultura

aggressus, quousque in eo processerit. 15. seqq.
__notatur. 13. n. eius error excusandus. 22-24.
Virgilius (P.) 213.n.
Viri imago numis Hebraeorum insculpi non potuit. 94.
Vitis aurea multiplex. 203. seqq. quae à Pompeio in Templi adyto visa dicitur, nulli ante Lipsium cognita. 210. in templo Salomonis non videtur exstitisse. 204. neque in templo Zorobabelis. *ibid.*seq.
__cuiusmodi fuerit in Herodis templo. 206.seq. inauratam, non auream fuisse verosimilius. 208. ubi et quo fine posita. 209. ad hanc respexit Tacitus. 210.
__Aristobuli iunioris. 202. numis exhibetur. 203. alias dicitur *mons aureus*, *torques aurea*. 213. seq. cimelium domus Hasmonaeorum. 215. haec videtur in numis repraesentata. *ibid.*
Vitis folium in numis Hebraicis quid significet. 89. eius in S. Scriptura mentio. 217.
Vitryus. 97. 115.n.
Vncia Hispanica. 65.seq. Attica. 68.seq. huius ad Hispanicam communem ratio. 71.seq.n. Romana florente Rep. septem denariorum. 70. n. Neronis tempore octo denarios complecti coepit. 71. n. neque ideo tamen priore ponderosior. *ibid.*
Vossius (Ger.Ioannes) 79.n. 136.n.
Vrna diota in numis Hebraicis quid indicet. 107. Apionis in Iudaeos calumniae occasionem praebere potuit. *ibid.*seq.

W

Wagenseilius (Ioann. Christoph.) 42. 43.. 50.n.
Walchius (Io. Georg.) 41.n.
Waltonus (Brianus) 12.n. 17.n. 19.n. 181. 226.
__in multis erravit, videlicet plus nimio aliorum praeiudicatis opinionibus indulgens. 27.seq.
Waserus (Gasp.) 17.n. 26. 27. 28. 45. 64.n. 78.
__notatur. 13.n. 18.seq. circa Hebraeorum numos magno molimine non magnum operae pretium fecisse visus. 17. quid illum ad errores et figmenta impulerit. 19.n.
Wasmuthus (Matthias) 3.n.
Wildius. 109.
Woide (Car. Godofr.) 61.n. 90. 104. 150.n. 174. 191.n.
Wolfius (Io. Christoph.) 5.n.
Wormius (Christoph.) 109.n.

X

Ximenius (Franciscus Cardinalis) 48.

Z

Zecchini numi Romani ad aureum Florentinum ratio. 150. ad monetam nostram. *ibid.*n.
Zelada (Eminentiss. Franc.Xaverius S.R.E. Card.) 48.
Zorobabelis templum ad exemplar Salomonici exstructum. 211. *Vid.* Templum.

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministerio de Cultura

©2011 Ministerio de Cultura

2011 Ministério da Cultura

BAYERII
DE NVMIS
HEBR. SAMAR.

Centro de Cultur
BIBLI
Vign.